6
15-d

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
12 D
38

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-15-D-9

15
d
11

15-a-8

15.7.11.

Digitized by Google

K 8/18

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOCTES SOLITARIÆ
SIVE DE IIS,
Quæ ſcientificè ſcripta ſunt ab Homero in Odyſſea.
LIBER SINGVLARIS
In LXX. Colloquia diſtributus.

In quo præter non pauca Theologica, multa etiam Phyſica, multa Metaphyſica, Ethica, Medica, Geometrica, Aſtronomica, demum & Phyſiognomonica tractantur,

Quæ omnibus bonarum Artium ſtudioſis, non iucunditatem modo, verum & vtilitatem maximam ſint allatura.


AVCTORE

IO. BAPTISTA PERSONA

Philoſopho, ac Medico Io. Iacobi filio, Bergomenſe.

AD ILLVSTRISSIMVM DOMINVM
LAVRENTIVM IVSTINIANVM
Senatorem Ampliſſimum.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.



VENETIIS, Apud Euangeliſtam Deuchinum. 1613.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
DOMINO D.
LAVRENTIO IVSTINIANO
Senatori Ampliſſimo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IO. BAPTISTA PERSONA, Seruus humillimus, S. P. D.

POSTQVAM amicorum hortatu decreui haſce meas Noctes Solitarias in lucem edere (Illuſtriſſime Iuſtiniane) parum mihi laborandum fuit in illo inueniendo, cui dicarentur; tibi enim omni iure debebantur, teque vnum Patronum exoptabant. Noctes ſunt, ex ſe nullum habentes ſplendorem dignitatis; ad te confugiunt, qui cum veluti ſydus quoddam fulgentiſſimum inter Venetos Heroas reluceas, potes illis lumen gloriamque afferre immortalem. Solitariæ ſunt; tuam benignitatem, atque auctoritatem implorant; illa enim nixæ omni clariſſima ciuitate, atque adeo clariſſimorum, doctiſſimorumque omnium hominum donabuntur ſocieta-

te Continent variam, multiplicemque doctrinam ſapientiſſimi, omniumque litteratorum Principis Homeri; Cui ergo potius offerandæ erant, quam illi, qui cum omni virtutum genere ſit præditus, illam etiam viam firmo calcat pede, quæ ad eminentiſſimos quoſque illius Reipublicæ gradus rectà ducit, quæ aliarum Rerumplicarum omnium obtinet Principatum? Ad ſummam lucubrationes meæ ſunt, quare & tuum nomen in fronte geſtare debebant, ſicut illud ego quoque in corde meo porto, ex quo, te ſalutatum veniens, inueni ſapientiam, magnificentiam, humanitatemque tuam omni magna opinione, glorioſaque prædicatione maiorem. Quanta dulcedo, quanta ſuauitas, quanta prudentia in ſermonibus illis tuis omni doctrina, omnique eruditione refertis? Equidem mihi videbar Homericum illum Neſtorem audire, ex cuius ore melle dulcior fluebat oratio. Quàm illuſtris apparatus, quam mirificus nitor auguſtiſſimæ domus tuæ? Quot heroum ſimulachra antiquorum tuorum, quorum tu præclara imitaris veſtigia, quorumque nunquam peribit fama perennis? Quid de Illuſtriſſima Bibliotheca tua dicam? obſtupui, quando illam ingreſſus librorum præſtantiam, miramque varietatem ſum contemplatus. Ibi ſanctorum Eccleſiæ Patrum omnium opera conſpiciuntur. Ibi Theologorum, Philoſophorumque celebriorum omnium non deſunt præclara monumenta; Ibi denique Hiſtoricorum præſtantiorum, Illuſtriorumque Poetarum ſcripta reperiuntur. Ex quorum omnium aſſidua, iugique lectione tot, tantaque animi ornamenta conſequutus es, vt te adhuc ætate florentem ſenilibus illis eminentiſſimiſque dignitatibus meritò decoratum, refulgentemq; conſpiciamus, apud quas in admirabili Veneta Republica ſolent difficiliora, grauioraq; negotia tractari. Quæ omnia dū tacitus

mecum

mecum ipſe reuoluerem, atque admirarer, me totum addixi tibi; nomenque tuum ſic cordi adhæſit meo, vt ex illo tempore nihil ego magis optauerim, quàm & tibi inſeruire, & teſtatam apud omnes facere voluntatem hanc meam inſeruiendi tibi. Huius itaque immutabilis animi mei ſignum, licet perexiguum, tibi, cæteriſque omnibus, hoc ipſum dare conſtitui. Noctes meas Solitarias. Quas ſi tanta benignitate, atque alacritate recipies, quanta me excepiſti te ſalutantem, pro certo habebo te etiam in illarum lectione, ſi non doctiſſima, ſaltem non iniucunda conſumpturum. Quod quidem ſi mihi liceat conſequi iure gloriabor non mihi ſolum, & muſis, ſed tibi quoque muſarum omnium amantiſſimo elucubraſſe. Hoc autem ſtudiorum meorum omnium præmium ampliſſimum eſſe exiſtimabo. Vale Illuſtriſſime Laurenti, & me tibi deuotiſſimum in tuorum albo cariſſimorum, licet minimum, reponere ne dedigneris. Ego vero amplitudinem tuam ad ſummum dignitatis, atque felicitatis gradum primo quoque tempore diuinitus euectam videre concupiſco.

AVCTO-

Digitized by Google

AVCTORVM SYLLABVS:

Quorum auctoritatibus, atque ſententijs vſi ſumus in his Noctibus Solitarijs.

A

Adoardus Gualandus.
Ægidius.
Ælianus.
Aetius.
Agapetus Diaconus.
Æſopus.
Agathia.
Albertinus Bottonus.
Albertus Magnus.
Alexander Aphrodiſæus.
Alexander Maſſaria.
Alexander Piccolomineus.
Algazel.
D. Ambroſius.
Ambroſius Calepinus.
Ammonius.
Andreas Veſalius.
Andreas Camutius.
Antonius Andreas.
Ant. Franciſcus Donius.
Antonius Gazius.
Anton. Muſa Braſſauolus.
Antonius Sirectus.
Antonius Trombeta.
Antiquitates Conuiuales.
Appianus Alexandrinus.
Aphthonius.
Athenæus.
Auerroes.
D. Auguſtinus.
Auguſtinus Sueſſanus.
Auicenna.
Aulus Gelius.
Ariſtophanes.
Antonius Scainus.

B

Bartholomęus Arnigius
Bartholomæus Montagnana.
D. Baſilius.
Benedictus Pererius.
D. Bernardus.
Bernardinus Petrella.
Bernardinus Salinus.
Bernardinus Teleſius.
Biblia Sacra.
Boccatius.
Boëtius.
Bonetus.
Bernardus Segnius.

C

Camillus Camillius.
Cebes.
Cæſaris commentaria.
Chryſoſtomus Iauellus.
Criſtophorus Clauius.
Criſtophorus à Fonſeca.
Criſtophorus Honeſtus.
Collegium Conibricenſe.
Comment. in lib. Gal. quod animi mores corp. temp. ſequ.
Conſtantinus Laſcares.
Conſtantinus Nolanus.
Cōſtantius Sarnanus Card.
Cornelius Celſus.
Cornelius Tacitus.
Cyprianus Soarius.

D

Didymus Scholiaſtes.
Diogenes Laërtius.
Dionyſius Areopagita.
Dioſcorides.
Donatus Acciaiolus.
Donatus Anto. Altimarus.

E

Euclides.
Euripides.

F

Fædericus Pendaſius.
Ferdinandus Epiphan.
Flauius Ioſephus.
Fortunius Affaitatus.
Franciſcus Arretinus.
Franciſcus Ferrarienſis.
Franciſcus Guicciardinus.
Franciſcus Lycheius.
Franciſcus Petrarcha.
Franciſcus Piccolomineus.
Franciſcus Suarez.
Franciſcus Toletus.
Franciſcus Vicomercatus.
Franciſcus Valleriola.
Franciſcus Valleſius.

G

Gabriel Buratellus.
Galenus.
Georgius Purbachius.
Grammatica ſpeculatiua.
D. Gregorius Magnus.
D. Gregorius Nazianzenus.
Guidus Bartoluccius.
Gulielmus Puteanus.
Gulielmus Budæus.
Gabriel Fallopius.

H

Hercules Taſſus.
Herodianus.
Herodotus.
Hieronymus ab Aquapendente.
Hieronymus Fracaſtorius.
Hieron. Mercurialis.
Hieron. Piſtorius.
Hieron. Ruſcellius.
Hippocrates.
Homerus.
Horatius Augenius.
Horatius Flaccus.

I

Iacobus Delecampius.
Iacobus Hollerius.
Iacobus Sannazarius.
Iacobus Zabarella.
Iacobus Syluius.
Iacobus Vuecherius.
Iandunus.
Ioachymus Perionius.
Ioannes Anglicus.
Ioannes Boterus.
Io. Coſtæus.
Io. Damaſcenus.
Io. Fernelius.
Io. Harculanus.

Io.

Digitized by Google

Io.Manardus.
Io.Meſues.
Io.Philoponus.
Io.Quinquarboreus.
Io.Reuclinus.
Io.Scotus.
Io.Scapula.
Io. Vitalior præceptor Auctoris.
Io.Vallonus.
Ioannitius.
Io. Antonius Guarnerius.
Io. Antonius Maginus.
Io.Baptiſta Gellius.
Io.Bapt. Mantuanus.
Io.Bapt.Montanus.
Io.Bapt.Suſius.
Io. Bapt. Poſſeuinus.
Io.Bapt.Syluaticus.
Io.Bapt.Rhamnuſius.
Io.Rada.
Iſocrates.
Iuſtus Lypſius.
Io.Bapt.Porta.

L

Laurentius Ioubertus.
Lilius Gregorius Gyraldus.
Leonardus Arretinus.
Leonardus Fuchſius.
Leo Roganus.
Lucillus Philalthæus.
Ludouicus Arioſtus.
Ludouicus Mercatus.
Ludouicus Nogarola.

M

Marcus Antonius Genua.
Marc.Ant.Zimara.
M.T.Cicero.
Marius Nizolius.
Marſilius Ficinus.
Martialis.
Martinus Achachia.
Mauritius Hibernicus.
Melchior Guilandinus.
Michael Sauonarola.
Mutius Iuſtinopolitanus.
Muſæus.

N

Nicanor.
Nicephorus.
Nicetas Choniates.
Nicolaus Clenardus.
Nicolaus Colonius.
Nicoſtratus.

O

Oddus Oddius.
Olaus Magnus.
Olympiodorus.
Ouidius.

P

Petrus Andreas Matthio.
Petrus Anteſignanus.
Petrus Apponus.
Petrus Bungus.
Petrus Fonſeca.
Petrus Maffeius.
Petrus Tartaretus.
Phalarides Tyrannus.
Philaretes.
Philo Iudæus.
Philoſtratus.
Phocelides.
Pierius Valerianus.
Pindarus.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Polyanthea.
Ptolemæus.
Publius Fontana.
Pythagoras.

Q

Quintilianus.
Q.Curtius.

R

Robertus Bellarminus.

S

Sebaſtianus Paparella.
Schola Salernitana.
Simplicius.
Stephanus Guatius.
Suidas.

T

Theatrum Mundi.
Themiſtius.
Theocritus.
Theophilus Protoſpartarius.
Theophraſtus.
T.Liuius.
D.Thomas Aquinas.
Thomas Caietanus.
Thomas à Veiga.
Thucydides.
Torquatus Taſſus.
Turriſanus.

V

Valerius Maximus.
Victor Trincauellius.
Virgilius.

X

Xenophon.

Digitized by Google

INDEX COLLOQVIORVM, QVAE IN HISCE NOCTIBVS SOLITARIIS CONTINENTVR.

Libro Primo Odyſſeæ, Verſu XXVIII. & ſequentibus.

DEum immediate concurrere ad oẽs Creaturarum Actiones, non tamen ad peccata. Non dari peccatum in voluntate ſine ignorantia conſequente in intellectu. Dari tamen ſine antecedente. Colloquium I. *fol. 1*

Eodem libro, Verſu XLIV.

Quæ cauſſa glaucos oculos reddat. De eorundem oculorum Phyſiognomonia. Et quamobrem Minerua à Poetis Glaucopis dicatur. Colloquium II. 9

Eodem libro, verſu CVI.

Traditur accurate cauſſa Phyſica, propter quam Filij ſunt Parentibus ſimiles. Colloquium III. 19

Eodem libro, verſu CLXII.

De fletu, lachrymarumque generatione, & quamobrem fletus ſomnum ſoleat conciliare. Colloquium IV. 41

Eodem libro, verſu CLXXVIII.

Lumine naturali cognoſci poſſe Dei Aeternitatem, & vnitatem. Colloquium V. 44

LIBRO SECVNDO, verſu CLXXVII.

Filios vt plurimum eſſe peiores Patribus, & redditur Ratio. Vnde & illud quæritur an homo naturaliter ſit ad virtutes, an vitia proclinior. Colloquium VI. 50

Eodem libro, verſu CXCI.

Quid proprie ſit Alphiton, et quamobrem ab Homero medulla hominum dicatur. Colloquium VII. 59

LIBRO

LIBRO TERTIO,
verſu LV.

Terram,& aquam vnum tantũmodo globum conficere in vniuerſo. Terramque non quidem ab aqua contineri, ſed aquam à Terra. Et quamobrẽ Neptunus dicatur ab Homero Terram continere. Colloquium VIII. 65

Eodem libro,verſu CXXI.

Confirmantur magis ex Homero, quæ dicta ſunt in colloquio Tertio. Colloquium IX. 71

Eodem libro,verſu CXLII.

Voluntatem Diuinam ſtatuere non poſſe oppoſitum illius, quod antea ſtatuit; nullamque in ea reperiri poſſe ſucceſſionem. Colloquium X. 74

LIBRO QVARTO,
verſu LXXXII.

Quamobrem in Libya agni ſtatim corniferi generentur; terque pariant oues, & de media Zona felici habitatione, quædam. Colloquium XI. 75

Eodem libro,verſu CII.

Fletum aliquando mentem oblectare, & vnde id fiat. Colloquium XII. 84

Eodem libro,verſu CCXVIII.

Quid ſit medicamentum Nepenthes; & qua ratione tam mirabiles effectus producat. Colloquium XIII. fol. 87

Eodem libro,verſu CCXXX.

Medicinam proprie ſcientiam non eſſe, non acquiri tamen ſine præexiſtentibus ſcientijs. optimum medicum iure dici ab Homero ſcientem ſupra omnes. Colloquium XIV. 92

Eodem libro,verſu CCXXXV.

Agitur de Dei omnipotentia, & oſtẽditur homines illam cognoſcere poſſe lumine naturali. Colloquium XV. 102

Eodem libro,verſu CCCXXXI.

De ſuſpirijs, eorumque cauſſis; deque illis animi affectibus quos ſolent indicare. Et quamobrem ſuſpiria ſigna habeantur amoris. Colloquium XVI. 108

Eodem libro,verſu CCCLXXVIII.

Deum omnia cognoſcere quæ fuerunt, quæ ſunt, quæ erunt oſtenditur ratione Naturali. Colloquium XVII. 113

Eodem libro,verſu CCCCXXIIX.

Quamobrem Homerus vocauerit Noctem Diuinam. Colloquium XVIII. 116

Eodem libro,verſu DCXXI.

De cauſſa, ob quam vinum audaciores homines reddit. Colloquium XIX. 121

Eodem libro,verſu DCLIX.

Quamobrem irati ignitos oculos habere

bere videantur. Et de oculorum Phyſiognomonia quadam. Colloquium *XX.* 122

Eodem libro, verſu DCVC.

De Timore eiuſque differentia, & cauſſis, & varijs effectibus. Colloquium *XXI.* 124

LIBRO QVINTO, verſu XCII.

Quid ſit Ambroſia, quid Nectar. Et cur veteres illam cibum, hoc potũ Deorum fecerint. Refellitur Macrobij opinio de Nectare. Colloquium *XXII.* 126

LIBRO SEXTO, verſu XLI.

Variæ rationes afferuntur, quibus veteres moti, Deum in cælo collocarũt. Et de cælo empyreo agitur. Colloquium *XXIII.* 137

Eodem libro, verſu IIC.

Qua ratione Lumen Calefaciat. Colloquium *XXIV.* 151

Eodem libro, verſu CLIV.

De Ternarij numeri dignitate, & Excellentia. Colloquium *XXV.* 155

Eodem libro, verſu CLXXX.

Concordiam Mariti, & uxoris in adminiſtranda re familiari, certum eſſe ſignum eorũdem Felicitatis, nec aliquid eſſe illa Præſtantius. Colloquium *XXVI.* 165

LIBRO SEPTIMO, verſu L.

De Moralibus virtutibus agitur, & oſtenditur Fortitudinem inter omnes obtinere Principatum. Colloquium *XXVII.* 170

Eodem libro, verſu CXII.

Quæ ſit Phæacum inſula. Et potuerit ne Alcinous Rex arte ulla parare ſibi hortum, qui perpetuo fructus ederet; an autem id ſit penitus fabuloſum. Colloquium *XXVIII.* 187

Eodem libro, verſu CLXVII.

Quid ſit Prudentia, & quomodo ſe habeat ad Morales virtutes ſecũdum Ariſtotelem; qui etiam defenditur ab aduerſarijs. Agitur & de Conſilio diligenter. Colloquium *XXIX.* 191

Eodem libro, verſu CCXXX.

De cauſſis Famis accuratè agitur, & cur ſolus venter illam ſentiat. Colloquium *XXX.* 204

Eodem libro, verſu CCVIC.

Adoleſcentes Prudentes eſſe nõ poſſe. Experientiam enim rerum neceſſario requiri ad Prudentiam adipiſcendam. Colloquium *XXXI.* 214

Quæſtio I.

An ad ſcientias adipiſcendas, ſi Experientia neceſſaria. Colloquium *XXXII.* 221

Eo-

Eodem libro, verſu CCCIX.

Iure Homerum appellaſſe ſuſpicioſum genus hominum. Eſſe enim ſuſpicionem homini propriam, nec alijs animantibus conuenire. Colloquium XXXIII. 230

Quæſtio II.

An Cauſſa difficultatis, quæ in cognitione veritatis accidit conſiſtat in rebus ipſis, an potius in noſtra imbecillitate. Colloquium XXXIV. 236

LIBRO OCTAVO, verſu CXXXVIII.

De cauſſa cur Mare nauigantibus ſoleat vniuerſum corpus cōmoueri, & vomitus concitari. Colloquiū XXXV. 247

Eodem libro, verſu 167.

Quomodo ſit intelligendum Morales virtutes à Deo eſſe, Agitur & de modo, quo acquiruntur à nobis. Colloquium XXXVI. 249

Eodem libro, verſu 292.

Vnde fiat vt Amātes cum Amatis dormire tam vehementer appetant. Et quamobrem veteres venereum actum nomine dormitionis vocauerint. Colloquium XXXVII. 255

LIBRO NONO, verſu XXXIV.

De Amore erga Patriam agitur. Oſtenditur illum non Lege aut inſtituto hominum conſiſtere; ſed à natura omnium pectoribus imprimi. Colloquium XXXVIII. 262

Eodem libro, verſu CVI.

Plantas omnes ſponte naturæ prouenire poſſe abſque ſemine. Diſcutitur & illud accuratè an idem de animalibus quoque omnibus ſit ſentiendum. Colloquium XXXIX. 272

Quæſtio III.

Quænam ſit cauſſa Princeps & Immediata animalibus illis formam tribuens, quæ ex putri materia producuntur. Colloquium XXXX. 283

LIBRO VNDECIMO, verſu XIV.

Quomodo intelligendus ſit Homerus, cum ait ſub arctico Polo viuere homines non poſſe. Et à calumnijs Philalthæi defenditur. Colloquium XLI. fol. 288

Eodem libro, verſu XXXVI.

Recenſentur capita eorum, quæ Homerus ſtatuit de ſtatu Animæ Rationalis ſeparatæ. Cuius immortalitate ſuppoſita breuiter oſtenditur illam viuis non poſſe naturaliter apparere. Colloquium XLII. 292

Ex Principijs naturalibus argumenta deducuntur Animæ Rationalis immortalitatem demonſtrantia. Homerus etiam defenditur ab Ariſtotele & Platone. Colloquium XLIII. 295

Quid indicare voluerit Homerus

Digitized by Google

per ſitim ſanguinis, qua ſtatuit affici mortuorum animas. Oſtenditur animas ſeparatas naturaliter appetere vt denuo vniantur corpori; cum eo enim perfectius eſſe illas poſſidere, quam extra. Colloquium XLIV. 267

Animas ſeparatas conſeruare eaſdem ſcientias, quas cum corpore adeptæ ſunt. Nec non & præterita recordari. Colloquium XLV. 308

Nunquid Animæ mortuorum inter ſe Forma, ſeu effigie diſtinguantur. Explicatur textus X. libri III. de Anima Ariſtotelis. Colloquium XLVI. fol. 316

Animam ſeparatam non poſſe naturaliter prævidere futura. Poſſe tamen ea, quæ hic aguntur videre, & multorũ cognitionem adipiſci, quorum ignorantia tenebatur in hac vita. Colloquium XLVII. 325

LIBRO VNDECIMO,
verſu CCIII.

Diſputatio cum Publio Fontana de cauſſa propter quam Homerus humanis operationibus Ternarium numerũ aſſignauerit, diuinis autem quaternarium. Colloquium XLVIII. 332

Eodem libro verſu CDXI.

Vnde fiat, vt mulieres loquaces ſint, & garrulæ; & quamobrem ſibi commiſſum arcanum reticere vix poſſint. Colloquium XLIX. 337

LIBRO DVODECIMO,
verſu CIV.

Explicatur locus capitis vltimi, ſecundi Ethicorum Ariſtotelis; & tollitur apparens in Ariſtotele contradictio. Colloquium L. 338

EX LIBRO DECIMOTERTIO
Odyſſeæ, verſu 420.

Agitur de peregrinatione, & oſtenditur modus, quo ipſa ſapientiores, ac prudentiores homines reddat. Colloquium LI. 343

EX LIBRO DECIMOQVARTO
verſu LVI.

Quibus argumentis intelligere potuerint Ethnici Pauperes, & peregrinos habere Deum adiutorem, atque vindicem. Colloquium LII. 349

Ex eodem libro verſu CLVI.

Agitur de veracitate, & Mẽdacio: Oſtenditurque Mendacium cuiuſcunque tandem ſit modi peccatum ſemper eſſe. Colloquium LIII. 355

Ex eodem libro verſu CDLXIII.

Quæ cauſſa ſit, ob quam vinum homines exhilaret, & cantare, atque ridere faciat, inſuper & verba eliciat, quæ arcana eſſe deberent. Colloquium LIV. fol. 358

EX LIBRO DECIMOQVINTO,
verſu XIX.

Non eodem modo Patrem filios amare, quo mater ipſa oſtenditurque naturalis quædam differentia, eorundem Amorum. Colloquium LV. 362

Ex eodem libro, verſu CCCLXXXIII.

De ſignis moderati, immoderatique ſomni; & recenſentur mala, quæ parcus, multuſque ſomnus parit. Colloquium LVI. 362

Ex eodem libro, verſu CCCLXXXXVII.

Quænam ſit cauſſa voluptatis illius, quam nos experimur, dum proprias calamitates commemoramus & alijs recenſemus. Colloquium LVII. 365

EX LIBRO DECIMOSEXTO, verſu XV.

De cauſſa Eximiæ voluptatis illius; quæ in re amata oſculanda percipitur. Colloquium LVIII. 369

Ex eodem libro, verſu XVI.

De modo quo in magna lætitia effunduntur lachrymæ. Colloquium LIX. fol. 373

Ex eodem libro, verſu XXIII.

Vnde fiat, vt dum in rebus iucundis occupamur tempus adeo velociter præterire videatur; contra vero tardè labi, cum moleſta tractamus. Colloquium LX. 376

Ex eodem libro, verſu CLVII.

Quamobrem apparitiones diuinæ, atque Angelicæ, cum primo fiunt timore repleāt homines illos, quibus Deus aut Angeli apparent. Colloquium LXI. fol. 379

EX LIBRO DECIMOSEPTIMO, verſu CCXVIII.

Nonnulli mirabiles enumerātur effectus, quos parit in rebus ſimilitudo. Et de cauſſa conuerſionis magnetis ad polum breuis habetur diſputatio. Colloquium LXII. 386

Ex eodem libro, verſu CCC.

De canibus mirabilia quædam, narrantur exempla. Redditur ratio, cur ipſi dominos promptius recognoſcant, quam eorum domeſtici; & alia ſcitu digna tractantur. Colloquium LXIII. fol. 400

Ex eodem libro, verſu CCCXLVII.

De verecundia; an virtus ſit, necne. Quam ætatem deceat, & quomodo viro egeno illam non conuenire ſit dicendum. Colloquium LXIV. 407

Ex eodem libro, verſu CDLXXXIII

Agitur de aſſiſtētia, atque cuſtodia, quam angeli hominibus præſtant. Ethnicis non defuiſſe argumenta, quibus illā potuerint cognoſcere. Diui Thomæ doctrina explicatur, & defenditur. Colloquium LXV. 414

Ex eodem libro, verſu DXLI.

Quibus rationibus adducti veteres, ſternūtamentum pro felici, fauſtoque ſigno habuerint, & pro numine adorauerint. Colloquium LXVI. 430

Ex

EX LIBRO DECIMOOCTAVO, verſu CXXIX.

Hominem eſſe animalium imbecillimum multis rationibus indicatur; multis & contrarium adſtruitur. Quidque ſecundum ueritatem de re hac dicendum ſit optimè explicatur. Colloquium LXVII. 435

EX LIBRO DECIMONONO. verſu XXI.

Vnde fiat, vt adoleſcentes, vt plurimum ſint prodigi, remque familiarem minimè curantes. Colloquiũ LXVIII. fol. 443

EX LIBRO VIGESIMOQVARTO verſu XIII.

Quamobrem Homerus animas mortuorum vocauerit ſimulachra defeſſorum. Et agitur de modo, quo potentiæ dicuntur eſſe in anima ſe iuncta. Colloquium LXIX. 448

Ex eodem libro, verſu XXIX.

Accurate traditur cauſſa naturalis, propter quam neceſſarius eſt mortis aduentus. Colloquium LXX. 455

Finis Indicis Colloquiorum.

Digitized by Google

ERRATA

Dùm hæ Noctes Solitariæ excuderentur, Auctor ſua degebat in Patria, aduerſa correptus valetudine. Quare nihil mirum, ſi nonnulla commiſſa ſint inter excudendum errata, ex quibus aliqua fortaſſe ſuboriri poſſet obſcuritas. Tu ergo, benigne Lector, antequam librum legas, illa corrigito hunc in modum.

pag.	*lin.*	*Emendata lectio.*
5	35	aliqua præceſſerit
6	16	hæc diſtinctio?
7	33	quicqnam
9	42	dubito, ſi vos
15	24	tenuia
17	29	non ſit ſiccum
17	32	mediocrem
23	2	facultates
23	24	generante
25	23	vngues
28	16	reddantur
28	38	vtriſque
29	28	maribus
32	27	hac re
33	17	At reddi
39	26	fluxerunt
42	13	vehementius rident
42	21	aliquam
49	34	corrigam
60	27	At hordeacea
60	36	citiſſimè;
61	22	vacans
64	14	maria
65	13	inſulſiſſimum illum
67	34	contineretur
75	42	deſinente
79	43	indigenis
81	37	æſtua
86	14	Sicut enim
95	16	non enim poteſt
97	22	actio, & opus
97	42	quod hæc Petro
100	11	memini me
101	42	eſſe poſſit
105	1	ita reſponderet
117	24	ſomnum affectat
125	26	& doceas
131	23	aduerſus
140	26	dicitur, &
140	43	illa abeat
141	15	debetur agenti
142	41	aſſeritur ſedes
143	2	per ipſam enim
148	33	illam & natura
149	20	aut aſtrum eſſet
156	7	hercle
156	22	per totum. Tamen
158	10	Chriſticolæ eo vti
161	28	coagmentatur
161	36	Corpus quoddam:
164	3	Tres hominis
167	33	qua viri boni
167	18	id eſſet
167	20	frequenter emergat
169	9	Hac enim
172	16	ſalibus
176	19	induta
181	33	dicentem, qui ea
182	28	Quod ergo
183	22	hominum ſtatui
187	18	quæ in horto
204	25	controuerſa
205	4	grauari
206	10	Academiæ.
208	20	ſilentium, & ſonos
210	7	illa fit
212	3	cauernulæ
212	5	eàdem
212	37	tempore fit
218	17	accedebant
220	10	illis noui
225	9	ſed illis
226	16	experiamur
230	16	confirmas
240	26	entitatis
242	36	inquit illum
242	44	ſolutiones
243	9	ANON. Nunc ad
250	24	Altera ratio eſt
250	38	hæc nihil
256	1	vt ſecum
260	26	indignaſſet
274	34	mihi fuit
278	22	& earum
278	43	& ſine
302	18	aliquam haberet
302	33	ſtatutam
305	10	ſeu duas
325	2	videbit proculd.
345	23	adit
347	22	propenſos
352	29	diligit
353	11	Lepidum
362	6	ille
369	41	nil moror
373	39	lachrymæ, nemini.
376	19	nobis videatur
378	9	motus iucundi
379	3	quo viſo
385	42	ſit ecſtaſis
403	23	ille eſt
406	1	ſpiritus omnes
410	30	habeat
433	17	ab occulta cauſſa
442	5	nullam eſſe
445	6	naturæ
449	21	eò validiores
451	10	diſſoluentem
453	10	ſeparata
454	25	nullo autem modo
458	24	calidus
459	28	recentiorum

Cetera minoris momenti, & poriſſimum ea, quę in interpunctionibus contigerunt lectori prudenti corrigenda permittuntur.

Digitized by Google

COPIA.

GLi Eccellentiſſimi Sig. Capi dell'Eccelſo Conſ. di X. infraſcritti, hauuta fede dalli Signori Reformatori del ſtudio di Padoa, per relatione à loro fatta dalli due, à queſto deputati, cioè del Reu. Padre Inquiſitor, & del Circ. Secretario del Senato Gio. Franceſco Marcheſini, con giuramento, che nel libro intitolato, Noctes Solitariæ ſiue de ijs, quæ ſcientifice ſcripta ſunt ab Homero in Odyſſea, auctore Philoſopho, ac Medico Io. Iacobi filio, Bergomenſe, non ſi troua coſa alcuna contra le leggi, & è degno di ſtampa, concedono licenza, che poſſa eſſere ſtampato in queſta Città.

Dat. die 22. Iunij 1613.

D. Lunardo Loredan
D. Gieronimo Zane } Capi dell'Eccelſo Conſ. di X.
D. Gio. Aluiſe Bernardo.

Excelſi Conſ. X. Secretarius
Bartholomęus Cominus.

1613. Adi 5. Luglio.
Regiſtrato in lib. à carte 155.
Antonius Laured. offic. Con. Blaſph. Not.

INDEX RERVM

QVÆ IN NOCTIBVS SOLITARIIS ſunt notatione digniores.

A

ACademiæ Solitudinis infortunium. 65
Accidentis eſſentia, ab inhærentia realiter diſtinguitur. 162
Acida qua ratione appetentiam reuocent. 208
Acidorum temperamentum. 208
Acria non ita ſatiant citò vt dulcia. 130
Actio duplex. 162
Actionem tria conſtituunt. 162
Actiones virtutũ omnes internæ ſunt neceſſariò, externæ per accidens. 183
Actus rerum duplex. 243
Actus ſecundus rei, qui propriè dicatur. 298
Actus fidei, à potentia editur immateriali. 299
Actus credendi auctoritati hominum eſt immaterialis potentiæ. 299
Actus intellectus non habent phantaſma proprium. 321
Adoardi Gualandi definitio Prudentiæ. 193
Adoardi Gualandi opinio de Prudentia multifariam reiecta. 193
Adoardus Gualandus. Ariſtot. inuitus conſentit circa Prudentiã. 193
Adoardi Gualandi opinio de ſubiecto virtutum moralium reiecta. 194
Adoardi Gualandi opinio de Prudentia, narratur. 192
Adoardi Gualandi inconſtantia. 198 199
Adoleſcentes cur ferè nunquam prudentes. 217.218
Adoleſcentum mores. 443
Adoleſcentes cur prodigi. 444.445
Adoleſcentes cur amicitias facile contrahant. 445
Aeterna de quibus eſt ſcientia, quænam ſint. 303
Aeſtate cur calor maior, quam hyeme. 155
Affabilitas, cur amicitia dicatur. 185
Affabilitas commendata. 176
Affirmatio, aut negatio quomodo præcedant cognitionem vniuerſalem. 228
Agens idem, quod materiam diſponit, quomodo dicatur & formam introduce-

duce-

ducere. 287
Agens propter finem, aliquo modo debet cognoſcere finem. 421
Alexandri Aphrodiſæi ſententia de Medicinæ natura refellitur. 97
Alimenti indigentia non ſentitur propriè. 206
Alimenti neceſſitas. 128
Alimenti præſtantiſſimi conditiones. 128.129
Alcinoi horti minimè fabuloſi. 190
Amabile quid ſit. 265
Amabile duplex. 266
Amabile ſimpliciter, quid. 266
Amabile ſecundum quid. 266
Amabile naturaliter duplex. 267
Amabilis naturaliter eſt Patria. ibid.
Amantium vltimus finis. 258
Amantes non appetunt ſimul dormire, vt vigilijs ex amore natis ſuccurrant. 257
Amantes ſimul dormientes vltimum amoris finem conſequuntur. 259
Amantium dormitio fraudem omnẽ arcet. ibid.
Amantes quomodo dormire appetant cum amata. ibid.
Amantes cur frequenter ſuſpirent. 110.111
Amantes citò, citò etiam amorem exuunt. 360,361
Amantes quò tardius amant, eo conſtantius etiam amorem ſeruant. ibidem.
Amantes quamobrem ſæpè non reamentur. 388.389
Amati obiecti præſentia maior, cur amorem adaugeat. 373
Ambroſia quid. 127.128
Ambroſiæ vires. 128
Ambroſiæ dulcedo. ibid.
Ambroſia cur vitam hominum prorroget. 128.129.130.131
Ambroſia vbi naſcatur. 132
Ambroſia cur dicatur eſſe cibus Deorum. 127
Ambroſia alimentum præſtantiſſimũ. 129
Ambroſia diſſimilaris eſt. 131
Amicitiæ coniugalis præſtantia. 169
Amicitiæ quomodo ſine cauſſa manifeſta contrahantur. 387
Amicitia ſimilitudinem ſequitur tẽperamenti. 387
Amor magnus Dæmon. 111
Amor quid ſit. 265
In Amorem proni qui ſint. 360
Amoris hoſtes qui. ibid.
Amoris conſtantia vnde oriatur. 361
Amorem facile recipientes, cuiuſnam ſint temperamenti. ibid.
Amor intenſior non neceſſario magis durat. 359
Amoris muliebris hieroglyphicum. 362
Amor reciprocus valde ab amantibus appetitur. 258
Amor reciprocus quid requirat. 261
Amoris venerei damna. 257
Amoris venerei adæquatum præmiũ. 258
Amorem erga Patriam non eſſe naturalem, quæ argumenta ſuadeant. 263
Amorem erga Patriam eſſe ex hominum lege; Iuſti Lipſij commentum. 264
Amor in Patriam nobiſcum oritur. 264
Amorem erga Patriam & bruta ipſa experiuntur. ibid.
Amor in Patriam communis eſt reb. ferè omnibus. ibid.
Amoris in Patriam inæqualitas, vnde oriatur. 271
Amorem erga Patriam ſolus amor proprius minuit. ibid.
Amoris in Patriã inæqualitas ex Patriæ inæqualitate oritur. 272
Amor in Patriã neceſſarius. 267.268

Amor

Amor quomodo delectationem ſupponat. 263
Angelorum cuſtodiam cognouit Homerus. 417
Angelorum cuſtodia, quam hominibus præſtant, oſtenditur ratione naturali. 418
anima triplex. 159
anima qualibet tres habet facultates, & functiones. ibid.
anima rationalis quas operationes habeat ſine corpore. 297
anima duas exiſtentias habet. 305
anima perficitur in corpore. 305. 306
anima præſente Deo ſub ſpecie obiecti ſenſibilis debilitatur. 385
anima in omnia poteſt. ibid.
anima quomodo deficiat ad conſpectū Dei. ibid.
anima rationalis non poteſt munus exercere cuſtodis. 427
anima ſeparata non indiget cuſtodiente intelligentia. 427
anima dum eſt in corpore cur indigeat ſenſibus. 331
anima in corpore operatur more formarum. ibid.
anima ſeiuncta cur non indigeat ſenſibus ad operandum. ibid.
anima ſeparata appetit vniri corpori. 305
animæ ſeparatæ facultates. 329
animæ ſeiunctæ poſſunt multa ex nobis addiſcere. 327
anima ſeparata poteſt nouas ſpecies intelligibiles acquirere à rebus ipſis. 328
animam ſeparatam ſeruare eandem extenſionem, atque configurationem quam habebat in corpore, rationes nonnullorum. 317
anima ſeparata non eſt punctum. ibid.
anima qualibet commenſurata eſt ſuo corpori tantum. ibid.
anima ſeiuncta ſeruat configurationem ſui corporis ſecundum. D. Thomam. 318
anima prius eſt aliquid in ſe, quam vniatur corpori. ibid.
animæ omnes ſeparatæ, quomodo propriam imaginem impreſſam habeant. 319
animæ ſeiunctæ cur dicantur ſanguinem ſitire. 305
anima ſeparata vt de nouo addiſcat proportionatam diſtantiam requirit obiecti. 330
animam ſeparatam recordari præteritorum oſtenditur. 315
anima ſeparata liberius intelligit, quā coniuncta corpori. 306
anima ſeiuncta habet & cognitionem intuitiuam rerum. 329. 330
anima ſeparata conſeruat omnes ſcientias quas acquiſiuit cum corpore. 313
animæ ſeparatæ quibus facultatibus ſint præditæ ſecundum Homerum. 293
anima ſeparata à mortalibus videri non poteſt abſque miraculo. 294
anima Cæſaris apparuit Caſſio. 294
animam rationalem eſſe ex ſua natura immortalem varijs rationibus oſtenditur à pag. 295 vſque ad 300
anima ſeparata non ſuſpicatur. 235
animales facultates omnes defatigantur. 451. 452
anima ſeparata in ſe habet omnes facultates, quas & in corpore habebat. 458
anima ſeparata iure dicitur ſimulachrum defeſſi. 454
animal quodlibet tribus medijs conſeruatur. 159
animalia quomodo creauerit Deus. 276
animalia perfecta non poſſunt ex putri generari. 280

I N D E X

animalia perfecta fruſtra generarentur ex putri. 280
animalibus perfectis locus deeſt extra uterum in quo poſſint generari. 280
animalia perfecta cur longum tempus requirant ad ſui generationem. ibid.
animalia genita, ex putri à ſolo Deo immediate producuntur. 286
animalia magis indigent cuſtodiente intelligentia, quam inanimata. 422
Animi paſſiones à quibus cauſſis concitentur. 85
antonij Scaini ſententia de virtutum principatu reiecta. 179
apparitiones diuinæ fiunt ſecundũ omnes animæ potentias. 381
In apparitionibus diuinis falſum eſt inferiorem animæ partem deferri à ſuperiori. 381.382
apparitiones diuinæ primo fiunt ſub ratione mali. 382
In quo conſiſtat hæc ratio mali. 383.384.385
In apparitionibus diuinis prius decipitur & intellectus, quam obiectum cognoſcat. 382
In apparitionibus diuinis quid propriè ſit illud, quod ſe offert ſub ratione mali. 383
apparitiones diuinæ quid primo efficiãt in anima. ibid.
apparitionum diuinarum effectus optimè delineauit Homerus. 384
apparitiones Diuinæ animam turbant in principio, & quamobrem. 384
apparitiones diuinæ animam debilem reddunt in initio. 384.385
In apparitionibus diuinis non ideo timemus quia obiectum ſit inſolitum 383.
appetitus ſenſitiuus eſt virtutum moralium ſubiectum. 194
appetitus ſenſuum ſemper fertur in obiectum proprium, nunquam in obiectum rationis. 195
Appetitus ſenſuum quomodo ſit rationalis. 195
Appetitio formam recipit ab obiecto, formali. 297
Aqua locus ſecundum Auicennam. 63
Aqua proprius locus eſt circa terram. 67.68
Aquam eſſe decuplo maiorem terra, quam ſit falſum. 64.65.66
Aqua non omnino eſt extra proprium locum. 69
Aqua continetur à terra quodammodo præter naturam, & violenter. 68.
Aqua eſt depreſſior terra per violentiam ſecundum quid. 69
Aqua calida quomodo ſe ipſam refrigeret. 298
Arcticum Polum incoli cognouit Homerus. 289
Ariſtotelis doctrina de humana Prudentia controuertitur. 192
Ariſtotelis doctrina de Prudentia defenditur. 198
Ariſtotelis ſententia de cauſſa effigiei hominum explicatur. 29.30
Ariſtotelis ſententia de cauſſa effigiei reiecta. 30.31
Ariſtotelis opinio de cauſſa glaucitatis reiecta. 11
Ariſtotelis loca indicantur animæ rationalis immortalitatem indicantia. 303
Aſſuetudo proxima cauſſa virtutis. 254
Aſtra non lucent lumine Solis, ſed proprio. 148
Aſtronomia medico neceſſaria. 100
Auerrois error. 18
Auerrois inconſtantia. 276
Auerrois ſententia refellitur quod genita ex putri ſint diuerſa ſpecie ab ijs,

ijs, quæ ſunt orta ex ſemine. 276
Auicennæ error. 114.115
Auicennæ opinio de cauſſa glaucitatis reiecta. 12
Auicēnæ opinio de modo generationis rerum, & eius argumenta. 278.279

B

Beatitudo. Vide Felicitas.
Beatorum ſedes propria. 147
Benedicti Pererij opinio exploſa de cauſſa cur Medici ſe ipſos Phyſicos appellent. 99
Bernardinus Petrella. 91
Bernardinus Salinus Ieſuita Auctoris Preceptor. 17
Berſabea Dauidi peccanti conſenſit. 260
Binarius numerus imperfectiſſimus. 157
Bona actio quæ. 197
Bona concordia non ſeparatur à fœlicitate. 166
Bona concordia ſtabilis. ibid.
Bona concordia inter coniugatos eſſe non poteſt, niſi vterque eorum omnes virtutes obtineat. 168
Bona concordia coniugatorum eſt bonum felicitate maius. 168
Bona fama acquiritur peregrinatione. 343
Boni cur in patria non accepti. 344
Boni cur vt plurimum pauperes. 352
Bonum ſenſus eſt cauſſa per accidens vitij. 57
Bruta quomodo appetant immortalitatem. 296
Bruta non effugiunt mortem, vt immortalitatem, conſequantur. ibid.
Bruta quomodo ſint homine robuſtiora. 440.441
Bruta magis à Dijs exagitata quam homines. 436
Bruta quibus rationibus videantur à natura magis homine diligi. 435

C

Cælum ab his inferioribus non eſt omnino diuerſum ſed neceſſario habet cum illis ſimilitudinem aliquam. 398
Cælum an omnium rerum diſpoſitiones poſſit producere ex ſui natura. 282
Cæli, & Dei mirāda ſimilitudo, à 139. vſque ad. 146
Cælum eſt mouens immotum. 145
Cælum Dei imago. 145.146
Cælum cur immortale. 144
Cælum cur non augeatur neque altere tur. ibid.
Cælum an habeat contrarium. ibid.
Cælum materiam diſponit animalium. 286
Cælum non laborare in motu ſuo, neque delaſſari. 141
cælum non imprimit formam in genitis ex putri. 284
cælum ex ſe imperfectius eſt animali. ibid.
cælum totum lumine præditum eſſe probatur. 149
cælum cur græce αἰθὴρ, 139
cælum cur græcè οὐρανός: ibid.
cæli, & Dei Etymologia ſimilis. 139
cælum an hæc inferiora omnia conſeruet, & regat. 143
cælū quomodo dicatur Dei locus. 146
cælum Empyreum. ibid.
cælum Empyreum dari, quomodo probetur. 146.147
cælum Empyreum naturaliter non cognoſcitur. 147
cælum Empyreum naturaliter cognoſci, quomodo nonnulli probent. ibid.
cælum vna cum intelligentia non eſt cauſſa prima genitorum animaliū ex putri. 285
calamitatum narratio, quomodo iucūditatem afferat. 366.367.368

cala-

Calamitatum præſentium narratio ſuauis,& inſuauis eſt iuxta auditorum differentiam. 367
Calamitates aliorum,quinam libenter audiant. ibid.
Calamitatum præteritarum recordationem qui fugiant. 368
Calor non difficile calefacit ex ſe, ſed propter reſiſtentiam calefactibilis. 240
Calor quomodo a Sole non formaliter calido producatur. 154
Calor quomodo gignatur ex attritu corporum. 153.154
Calor innatus duplex. 464
Canum ætas. 406
Canes cur promptius herum recognoſcant,quam ſerui homines. 403
Canes quomodo diſcurrant. ibid.
Canes memoria pollent. 400
Canes cuius ſint temperamenti. ibid.
Canes audaciſſimi, & eorundem audaciæ exempla. 401
Canes cur homines iacentes non mordeant. ibid.
Canum fidelitas erga dominum. 402
Canum memoria vnde tam firma. ibid.
Canis Vlyſſis præ lætitia mortuus. 405
Capilli cur timore erigantur. 125
Caro non eſt humidum innatum. 463
Caſu fieri, quid propriè dicatur. 277
Cauſſalitas primi finis eſt Deus. 76
Cauſſalitas primi finis eſt VolitioDei. ibid.
Cauſſa naturalis producit perfectiſſimum effectum quem poteſt. 321
Cauſſa libera, non poteſt pendere à non libera. 75
Cauſſa efficiens naturalis non intendit effectus indiuiduationem, ſed ſpeciem. 114
Cauſſa inferior cur requiratur ad rerum generationem. 281
Cauſſa prima cum per ſe agat,ideo voluntarie agit. 75
Cauſſæ intellectum determinantes in conſtitutione principij cuiuſlibet, quæ. 226
Cauſſæ ſecundæ ad primam requiruntur,ratione imperfectionis illarum, ſecundum Philoſophos. 105
Cauſſæ efficientes infinitæ eſſe non poſſunt,neque ſucceſſiuè. 45
Cauſſæ perfecta cognitio parit effectus cognitionem. 115
Cauſſa prima nihil facit caſu. 277
Cauſſæ ſecundæ omnes diſtinctè à Deo cognoſcuntur. 115
Cauſſa prima ſcientia, eſt intellectus. 225.& ſeq.
Chylus non propriè nutrit ventriculum,ſed apparenter. 209
Cibus animalis triplex. 159
Cimmerij populi,qui. 288
Cimmeriorum regio. ibid.
Circulus figura pulcherrima. 139
Circularis linea cur perfectiſſima. 140
Circulo nihil addi poſſe optimè probatur contra nonnullos. 140.141
Circularia non proprie augentur. 140
Circularis motus, cur à nullo poſſit impediri. 141.142
Circularis motus an habeat contrarium. 144
Circuli perfectio in trinitate conſiſtit. 160
Ciuilis Philoſophia quomodo virtutes doceat. 254
Clauij error de cælo Empyreo. 147.148
Clementiæ ſpecioſitas explicata. 175
Clementia Vide Manſuetudo. ....
Cogitabundi cur frequenter ſuſpirent. 110
Cognitio rerum nobiliſſimarum difficilis

cilis ob noſtram imperfectionem tantum. 238
Cognitio ſenſitiua complexa non eſt medium inter ſimplicem apprehenſionem & vniuerſalem propoſitionem, contra Fonſecam. 227
Cognitio complexa ſimpliciter ſumpta, non eſt medium inter ſimplicem apprehenſionem ſuorum terminorum, & vniuerſalem de illis propoſitionem. 227
Cognitio ſimplex terminorum ſcientiam parit principiorum primorum. 224
Cognitio primorum principiorum non indiget vlla experientia. 223
Cognitio qualibet nobis difficilis eſt ob intellectus noſtri imbecillitatem. 240
Cognitionis noſtræ perfectio duplex. 239
Cognitio noſtra effectus naturalis eſt rei cognitæ. 240
Cognitio perfecta ſecundum proportionem duplex. 245
Cognitio medij quomodo in virtute morali includatur. 253
Cognitio medij non conſtituit virtutem moralem. 251
Cognitio abſtractiua, quæ. 329
Cognitio intuitiua, quæ. ibid.
Cognitio temporis neceſſaria ad recordationem. 314
Cognitio Dei, eſt Deus. 114
Componit principia prima intellectus ſolus. 225. 226
Compoſitum ex materia, & forma tertia eſt entitas. 158
Compoſitum nullum eſſe poteſt ex ſe neceſſario. 48
Conceptus mentalis, atque corporei ſimilitudo. 35
Concoctionem quomodo ſomnus perագat. 363
Concordia quid ſit. 166
Concordia differt à conſenſu. ibid.
Concordia amicitiam conſequitur. ibid.
concordia actionem reſpicit. ibid.
concordia duplex. ibid.
concordia bona adiunctam habet fœlicitatem. ibid.
concordia bonorum hominum ſola ſtabilis. 167
concordia improborum hominum inſtabilis. ibid.
concordia coniugalis paupertatem arcet. 169
confidentia quid. 171
confricatio corporum, qua ratione calorem producat. 153
conſultatio quid. 199
conſultatio de quibus ſit. ibid.
conſultatio non eſt de fine. ibid.
conſultatio ad quam facultatem pertineat. 200
continua quantitas permanens triplex. 159
contraria quomodo eidem ineſſe poſſint naturaliter. 150
corcyra deſcriptio. 188
corporea quæ ſupra ſe ipſa reflectantur per operationem propriam. 298
corporum generationes regulantur ab ingenerabili. 419
corpus animæ impedimentum quomodo verè dicatur. 305. 306
corruptio rerum duobus modis fit. 312
creatio ſolius eſt Dei. 106. 107
creatura extra ſe operari poteſt. 335. 336
creatio cur dicatur opus ad extra. 335. 336
creatura Deum magis imitatur operatione ad extra, quam ad intra. 336
creatura non poteſt creare neque primo, neque inſtrumentaliter. 107
cubus omnium ſolidarum figurarum per-

perfectiſſimus. 161
cubus immortalis. ibid.
cubus Dei hieroglyphicum. ibid.
cubi perfectio per ſymbolum ſignificata. ibid.
cuſtodiens intelligentia agit propter finem diuerſum à ſe. 424
cuſtodientis intelligentia finis qui ſit. 425
cuſtodiens intelligentia ſe ipſam perficit cuſtodiendo. 425
cuſtodiendi munus ſecundis intelligentijs tantummodo conuenit. ibid.
cuſtodia Angelorum nobilitatem arguit rei cuſtodiendæ. 426
cuſtodiens intelligentia vna ſingulis rerum ſpeciebus eſt aſſignata. 428
cuſtodiens intelligentia ſingulis hominum indiuiduis data eſt. 429
cuſtodiens intelligentia maxime homini neceſſaria. 426
cyclopum regio Sicilia. 273

D

DEfeſſum quid propriè dicatur. 449
Delectatio ex quanam cognitione oriatur. 269
Deſiderium rei amatæ, cur eo magis creſcat, quo magis illa fruimur. 373
Deſiderium cauſſa miſeriæ. 372
Deſipientia duplex. 215
Deſipientes qui propriè ſint. 214
Deus, cur græcè Θεὸς. 139
Deus cum ſit rerum omnium perfectiſſimus, ideo æternus eſt ſtatuendus. 45
Deus quia cauſſa eſt efficiens omnium nobiliſſima, ideo eſt æternus. 46
Deus quia poteſt eſſe à ſe ideo eſt à ſe. ibid.
Deus vnus apud Homerum. 47
Deus, quia eſt neceſſe eſſe, ideo vnus. 48
Deus aut vnus eſt, aut dicendum eſſet infinitos eſſe Deos actu. 49
Deus influit in omnia. 103
Deus virtutis eſt infinitæ. 103. 104
Deus eſt immediata cauſſa varietatis. 115
Deum omnia creaſſe, oſtenditur lumine naturali. 106
Deus ſolus creare poteſt. ibid.
Deus ſolus dat eſſe rebus. 106. 107
Deus immediatè agit cum omni agente creato. 2
Deus agit per intellectum, & liberè. 75
Deus nullam habet cognitionem nouam. 114
Deus cognoſcit omnia diſtinctè. 114
Deus concurrit ad omnem naturalem generationem modo non naturali. 115
Deus ex ſe infinita poteſt actu producere. 104
Deus eſt optima ſubſtantia per intellectionem ex Ariſtotele. 77
Deus ſolus immediatè producit animal ex putri. 286
Deus quomodo dicatur eſſe in cælo. 146
Deus cur ab Aegyptijs per circularem figuram ſignificaretur. 139
Deus cur in maximo circulo cæli, ab Ariſt. collocatus. 141
Dei operationes ad intra quot ſint. 335
Dei operatio vna conſtituit & Patrē, & Filium. ibid.
Deum cognoſcere proprium eſt hominis. 353
Deo non conuenit cuſtodia munus. 424
Dei concurſus ad actiones creaturarum, diuerſa eſt actio à cuſtodia earundem. ibid.

Deus

Deus vltor pauperum,& quamobrem. 350.351.352
Dimenſiones cur tres tantummodo. 159
Difficultatis,quæ in cognitione noſtra reperitur, cauſſa tota eſt in noſtra imbecillitate. 239
Difficultas noſtrarum cognitionum, à qua imperfectione intellectus oriatur. 246
Difficultas actionum eſt ex parte paſſi. 243
Diſponens materiam introducit formam conſecutiuè tantum. 287
Diues cur Aſino ſimilis. 353.354
Diuitiæ rudes, & improbos homines reddunt. 351.352
Diui Thomæ ſententia de cauſſa difficultatis,quæ eſt in addiſcendo, quibus rationibus fulciatur. 238
Doctrina propria ſenum. 219
Doctrinarum diſtinctio, vnde ſumatur. 97
Doctrina hominum & poſt mortem durat. 308
Dolor præſens motum quomodo diuellat. 378
Dolor eſſe habet ſucceſſiuum, non permanens. 207
Dolores magni, cur fletum cohibeant. 42
Dormire cum amata,omnia idiomata acceperunt pro frui illa concorditer. 256
Dormire ſimul non appetunt amantes, vt vigilias tollant ex amore naſcentes. 257
Dormitio quomodo appetatur ab amantibus. 259
Dormitio amantium ſimul facta quid virtualiter includat. 261
Dormitio confidentiæ ſignum. ibid.
Dormitio amantium ſupponit in vtroque adæquatum præmium amoris. 258.259
Dulcia cur valde nutriant. 129.130
Dulcia vina ex melle, vel faccis condita,deobſtruunt. 135
Dulcia vina,quæ mala. 135

E

Effectus idem ſpecie, quomodo à pluribus ſpecie cauſſis gignatur. 154
Effigies propria fœminarum. 38
Effigies propria maſculorum. 38
Egenus verecundus cur malus. 408.409.410
Egeſtas perturbationũ domatrix. 410
Egeſtas virtutum magiſtra. 411
Electio ſecundum rationis dictamen facta propria eſt virtutis actio. 183
Elementorum propria loca. 68
Elementa à quanam cauſſa ita fuerint diſpoſita,vt modo ſunt. 70
Eſſe verum,& perfectum animæ rationalis,eſt eſſe in corpore. 306
Eſſendi modus,vnus eſt cuiuſlibet rei. 305
Eſſentialis potentia,quæ. 311
Ethnici cognouerunt reſurrectionem mortuorum. 307
Exiccatio corporis neceſſaria prouenit à calore innato. 459
Experientia duplex. 221
Experientia rerum incomplexa neceſſaria omnino ad ſcientias. 221
Experientia ad Prudentiam neceſſaria. 216
Experientia ad ſcientias neceſſaria eſt ſecundum quid. 224
Experientia alienæ prauitatis ſuſpicioſum reddit hominem. 231
Experientia ex ſe non poteſt ſcientiam parere. 223
Experientia non eſt cauſſa totalis, neque partialis ſcientiæ. 223
Experientia non oſtendit neceſſitatem in rebus. 223

b Exte-

Digitized by Google

Exterior actus non neceſſario ad virtutem requiritur. 183
Extremorum duplex differentia. 228
Ab Extremo ad extremum an liceat pertranſire non tranſeundo per medium. 227
Extrema non ſunt vniuerſalis propoſitio,& ſimplex apprehenſio terminorum. 227

F

Fama omnis cara eſt mortuis. 306
Fames quid ſecundum Ariſtotelem. 204
Fames quid ſecundum Galenum ibid.
Famem qua cauſſent. 205
Famis triſtem ſenſationem, quid immediatè cauſſet. 207
Fames non propriè chylo ſatiatur. 209
Fames magna, cur exigua comeſtione ſatietur. 210
Famis dolorem non efficit alimenti indigentia propriè. 206
Famis dolorem non facit frigiditas melancholia quam ſplen eructat in ventriculo. 206
Famis dolorem non facit immediatè ventriculi diuulſio à ſuctione procedens. 206.207
Fames oritur ex conſumptione chyli, & ex conſumptione humidi ſubſtantifici ventriculi. 207
Fames magis proprie ad appetitũ pertinet, quam ad ſenſum. 210
Fames cur dicatur appetitus calidi & ſicci. 211
Fames cur in ſolo ventriculo ſentiatur. 212
Farina tritici valde nutrit. 61
Farina triticeæ temperies. 61
Farina triticea medullifica. 61 62
Faſtus quid. 172
Fatum, & Natura, quomodo differant. 7
Fatum quid. 8
Felicitas quid. 168
Felicitatem ſola virtus parit. ibid.
Felicitatem quanam deſiderabiliorem reddant. ibid.
Felicitatis ſuſtentaculum. 182
Felicitatem ſolæ magnæ calamitates deſtruunt. ibid.
Ferrum ignitum non vrit propter denſitatem per ſe. 151
Ferrum non ſponte mouetur ad magnetem, vt grauia ad centrum. 390. 391
Ferrum non accipit vim mouendi ſe ad magnetem, a ſpecie ſpiritali magnetis. 391
Ferrum dum ad magnetem mouetur, quomodo dicatur naturaliter moueri. 393
Ficus qua ratione præcoces fiant. 190
Ficus arbores, quomodo ſerotinæ fiant. 190
Ficus quomodo per totum annum produci poſſint. 190
Fidelitatis canum exempla. 402
Figura ſphærica, elementis omnibus apprimè conſentanea. 68
Filij ſunt vinculum Amicitiæ coniugalis. 169
Filij cur difficilius probi fiant, quam eorum patres. 52
Filiorum dolores ſunt patri acerbiores proprijs. 52
Filij patre improbo geniti cur peiores illo euadant. 53.54
Finis vltimus amantium. 258
Finis vltimus amantium non eſt frui re amata. ibid.
Finis ſub conſultationem non venit. 199
Flores nonnulli cur vna cum Sole circumuertantur. 396 397
Flores non mouentur ad motum Solis vt va-

vi vaporum. ibid.
Fletus cur ſomnum afferat. 43
Fluxus temporis quomodo à nobis cognoſcatur 315
Fœcunditatis cauſſæ. 80
Fœmina quomodo primò gigni poſſit virilibus membris prædita. 39
Fœtus cur aliquando ſimilis ſit ijs, qui nihil ad generationem contulerunt. 37
In fœtu latent imagines & ſpecies parentum. 36
Fonſecæ inconſtantia. 228
Fonſecæ inconſtantia. 240
Fonſecæ erratum de cauſſa cur res minima cum difficultate cognoſcantur. 244
Fonſecæ error de neceſſitate experientiæ ad ſcientias. 227
Fonſecæ error de cauſſa prima animalium ex putri genitorum formam producente. 286
Fonſecæ error de cognitione ſingularis. 322
Formam introduci ab eodem quod materiam diſponit, quomodo ſit intelligendum. 286
Forma rerum ab alia forma immediate producitur, non à qualitatibus. ibid.
Forma cur dicatur principium potentiarum. 414
Fortitudo quid. 171
Fortis homo, cur cæteris potior. 186
Fortis vir ille non eſt, qui ſui duntaxat cauſſa pugnat. 181
Fortitudo difficillima virtus. 182
Fortitudo fœlicitatis ſuſtentaculum. ibid.
Fortitudo vniuerſaliſſimum bonum inter virtutes cæteras. 180.181
Fortitudinis præſtantia. 173
Fortitudo fortunæ dominatrix. 183
Fortitudini ſoli inter virtutes, ſtatuas videtur erexiſſe antiquitas. 182
Fortitudo in Deo miranda. 183
Fortitudo Heroum propria. 182
Franciſci Petrarchæ miſeria. 262
Franciſcus Piccolomineus Auctoris Preceptor. 18
Fructus ferè omnes vbinam ſponte naſcantur. 274
Fruitio rei amatæ, quomodo miſeriam pariat. 372
Fundamentum potentiæ peccandi voluntas noſtra. 3

G

GAleni opinio de cauſſis effigiei enarratur. 31
Galeni opinio de cauſſa effigiei reijcitur. 31.32
Garrulæ mulieres, cur. 228
Garrulorum hominum temperamentum indicatur. ibid.
Gemitus & ciulationis finis, qui ſit. 368
Generatio naturalis non dat eſſe ſimpliciter. 106.
Generatio duplex, vniuoca, & æquiuoca. 273
Generatio vniuoca nobilior eſt æquiuoca, & quamobrem. ibid.
Generatio æquiuoca animaliũ, à Deo immediatè perficitur. 286
Generari æquiuocè cur homo non poſſit. 280
Genita ex ſemine, & ex putri sũt eiuſdem ſpeciei. 278
Generatio perfectorum animalium, cur lõgiori indigeat tempore, quam imperfectorum. 280
Generoſi vini nocumenta. 134
Gentiles mortuorum reſurrectionem cognouerunt. 306 307
Genua cur timore ſoluantur. 125
Glaucus color qui. 9
Glauci cur melius noctu videant, quam

quam interdiu. 11.& 14
Glaucitas indicium Prudentiæ atque ſapientiæ. 17
Glaucitatis cauſſæ ex Galeno. 13
Glaucitatis potiſſima cauſſa ſpiritus animalis ſplendor. 13
Glaucitas cur Palladi attributa. 17
Glaucorum, ſimul & ſapientum hominum nonnulla exempla. 17
Grammatica Hebræorum in ternario occupatur. 163

H

Habitum tria conſtituunt. 162
Heleniſ ſpecies tres. 88.89
Heracliti ſententia, de cauſſa difficultatis quæ eſt in addiſcendo. 236
Eiuſdem rationes. 237
Heracliti, opinio de cognitionis difficultate refellitur. 242
Hercules Taſſus. 18
Herculis Taſſi aurea ſententia. 181. 187.225
Hieronymus Pallanterius. 18
Homerus quanti faciat Medicos. 92
Hominis diuinitas eſt in cauſſa vt illi familiare ſit ſternutamentum. 434
Homo vitioſus quomodo ſit omni fera deterior. 439
Homo quomodo ſit omnium animaliū imbecillimus. 440
Homo quomodo ſit omnium animaliū robuſtiſſimus. 439
Homo ſolus inter animalia cum difficultate vtitur proprijs viribus. 440
Homines à quanam cauſa moti ad vrbes catuſque congregandos. 435
Hominis ingens robur ſupra cætera cuncta animalia. 436
Homo inter cætera animalia maximè cuſtodia indiget. 426.427
Homo quilibet ſuam habet cuſtodientem intelligentiam. 429
Homo ludus Deorum ſecundum Platonem. 438
Homo quomodo dicēdus ſit eſſe ludus Deorum. ibid.
Homo ſolus cum difficultate finē ſuū conſequitur. 427
Humanæ imbecillitatis cauſſa. 442
Homo cur habere nequeat æquiuocam generationem. 280
Homo appetit immortalitatem. 297
Homo cur nihil cognoſcat niſi per ſenſum. 330
Homo quomodo ſingulare cognoſcat. 322
Homo totus perfectior eſt anima. 306
Homo pluribus præditus eſt facultatibus, quam anima ſeparata. ibid.
Homo, & Angelus diuerſo modo ſingulare cognoſcunt. 322
Homo per accidens fertur in vitium. 57
Homo per ſe fertur in virtutem. ....
Homo per accidens vitam à ſenſibus auſpicatur. 57
Homo duos in ſe rerum gradus continet præcipuos. 55
Hominem eſſe ad virtutem aut ad vitium procliuem quomodo ſit intelligendum. 55.56
Hominū polum habitātiū figura. 291
Homines vt plurimum de rerum veritate ſuſpicantur, quam vere ſciant. 232
Honor cui debeatur. 177
Hordeum parum nutrit. 60
Horti Alcinoi fabuloſi non ſunt. 190

I

Actantia quid. 172
Iauelli inconſtantia. 279.228
Iauelli error de cauſſa cur parua difficulter cernantur. 241
Ignis nullum proprium motum habet ſecundum Valleſium. 152

Igno-

Ignorantia duplex in peccando. 6
Ignorantia aliqua ſemper annectitur peccato. ibid.
Ignorantiæ, morborumque corporis ac comodata comparatio. 225
Imaginationem generantium non eſſe totalem cauſſam effigiei ipſius geniti oſtenditur à pag. 22. vſque ad pag. 28
Imaginatio non habet vim immutandi temperamentum. 24
Imaginatio generantium, quantum roboris habeat pro effingenda forma geniti. 20. 21. 22
Imago vnius cuiuſque hominis quomodo remaneat in anima ſeparata. 319
Imbecillitas facultatum duplex. 450
Immateriales ſubſtantiæ ſunt in triplici differentia. 158
Immaterialium rerum perfectio in ſimplicitate conſiſtit, materialium in compoſitione: & quamobrem. 282. 283
Immortalitatem quomodo ſpreuerit Vlyſſes. 265
Impar numerus incorruptibilis. 257
Imperfectio naturæ noſtræ nos ſuſpicioſos facit. 232
Imperfectæ res quomodo dicantur parum habere veritatis. 244
Inanimata non defatigantur. 449
Inanimata reguntur ab intelligentia non errante ſecundum Ariſtotelem. 422
Inanima non agerent propter finem, niſi regerentur ab intelligentia. 420. 422
Incorporea quomodo non indigeant loco. 329. 330
Indiuiduatio rerum à Deo effectiuè pendet, & immediatè vt à cauſſa totali. 114. 115
Indiuiduatio effectus à Deo ſolo eſt, abſque concurſu ſecundorum agentium. 2
Infinita actu, cur à potentia infinita Dei produci non poſſint. 104
Inopia ſignum bonitatis. 351
Inſolita timorem non cauſſant quatenus inſolita, ſed admirationem. 383
Intelligentiarum regimen neceſſarium eſſe rebus omnibus inanimatis omnes philoſophi confeſſi ſunt. 421
Intellectio Dei, eſt Deus. 77
Intellectio Deo propinquior voluntate. 77
Intellectio Dei, eſt intellectionis intellectio. 77
Intellectus ſemper approbat abſolutos actus voluntatis dum eliciuntur. 6
Intellectus, & voluntatis conſpiratio. 7
Intellectus cur facilius cognoſcat perfectiora imperfectioribus. 244
Intellectus quomodo dicatur creſcere. 301
Intellectus nō defatigatur agendo. 451
Intellectus, vt ex ſe aliquid intelligat indiget determinante aliquo. 222
Intellectus perfectio duplex. 245
Intellectus quomodo ſit ſimilis materiæ primæ. 242
Intellectus imbecillitas ad intelligendum, in quo conſiſtat. ibid.
Intellectus improportio ad res ipſas, ex illius imperfectione naſcitur. 241
Intellectus cognitis terminis per ſimplicem apprehenſionem, principia complexa conſtituit. 226
Intellectus mutatur cum conſtituitur in potentia accidentali intelligendi. 31?
Intellectus cognoſcit ſingularia per lineam rectam ex Ariſtotele, vniuerſalia vero per circunflexam. 324
Intellectus cum ſenſibilia conſiderat, quodammodo extenditur. 324
Intellectus vniuerſalia conſiderans, quodammodo redit ad ſe ipſū. 324

Intel-

intellectus dum actu intelligit, cur phantaſmata etiam nos ſimul conſideremus. 313
intellectus agit per modum naturæ. 311
intellectus poſt hominis mortem poteſt omnia intelligere, quæ prius intelligebat. 313
intellectus & ſpecies intelligibilis ſunt duæ cauſſæ efficientes partiales intellectionis. 311.312
intellectus ad conceptum producēdum ſe habet vt mas ſpecies intelligibilis vt fœmina. 312
intellectus ſolus non producit ſpeciem. 328
intellectionem quæ cauſſent. 327
intellectio requirit obiectum preſens. 310.311
intellectio non fit ſine ſpecie intelligibili. ibid.
intelligentia cælum mouens non poteſt attingere formam animalium genitorum ex putri. 285
intelligentia nil aliud hic inferius producit immediate, niſi motum. ibid.
intelligere Dei eſt abſque ſucceſſione, & labore. 77
inuidia ſuſpicioſum hominem facit. 231
ioannis Baptiſtæ Ramnuſii rara obſeruatio de nobilioribus plantis ſponte naſcentibus. 274
ioannis Baptiſtæ Portæ error. 14
io Baptiſtæ Peſſenini impietas,& ignorantia. 93
io.Iacobus Perſonenus Auctoris Pater. 17
iræ effectus varij. 122
iudicium bonarum malarumque operationum etiam improbis rectum. 347
iuniores imprudentes ſecundum Homerum. 215
iuſtitiæ excellentia. 176.177
iuſtitia Fortitudini nobilitate cedit. 179

L

LAbor quid. 141
Lachrymæ præ letitiæ fluentes pro prie tenere cur dicantur. 375
Lachrymæ cur præ riſu effluant. 42
Lachrymarum natura. 41
Lachrymarum vnde tanta quandoque copia. 42
Lætitia quomodo ſit cauſſa lachrymarum. 374
Laurentij Iuſtiniani laus. 220
Laus cui debeatur. 177
Leuitici locus peregrinè explicatus. 263
Liberalitas quid. 172
Liberalis eſſe poteſt pauper non minus atque diues. 183
Liberalitatis duæ cauſſæ externæ. 444
ad Liberalitatem qui ſint à natura proni. 444.445
Liberalitas nobilior Iuſtitia. 178
Localis motus triplex. 159
Locus ex tribus conſtituitur. 162
Locus capitis primi Geneſeos optimè explicatus. 275
Locus capitis 13 ſecundi libri Regum explicatur. 260
Locutio cur data hominibus. 368
Loquendo nos arbitramur ipſos conceptus expromere non ſignum tantum. 368
Logicæ triplex obiectum. 163
Logica in ternario occupata. 163
Lucerna ſapientiæ ſymbolum. 119
Lucis præſtantia. 142
Lucis,& Dei ſimilitudo. 142
Luctus quomodo lætitiam afferat. 85
Luctus cur ſemper moleſtus à cibo.

bo. 86
Luctus in Aurora cur non ſemper moleſtus. 86
Lumen non illuminat, & calefacit in eodem genere cauſſa. 154
Luna duplici lumine ſplendet. 148. 149
Luxuria inopia mater. 352
Luxus quid. 172
Lybia ſitus. 79

M

MAcrobij opinio de nectare confutata. 136
Magnanimitas quid. 172
Magnanimitatis obiectum. 180
Magnanimitatis excellentia. 175
Magnanimitas duplex. 180
Magnanimitas non eſt omnium virtutum nobiliſſima. 180
Magnanimitas quomodo quid ſummum. 184
Magnes verè trahit ferrum. 394
Magnes cur ferrum trahat opinio Galeni. 389
Magnes non ideo ferrum trahit quia ferrum ſponte moueatur ad magnetem. 390
Magnes trahens ferrum fit vnum cũ ferro. 392.393
Magnes cur magnetem non trahat. 394
Magnes cur nõ moueatur ad ferrum. 393
Magnes trahit ferrum propter bonum totius reſultantis ex ipſo magnete, & ferro. 393.394
Magnes quomodo conuertatur ad polum. 399
Magnetis tremoris in perpendiculo cauſſa. ibid.
Magnes ferrum trahit per ſimilitudinem, & quomodo id ſit intelligendum. 391
Magnes cur ad polum vertatur opinio Affaitati.reiecta. 395
Magnes cur vertatur ad polum opinio Fracaſt.reiecta. 396
Magnetis ſimilitudo cum ſtella polari rationibus defenditur. 398
Magnetis ad polum conuerſionis vera cauſſa. 396
Magnificentia,quid. 172
Magnificentiæ ornamenta. 174
Malitia cur hominem ſuſpicioſum reddat. 221
Manſuetudo quid. 172
Manſuetudinis efficacia.& prærogatiua. 175
Manſuetudo homini propria. 175
Manſuetudo cur nobis Deum conciliet. 184
Manus quomodo dicatur inſtrumentum ante inſtrumentum. 440
Mare cur vomitum conciteṭ. 247
Mas quomodo primo gigni poſſit fœmineis membris præditus. 39
Materia varietas,quomodo varietatem requirat formarum. 276
Materia quomodo dicatur eſſe in potentia. 243
Matres cur magis filios diligant, ex Ariſtotele. 359
Media zona habitatio cognita ab antiquis. 80
Mediam Zonam inhabitabilem eſſe, quid perſuaſerit. 80
Medici Aegyptij omnibus ſcientijs operam dabant. 94
Medicina præexigit Philoſophiam, aliaſque nobiliores ſcientias, a. 94 *vſque ad.* 122
Medicinam artem eſſe, quibus rationibus oſtendatur. 94 25
Medicinam ſcientiam eſſe, quæ rationes perſuadeant. 95.96
Medicina nõ rectè diuiditur in Theoreticam,& Practicam. 97
Medicinæ Aſtronomia neceſſaria 100

Me-

Medicina Geometriam, & arithmeticam requirit. 100
Medicina quantum conferat Philoſophia de moribus. 101
Medicina laus Homerica. 92
Medicina non rectè diuiditur in docentem, & vtentem. 98
Medicina tota Practica eſt & ars, nō ſcientia. 98
Medicina ad Philoſophiam ita ſe habet, vt forma artificialis ad naturalem. 99
Medicina non ſubalternatur Philoſophiæ. 99.100
Medici cur Phyſici nuncupentur. 99
Medicus nemo fieri poteſt qui prius Philoſophus non exiſtat. 99
Medicus optimus, quantum cæteris hominibus præſtet. 101
Medici quam pauci, qui Medicinæ excellentiam agnoſcant. 102
Medicus verè dicitur ſciens, cum tamen Medicina non ſit ſcientia. 100
Mediocritas in actionibus ſeruanda, quæ ſit. 196
Mediocritatis Arithmetica & Geometrica exemplum. 201
Medium duplex. 227
Medij per participationem natura. 228
Medium virtutis quomodo comparetur. 339
Memoria quomodo ſit in parte intellectiua. 315
Mendacium triplex. 356
Mendacium quid. ibid.
Mendacium omne cur deteſtandum. ibid.
mendacium omne Homero inuiſum. 355
mendacium materiale minimè malum. 356.357
mendacium difficile. 356
mendacium omne, quomodo fiat mortale. ibid.
mendax deterior eſt adulteratore monetæ. ibid.
mens quomodo augeatur, ac minuatur. 301
Mentem humanam in dies mutari, quo ſenſu intellexerit Homerus. ibid.
menſura rerum tres. 159
minerua cur Glaucopis dicta. 16
miſeria amantium quales. 322
monaſtica tripliciter hominem diſponit. 165
monſtrum quid. 26
montani Veronenſis error de cauſſa cur terra ſupereminеat aquis. 64
moralis Philoſophia in tres partes diſtincta. 163
mortem qua de cauſa dicantur ſapientes appetere. 305
mortis ineuitabilis cauſſa exiccatio. 456
mortui amant vt ſui memoria apud viuos maneat. 306
mortuorum reſurrectio lumine naturali cognoſci poteſt. ibid.
mortuorum animæ quo inter ſe imagine differant. 325
mortuorum animæ non poſſunt naturaliter futura prauidere. 326
mos, & propenſio, quomodo differant. 251
mos quid. ibid.
motus triplex. 137
motus genitorum, quomodo ſaluantur. 39
motus circularis cur perfectiſſimus omnium. 140
motus in voluptatibus colligitur. 377
mulieres citius, ac intenſius viris amant filios, ſed citius etiam amori obliuiſcuntur. [illegible]

muſi-

Muſica circa tria occupatur. 163

N

Natura primaria eſt morborum curatrix. 225
Naturale lumen intellectus ex ſe poteſt omnem ſcientiam adipiſci. 225
Naturale lumen intellectus quibus auxilijs ſcientias acquirat, ſine experientia. 225
Natura ſicuti eſt prima morborum curatrix, ita eſt prima cauſſa addiſcentiæ. 225
Naturæ munera, ſunt munera Dei. 249
Naturalem potentiam tria conſtituent. 162
Nauigantes mare cur vomitum patiantur. 248
Neceſſarium dupliciter dicitur. 223
Neceſſitatis connexionis, aut diuiſionis terminorum vnde eluceſcat. 227
Nectaris plures ſpecies. 132
Nectar potus Deorum, verè homini vitam prorogat. 134
Nectar Deorum ex vino rubro conficiebatur. 135
Nectaris potus Deorum compoſitio, & qualitates. 134
Nepenthes quid ſit. 89.90
Nepenthes Selimo Turcarum Imperatori notum. 87
Nepenthes eſt ſpecies quadam Helenij. 88
Neptunus maris dominus apud antiquos. 63
Nihil ex nihilo fieri, quomodo ſit intelligendum. 105.106
Nobilitas generis quid. 54
Nobiles ad virtutem eſſe propenſos, quomodo ſit intelligendum. 54
Nomen Domini admirabile ex tribus litteris conſtat diuerſis. 163
Nominis Domini admirabilis pulchra explicatio. 163
Nox quid ſit apud Homerum. 289
Nox cur Diuina dicatur. 118. 119. 120
Nox ſapientiæ parens. 118
Nox immortalis cur dicatur. 117. 119. 120
Nox domatrix Deorum dicta à Poeta. 117
Nox cur dulcis dicta. 117
Nox Romanis, & veteribus Dea habita eſt. 117
Nox à curis liberat. 119
Nox mortis iter retardat. 120
Nox quantum ex ſe eſt homines immortales reddit. 120
Numeri imparis perfectiones. 157
Numerorum perfectio in quo numero collocanda. 157
Numeri ſunt rerum eſſentia ſecũdum Pythagoricos. 156
Numeri bifariam conſiderari poſſunt. 156
Numerorum perfectio non in maximo numero, neque in medio eſſe poteſt. 152
Numerus numeratus nil aliud eſt, niſi res ipſa. 159
Nutritio ſemper minus humidas reſtituit partes prioribus. 460

O

Obiectum recordationis duplex. 314.315
Obiectum proximum recordationis eſt actus præteritus noſter. 314
Obiectum externum ſolum poteſt abſque phantaſmate imprimere in anima ſeparata nouam ſpeciem. 324
Obiectum reſpectu potentiæ, ſe habet vt motiuum, ad mobile. 245

Digitized by Google

Oculi cur ignei fiant iratis. 122.123
Odorata ſtomacum roborant. 130
Oeconomica circa tria verſatur. 163
Omnia quomodo dicantur æquè facile cognoſci. 246
Omnipotentia, quot modis ſumatur. 103
Operatio exiſtentiam rei ſupponit. 297
Operationes ſunt imagines naturarum operantium. ibid.
Operationes formam indicant. 278
Operationes Dei ad intra nō tres ſunt, ſed duæ tantum. 335
Operatio rerum eſt imago perfectionis earundem. 336
Oues cur ter in anno pariant in torrida Zona. 80
Ouium temperies. 80
Ouium vita. 81
Oues quanto tempore ferant. 78
Oues cur in Lybia cornutos agnos pariant. 79
Oxymelitis ex fauis mellis præſtantia. 134

P

PAr numerus cur impari imperfectior. 157
Partes animalis principes tres. 159
Partus cur patri magis, quam matri ſit ſimilis. 37
Partus cur aliquando ſit matri ſimilior, quam patri. 37
Partus cur aliquando Auum, aut auiam repræſentet, non patrem, aut matrem. 38.39
Partus, qui nullum parentum, aut maiorum refert, monſtrum eſt. 37
Partus cur aliquando in ſexu patri ſit ſimilis, in effigie vero matri, & è contra. 37.& ſeq.
Partus cur aliquando in aliquibus partibus patri, in nonnullis matri ſit ſimilis. 38
Partus, quomodo poſſit eſſe ſimilis parentibus in temperamento. 39
Partus quomodo in omnibus partibus ſimilis fiat patri, aut matri à. 33. vſque ad. 40
Paruitas obiecti viſibilis non eſt in cauſa cur difficulter videatur. 241
Parū intelligi, & difficile intelligi quomodo differant. 244
Pater facilius ſe ipſum probum reddet, quàm filios, & quamobrem. 53
Pater improbus, maximum filiorum infortunium. 54
Pater minus matre filios amat, at conſtantius. 362
Patria quid ſit. 265
Patria naturaliter amatur. 267
Patria vnicuique iucunda. 168
Patria vis magna in immutandis hominum naturis. 268
Patriæ character vnicuique impreſſum. 268
Patria parentis nomen meretur. 268
Patria nobis ſentiendi potentias, quomodo largiatur. 270
Patriam Socrates confeſſus eſt. 271
Patriam Hercules non negauit. 271
Patriam cur magis ament diuites, quam pauperes. 271
Patriæ facies, cur omnibus iucunda. 269
Patriæ vis occulta ad amorem eliciendum, in quo conſiſtat. 269
Patria omnibus vtilis. 269
Patriæ munera miranda. 269.270
Patria quomodo nobis ſit cauſſa voluptatum primarum. 270
Paſſio ex tribus conſtituitur. 162
Paupertas ingenium acuit. 352
Paupertas antiquis Dea. 352
Paupertas probitatis ſignum. 351

Pauperes ſunt à Deo. 349
Pauperes cur à Deo tantopere diligantur. 352
Pauper cur verè homo dicendus ſit. 353
Pauper cur bonus vt plurimum. 352
Pauperes vt plurimum ſunt boni. 351
Pauperum cur Deus ſit proprius vindex. 350.351.352
Pauper poteſt eſſe Liberalis atque magnificus. 183
Peccatum non eſt mera negatio. 3
Peccandi potentia duplex. 3
Peccatum à Deo non eſt. 4
Peccata hominum cur à ſtultitia prouenire dicantur. 7
Peccata præter fatum ſunt. 8
Peregrinatio quomodo Prudentiam pariat. 345.346
Peregrinatio quomodo moralem doctrinam doceat. 346
Peregrinatio etiam improbis vtilis. ibid.
Peregrinationis dignitas. 344
Peregrinantes doctiores, ac prudentiores conſpiciuntur. 345
Peregrinorum commercium an ciuitati rectè inſtitutæ ſit inutile. 348
Peregrinatio quibus inutilis. 347
Peregrini facilius aſſueſcunt bonis operationibus, quam manentes in Patria. 347
Peregrini formam ſæpe Deus aſſumpſit. 415
Peregrinos cur Deus amet. ibid.
Peregrinorum vita valde ſimilis Deo. ibid.
Peregrini omnes ſumus. 415.416
Perfectionis gradus in qualibet re inueniuntur. 388
Perfecta dimenſio ex fluxu ſit imperfectioris. 159
Perfectio noſtrarum cognitionum duplex. 239
Perfecta cognitio ſecundum proportionem duplex eſt. 245
Perfectiora animalia, cur difficiliorem habeant generationem. 283
Perfectiora nonnulla ſunt magis ſenſibilia: ſed id eſt per accidens. 246
Perfectio intellectionis duplex. 243
Perfectio operationis ſenſitiuæ quæ. 195
Phæacia inſula quæ. 187
Phantaſma effectiuè producit ſpeciem intelligibilem. 321
Phantaſma quomodo concurrat ad ſpeciei productionem. 328
Phantaſma verè agit in intellectum. 328
Phantaſma ad ſpeciei intelligibilis productionem non concurrit vt materia determinans agentem cauſſam. 328
Phantaſma non poteſt eſſe principium proximum intelligendi. 310
Phantaſma non ſufficit ad cognitionem ſingularis. 322
Phantaſmata quomodo ſint neceſſaria ad intellectionem. 313
Phantaſmata non ſunt neceſſaria per ſe ad intelligendum, ſed tantum per accidens. ibid.
Philalthæi leuitas in Homero reprehendendo. 289
Philoſophia non refertur in Medicinam licet Medicina præexigatur. 99
philoſophia naturalis tria conſiderat. 163
piccolominei ſententia de virtutũ principatu reiecta. 178
pir.. quomodo verno tempore produci poſſint. 189
planetæ non retardantur à motu ſuo, ob diurnum motum. 144
plantas quomodo Deus creauerit. 276
plantas omnes ſponte naſci poſſe, pulcherrima ratione probatur. 273

plutarchi opinio reiecta de cauſa cur magnes ferrum trahat. 395
poli partes habitabiles ſunt. 290
polum habitantes homines cuius ſint figuræ. 291
politicæ tria officia. 163
poma quomodo per totum annum habeantur. 190
potentia proportio ad obiectum requirit diſſimilitudinem cum eo. 245
potentia peccandi fundamentaliter eſt à Deo. 4
potentia peccandi formaliter non eſt à Deo. 4
potentia peccandi formaliter ſumpta nihil eſt. 4
potentia irrationalis, quomodo in obiectum rationalis feratur. 194
Potentia rationalis dupliciter intelligitur. 194
potentia irrationalis quomodo rationalis reddatur. 194
potentia accidentalis ſupponit actum accidentalem. 310
De potentia eſſentiali ad potentiam accidentalem tranſitus fieri non poteſt ſine acquiſitione formæ alicuius abſolutæ. 310
potus ex vino rubro, fauis mellis & floribus odoratis confecti præſtantia. 134
primus finis eſt Deus. 75
prima efficiens cauſſa non poteſt agere ex neceſſitate naturæ. 75
primo cognitum eſt ſingulare. 321
principium facultatis cuiuſlibet duplex eſt. 27
principium quo facultatum. 27
principium quod facultatum. 27
principia prima non requirunt neceſſario experientiam vt cognoſcantur. 223
principia prima ab intellectu ſumantur ex cognitione ſimplici terminorum. 226
principia minus communia ſunt concluſiones communiorum. 223
priuationes quomodo ſentiantur. 208
propenſio quid. 251
propenſio ad virtutem, cur ſemen virtutis dicatur. 251
propenſio ad prudentiam eſt à natura. 218
proportio quomodo differat à ſimilitudine. 245
proxima virtutum cauſſa, aſſuetudo. 251
prudentia multiplex. 191
prudentia virtus quid. 191
prudentiæ neceſſitas. 196
prudentiæ ſubiectum. 196
prudentia non eſt virtus moralis. 196
prudentia vltimum cur dicatur principium virtutis. 196
prudentiæ, & virtutum moralium neceſſaria connexio oſtenditur. 196
prudentiæ officium. 196
prudentia ſine virtute morali non acquiritur, nec actus virtutis editur ſine prudentia. 196
prudentia quomodo per Philoſophiam contemplatricem acquiratur. 218
prudentia quomodo à natura dicatur nobis inſeri. ibid.
prudentiæ actiones exactam certitudinem non habent. 198
prudentia mixtus habitus non eſt, ſed ſimplex. ibid.
prudentia nos non diſponit erga finem honeſtum. ibid.
prudentia tribus modis comparatur. 217.218
prudentiæ actum præcedit conſultatio. 199
prudentia quomodo exercitatione comparetur. 218
prudentia dupliciter homini conuenit. 200

Digitized by Google

prudentia perfecta quæ. 200
prudentia imperfecta quæ. ibid.
prudentia perfecta non ſtat ſine virtutibus omnibus. ibid.
prudens conſilijs abundat. ibid.
prudentia ſenum propria. 216
prudentia imperfecta conſilij abundat. 201
pudor quid. 407
pudor malum actum ſupponit. ibid.
pudor non cadit in virum probum. ibid.
pudor in egeno cur non conueniat. 408
pudor neceſſario ſeiungitur ab omnibus virtutibus, aut ſaltem ab aliqua. 413
pudor quomodo virtus dicatur. 414
pudor cur laudabilis. ibid.
pudor virtus non eſt. 413
pudor in egeno vitioſum habitum denotat. 410
pudor in egeno, ſignum prauitatis. 409
pudor in adoleſcentibus cur conueniat. ibid.
pudor in ſenibus cur minimè conueniat. ibid.
pudore affecti cur auribus erubeſcãt. 122. 123
pueri cur glauci. 14
puncti, lineæ, & ſuperficiei ſimilitudo. 160
puncti tria officia. ibid.

Q

QValitates agentis non introducũt formam. 287
Qualitatis ſpecies omnes in trino numero perfectæ. 162
Quando, tres habet differentias. ibid.
Quantitas ſucceſſiua triplex. 159
Quantitas triplex. ibid.
Quaternarius numerus cur Dei prorius rationes Fontana. 334
Quaternarius numerus Dei attributus ab Homero. 332. 332
Quaternarius numerus, cur Diuinis operationibus attributus. 336
Quies rerum triplex. 159

R

RAdij ſolares non poſſunt aerem diſgregare. 153
Raritas, & denſitas non ſunt qualitates actiuæ. 150
Raritas, aut denſitas non eſt cælo præternaturalis. ibid.
Rarò fieri quid propriè dicatur. 277
Ratio ex ſui natura non requirit ſocietatem ſenſus. 57
Rationalis pars duplex in homine. 215
Recipiens quomodo denudatum eſſe debeat à natura recepti. 149
Reciprocus amor quæ poſtulet. 261
Recordatio quid. 314
Regimen intelligentiæ quomodo dicatur eſſe magis neceſſarium rei minus cognoſcenti. 423
Recordatio ad quam facultatem pertineat. 315
Recordationis obiectum duplex. 314
Reflecti ſupra ſe ipſum proprium eſt immaterialium. 297
Relatio ex tribus conſtituitur. 162
Remota cauſſa virtutum, quæ nam ſit. 251
Repugnantia, & non repugnantia terminorum ex ſe cognoſcitur. 226
Res quomodo verè tales eſſe dicantur, quales videntur. 302
Res omnes ſenſibiles, quomodo ſint in fieri perpetuo. ibid.
Res intelligi prout ſunt actu quomodo intelligendum. 243

Res minima entitatis cum difficultate intelliguntur ob ſolam intellectus imbecillitatem. 241.242

Res qualibet ex ſe facilis eſt cognitu. 240

Res materialis nulla ſupra ſe reflectit propriam operationem. 298

Rerum varietas eſt Dei imago quadā in illis relucens. 115

Res omnes ſuam perfectionem oſtendunt operando. 336

Reſpirationis cauſſa. 109

Reſurrectio mortuorum lumine naturali cognoſcitur. 306

Rhetorica circo tria verſatur. 163

Rhetorica quantum medicinæ conferat. 101

Ridentes cur lachrymas effundant. 42

S

Sanguinei cur liberales. 445

Sanguis vinculum animæ & corporis. 305

Sapientes cur rarò diuites. 352

Scientia omnis acquiſita in hac vita remanet in anima poſt mortem. 313

Scientiam quamobrem facilius acquiramus in alienis regionibus, quam in Patria. 345

Scientia quomodo de rebus corruptibilibus habeatur. 302

Scientia & Ars non poſſunt in vnam facultatem coaleſcere. 97

Scientia à poſteriori indiget experientia ſenſuum. 222

Scientia concluſionis non alia experientia indiget niſi fortè præmiſſarum. 223

Scoti optima ſententia. 228

Seminis, & medullæ ſimilitudo. 61.62

Semen ab omnibus partibus quomodo verè profluat. 35

Semen recipit ab omnibus particulis corporis proprias earum ſpecies. 33

Semen non decidit ab omnibus partibus. 28

Semen ad omnes partes corporis, quomodo accedat. 35

Semen viuit. 36

Semen vim habet ſpecierum retentricem. ibid.

Semen recipit vim formatricē ab omnibus corporis particulis. 34

Senes cur glauci. 14.15

Senes cur paruas res non rectè videāt. 244

Senes cur ſuſpicioſi. 231

Senes ſoli propriam ſibi Prudentiam faciunt. 218

Senes cur auari. 446

Senes cur laudatores anteacti temporis. ibid.

Senes facile præ gaudio pereūt, & quamobrem. 405

Senſus in brutis certior uidetur, quam in hominibus. 426

Senectutis commoda non ſpernenda. 219

Senſus per accidens iungitur rationi. 57

Senſus ſuctus eſt immediata cauſſa famis. 207

Senſus ſuctus ipſe eſt triſtis ſenſatio illa, quæ in fame reperitur. 207

Similitudo filiorum cum patribus in oculis, aut facie, cur non ſit ſignum fidum. 72

Similitudo quanam ſit ſignum fidum, cur hic ſit illius filius. 72

Similitudines quædam natorum cum parentibus, quæ nullo modo poſſunt ab imaginatione generantium cauſſari. 25

Similitudines patrum, quomodo in filiis

Digitized by Google

lijs lateant. 36.37.38
Singulare dupliciter cognoſci poteſt. 322
Singularitas à nobis non cognoſcitur adæquatè. 322
Sol vbique terrarum oritur, & occidit. 290
Sol non calefacit circumducendo ignẽ materialem. 152.153
Sol non calefacit aeris diſgregatione. 153
Sol quomodo concurrat ad rerum generationem. 286
Sol immediate, & per ſe calorem producit. 154
Sol eſſe cauſſa non potuit vt aqua in cauitatibus terræ deſcenderet. 70
Sol in Tropico Cancri, cur tardius moueatur. 82
Sol cur valde terram calefaciat cum eſt in Tropico Cancri. 82.83
Somni tempus varium. 364
Somni deficientis ſigna. 364
Somni immoderati indicia. 364
Somnus nimius qua ratione corpus diſſoluat. 364
Somnus cur à natura inſtitutus. 363
Somnus corpus reficit. 363
Sordes, quid. 172
Sortes à Deo mortalibus immiſſæ. 303
Species rerum vnde dignoſcatur. 278
Speciei ex ſe non repugnat eſſe in infinitis indiuiduis. 49
Species rerum ſpiritales quid ſint propriè. 32.33
Species ſpiritales à rebus fluentes, eaſdem vires habent, cum rebus ipſis. 34
Species partium in ſemen tranſmiſſæ quomodo concurrãt ad formandũ fœtum. 34.35
Species intelligibilis quomodo producatur. 348
Species intelligibilis eſt incorruptibilis. 312
Species intelligibilis non eſt ſuperflua. 322
Species intelligibilis primo ſingulare repreſentat. 321
Species intelligibilis neceſſaria ad recordationem. 314
Species intelligibilis principium intelligendi. 311
Species intelligibilis effectiuè conuerrit ad intellectionem. 311
Species intelligibilis neceſſaria eſt ad intelligendum. 310.311
Species intelligibilis eſt imago obiecti externi. 310
Species intelligibilis manet in intellectu poſt actum intelligendi. 311
Spiritus vitalis mortis cauſſa efficiens. 459
Sterilitatis cauſſæ. 80
Sternutamentum pro numine habitum apud veteres. 430
Sternutamento fercula reijcere, aut menſam ſubuertere, cur pro omine diro habitum fuerit. 431
Sternutantibus cur benè precemur. 431
Sternutamentum quid. 431
Sternutamentum etiam morbis thoracis confert. 433
Sternutamentum indicium robuſtarum virium. 433
Sternutamentum diuinitatis cuiuſdam ſignum. 433.434
Sternutet cur ſolus homo. 434
Stipula ſicca ſi difficulter comburatur, non eſt ex parte ignis, ſed ſtipulæ. 243
Subſtantia prima ſui diuiſione in tria diuiditur. 158
Subſtantiæ immateriales in triplici differentia. 158

Subſtantia materialis quomodo trina. 158
Subſtantia compoſita triplex. 159
Sub polo nunquam adeſt ſerenitas. 290
Succeſſiua quantitas triplex eſt. 159
Succeſſio nulla perfectuari poteſt ſine aliquo, quod non ſit illius ſucceſſionis. 45
Suctio alimenti in ventriculo facta quomodo ſenſum triſtem faciat. 208
Superior virtus quomodo dicatur omnia poſſe, quæ inferior. 281
Suſpicionis definitio Ariſtotelica. 231
Suſpicionis definitio Ciceroniana. 231
Suſpicionis cauſſæ tres ex Diuo Thoma. 231
Suſpicio quomodo homini naturalis. 233
Suſpicio eſt de peccato. 234
Suſpicio ex leuibus eſt indicijs. 234
Suſpicio ex malitia aliena experientia procedens minus mala, neque peccatum eſt. 235
Suſpicionis radix eſt humana libertas. 231
Suſpirium quid. 109.110
Suſpirij propria cauſſa. 110

T

Temperantia quid. 172
Temperantiæ nobilitas. 173
Temperantia quomodo Prudentiam ſeruet. 182
Temperantiæ pulchritudo quænam ſit. 183
Temperantia cur dicta σωφροσύνη. 182
Tempus quid. 377
Temporis longitudo & breuitas tanta nobis videtur quantus apparet & motus. 377
Tempus in voluptate cõſumptum cur breue videatur. 377
Tempus in calamitatibus cur longius appareat. 377
Temporis materialis forma. 159
Tempus vniuerſale, quod. 159
Tendentia intellectus in obiectũ quid ſit. 246
Teneræ lachrymæ propriè quæ dicantur. 374
Ternarij numeri nobilitas à pag. 157. vſque ad. 164
Ternarius numerus cur humanis operationibus ab Homero tributus. 336
Terram ab aqua contineri, quomodo ſit intelligendum. 67
Terræ diameter. 69
Terra aquam continet. 67
Thamar conſenſit Amnoni fratri ſecum peccanti. 260
Thomæ à Veiga opinio de Medicinæ natura refellitur. 97
Timor quid. 125
Timor cur externa refrigeret. 125
Timor amantibus communis. 258
Timor cur capillos erigat. 125
Timor cur vocem ſupprimat. 125
Timor in apparitionibus diuinis ſequitur neceſſitatem naturæ. 381
Timoris cauſſa in apparitionibus diuinis quæ ſit ſecũdum D. Thomam. 381
Timor cur partes corporis comprimat. 42
Timoris duplex ſpecies. 124
Timor quid ſit ſecundum Ciceronem. 124
Triangulus omnium rectilinearum figurarum perfectiſſimus. 160
Triangulus quomodo immortalis. 161
Triangulus diuinitatis indicium. ....
Trinus aſtrorum aſpectus cur fœlix.

lix. 161
Triſtitia cur partes corporis comprimat. 41

V

VAlleſii opinio de cauſa ſimilitudinis natorum cum parentibus. 22.23
Valleſii error in natura famis explicanda. 210
Valleſii error de modo,quo Sol calefacit. 152
Varietas rerum eſt quadam Dei imago. 115.116
Veſalij error. 12
Venetorum Prudentia. 220
Veracitatis excellentia. 356
Verbum mentis effectiuè procedit & ab intellectu, & à ſpecie intelligibili. 35
Veritatis commendatio. 176
Veritatis ſymbolum. 176
Veritatis, & veracitatis differentia. 185
Veritas ex ſe facilis. 356
Vinum dulce ob fauorum admixtionem,minimè craſſum eſt ſed tenue, & naturæ amicum. 135
Vinum ex melle conditum ſenibus bonum. 135
Vini mirabiles effectus indicati. 121
Virtutes morales inter ſe amoris vinculo connexæ. 170
Virtus moralis,quid. 171
Virtutes morales, qua ratione inter ſe diſtinguantur. 171
Virtutum moralium numerus. 172
Virtus moralis non æque diſtat ab vtroque vitio. 339
Virtutes non ſunt a natura. 51
Virtutis moralis ſubiectum. 194
Virtutum moralium præſtãtia quibus regulis dignoſcatur. 177.178
Virtutum finis. ....
Virtus moralis quid efficiat in appetitu ſenſitiuo. 195
Virtutes aſſuetudine comparantur. 51
Virtutes cum dolore, comparantur. ibid.
Virtutis dignitas vnde oriatur. 184
Virtus moralis quomodo per doctrinã acquiratur. 253
Virtus moralis preſſe accepta à duabus cauſſis producitur. 254
Virtus moralis cur facilius peregrinando acquiratur, quam in Patria. 345
Virtutes morales triplici modo comparantur. 199
Virtutes morales perfectæ eſſe non poſſunt, niſi omnes ſimul iungantur. 202
Virtutum perfectio duplex. 202
Virtutem moralem quid intrinſecus perficiat. 202
Virtutum moralium neceſſaria connexio. 202
Virtutes morales quomodo ſe inuicem iuuent. 202
Virtutem ſuperiorem quid determinet ad generanda animalia ex putri. 282
Virtus ſuperior abſque cauſſa vniuoca non poteſt determinari ad generanda perfecta animalia ex putri. 282
Virtus cur ab omnibus cum difficultate comparetur. 56
Virtutum ſplendor, in quo conſiſtat. 251
Virtus moralis dupliciter accipitur. 252
Virtus moralis qualibet, latè ſumpta,non eſt vna niſi vnitate ordinis. 252
Virtus moralis quomodo includat cognitionem medij. 252
Virtus moralis quomodo conſtituatur ex duo-

ex duobus habitibus, intellectuali, & ſenſiuo. 252
Virtus moralis preſſe ſumpta, quid. 252
Virtus moralis, quomodo excludat cognitionem medij. 252
Virtus moralis, quomodo ſit à natura 252
Virtus hominis duplex. 215
Virtus ſuperior an poſſit omnia per ſe, quæ & inferior. 281
Virtus natiua quæ. 251
Virtutum cauſſa duplex. 251
Viſibile paruum cur difficulter videatur. 241
Vitia non ſunt homini innata. 51
Vitium vitioſo homini per accidens placet. 58
Vitia peiora ſunt nobis magis familiaria contrarijs. 341
Redditur ratio. 342
Vitia peiora primo occurſu ſeſe nobis offerunt ſub ſpecie maioris boni. 342
Vitium maius ſemper in primis declinandum. 339
Vitium maius difficilius corrigitur. ibid.
Vltimi finis conditiones. 258
Vlyſſes quomodo immortalitatem ſpreuerit. 265
Vlyſſes prudens ob peregrinationem. 343
Vmbra homini pernicioſa. 290
Vnguenta intus aſſumpta pernicioſa. 133
Vnguenta apud antiquos cum potu miſcebantur. 133
Vnio formæ cum materia, fit propter melius formæ. 306
Vniuerſale non poteſt eſſe obiectum proximum reminiſcentiæ. 315
Vniuerſalia quomodo cognoſcantur à nobis. 322
Vniuerſale quomodo poſſit eſſe obiectum recordationis. 315
Vniuerſale refulget in phantaſmate. 321
Vniuerſalis propoſitio, & ſimplex terminorum apprehenſio non ſunt extrema. 227
Vniuerſalitas non ſuſcipit magis, & minus. 228
Volitio Dei, eſt Deus. 75
Voluntas hominis à Cælo non regitur. 143
Voluptas quomodo ſit eſca vitiorum. 55
Voluptas nobiſcum orta. 55
Voluntas humana, quomodo mutetur. 74
Voluptas totis viribus fugienda. 341
Voluptas indicium propenſionum. 340
Voluptas præſens quomodo tempus coarctet. ....
Voluptas per ſe eſt bonum ſenſus. 56
Voluptas per accidens eſt cauſſa vitij. ibid.
Voluptas amoris origo. 265
Voluptas ex obiecti amabilis præſentia, quomodo miſeriam pariat. 373
Vrbanitas quid. 172
Vtile non eſt fruſtra. 276
Vua ſponte naſcitur in Aethiopia. 274
Vua quomodo verno tempore habeatur. 189
Vua quomodo per totum annum haberi poſſit. 190
Vultus cur in homine magnis venis, & arterijs tectus. 42

Z

ZEphyri natura. 189
Zona torrida cur facilis habitatio 83

Zo-

Digitized by Google

Zona torrida perpetuum habet æquinoctium. ibid.
Zona torrida noctes ſuaues. ibid.
Zona torrida non caret fluminibus. ibid.
Zona torrida non caret borealibus ventis. 84
Zona torrida latitudo. 81
Zonam mediam cur inhabitabilem dixerit Ariſt. 81

FINIS.

Digitized by Google

NOCTES SOLITARIÆ

SIVE DE IIS,

Quæ ſcientificè ſcripta ſunt ab Homero in Odyſſea.

LIBER SINGVLARIS

AVCTORE

IO· BAPTISTA PERSONA

Philoſopho, ac Medico.

EIVSDEM AVCTORIS PRÆFATIO ad Benignos Lectores.

ETSI de Eximio Vate Homero, deque illius ſapientia ineffabili, virtutum excellentia, Diuiniſq; Poematibus multa in hanc vſque diem à præclariſſimis ſcriptoribus, cum recentioribus, tum antiquis tradita, magnificèque conſcripta fuerint, Veriſſimũ tamen illud eſt, omniumque litteratorum teſtimonio, & auctoritate comprobatum, quantumuis in eo celebrãdo eruditio, et doctrina litterarum ſuperioribus ſeculis fuerit occupata, ſemper tamẽ aliquid ſibi nouum, & antea non animaduerſum, proferendum, atque extollendum reliquiſſe. Ita quidem id quod vir ſummus, & eloquendi eximia facultate præditus Iſocrates in pulcherrimo illo Helenæ Encomio tradidit, res pulchritudine eminentes, atque præclaras oratione exornare perdifficile eſſe, pulcherrimè in Homerum noſtrum conuenit,

Digitized by Google

uenit,& veriſſimum eſſe deprehenditur. Quotus quiſque enim eſt, qui vaſtum illud pelagus Homericarum laudum ingreſſus aliquando aggreſſus ſit, qui etiam dum Homericæ ſapientiæ conſideraret profunditatem, doctrinarum varietatem, ingenij acumen, atque praeſtantiam, ab his non deterritus ſuſceptam reliquerit prouinciam eo tantum contentus, ſi ea, quæ ſigillatim ab ingenij ſui tenuitate comprehendi poſſe deſperabat, primoribus tantum, vt aiunt, labris attigiſſe, & ſummatim complexus eſſe videretur. Poſſem hic ego quamplures ex recentioribus, quibus hoc ipſum contigit recenſere; ſed libenter hoſce prætereo. Eorum enim ingenia ſicuti hebetiora ingenijs veterum, ita digna magis, quibus ignoſcatur ſi minus, quam tanti viri dignitas poſtulabat in eius laudem laborauerint. Prætereo, inquam etſi hic dicat Homerum originem fuiſſe ſtudiorum, & diſciplinarum, omnium; ille vero optimum virum extitiſſe; alter Homerica Poemata ſtudium vocet ſapientiæ, & Philoſophiam; alius, & alius denique Homerum appellet Litterarum Parentem; nullius ſcientiæ quantumlibet reconditæ neſcium; Sapientũ ducem; myſterij plenum; Poetico afflatum numine; Ingenij fontem; Ter maximũ; Philoſophorum Principem; Poetarum Legiſlatorem; illum denique, cui inter omnes homines ex omni memoria perſpicuitate ingenij, grauitate iudicij, magnarum Artium inuentione, & ſcientia Principem locũ tribuere merito debeamus. Nam etſi hæc omnia ſparſim ſcripta magnitudinem illius viri exactè non attigerunt, ſed longe infra, quam quis Coloſſeam ſtatuam reſpiciens, reſtitere; ignoſcendum tamen hoc ipſum facile eſt paupertati noſtri ſeculi. Illud admirationem hominis parit, eiuſque dignitatem, quaſi lux quædam in vmbra noctis patefacit, quod cum multi Priſci ſapientiſſimi, illum venerati ſint, potiſſimum autem Plato, & Ariſtoteles; qui illius auctoritatibus, quaſi gemmis quibuſdam ſua ſcripta ornantes frequentiſſimò pauca tamen de illius laude dixerunt, & ea quidem ſummatim tetigere tantummodo, ita vt eorum quoque facundia, & ingenium in tanto viro celebrando, quodammodo defeciſſe videantur. En Democritus Homericæ doctrinæ præſtantiam, rerumque, quas ille tractauit, dignitatem, & excellentiam conſiderans, vno verbo, & vt aiunt, ſicco pede illius laudes præterit, inquiẽs non potuiſſe illum præclara illa Poëmata tam magnificè conſtruere, non diuino afflatum numine. Plato cum ab Homero Idearum doctrinam accepiſſet, quæ illum & apud ipſos quoque Theologos admirabilem reddidit, Dialogumque de furore Poetico conſcripſiſſet, repletum ab eo Homericis præceptis, breuibus tamen videtur eius laudes percurrere, tantum inquiens optimum illum eſſe, Diuiniſſimum & cuius carmina, atque doctrina digna ſint, quæ ab omnibus perdiſcantur. Alibi etiam dicit illum fuiſſe Ducem ſapientum, & totius Græciæ eruditorem. Ariſtoteles, qui tantum tribuere ſolet Homero, in omni ſermone, vt cum eius ſententias citat non hominis teſtimonia, ſed oracula ſibi ipſi proferre videatur; qui iudicium illius, & eloquentiæ excellentiam admiratus, ex eiuſdem ſcriptis oratoriam artem extraxit, opuſque Rhetoricorum ita compoſuit, vt eandem artem, multis ex Homero allatis auctoritatibus fulciret, & comprobaret; qui Iliada, & Odyſſeam contemplatus, illa tanquam ſcopum quendam eſſe voluit, in quẽ dirigere mentis aciem oporteat eum, qui vir probus, atque doctus ſtudet euadere; quid tandem aliud de Homeri laudibus affert, niſi eruditum fuiſſe virum, qui ſolus rectè ſcripſerit inter cæteros homines? Xenophon, quamuis plurimum tanto viro tribueret, & in oratoria facultate admodum excelleret, ieiunè tamen

honores

Digitized by Google

honores tractauit Homeri, tantum illud ſcribens, Homerum de omnibus rebus humanis ſapientiſſimè in ſuo poemate conſcripſiſſe, ita vt ex eo vnuſquiſque poſſit addiſcere, quomodo peritus paterſamilias, aut orator, vel etiam imperator celebris poſſit euadere. Strabo, poſtquam diu illius ingenium, admirabilemque doctrinam conſiderauit. Auctorem illum appellauit Geographia, Patrem ſapientia, & Philoſophia. Plinius illum doctrinarum, & antiquitatis parentem nuncupauit. Quid de Plutarcho dicam? Qui cum liberius aliquanto tanti Doctoris laudes proſecutus eſſet, librum de Homero ſcribens, in quo oſtendere nitebatur illius poeſim omni ſcientiarum genere refertam eſſe, tanquam neque ſic ſibi ſatisfecerit, concludit Homero omnis virtutis laudem tribuendam eſſe, cum poſteri ea etiam in illius operibus animaduerterint, qua ipſi fortuito, etiam nihil tale cogitanti exciderunt. Horatius Lyricorum Princeps, tanquam nimio tanti auctoris obrutus ſplendore, cum in illius laudes cuperet verſari, nil aliud viſus eſt exprimere potuiſſe, niſi Homerum illum eſſe,

Qui, quid ſit pulchrum, quid turpe, quid vtile,
quid non
Plenius, ac melius Cryſippo, & Crantore dicit.

De hoc ipſo Ouidius verba faciens dixit Homerum eſſe celeberrimum illum Poetam.

---- à quo ceu fonte perenni
Vatum Pierijs ora rigantur aquis.

Et Petrarcha inquit,

Cæcumque ſenem, ſed multa videntem
Homerum fuiſſe.

Cicero eloquentia Pater tanquam inops conſilij in Homero celebrando vt pote infinitis laudibus digno, omiſſis illis, qua de ſua doctrina praſtantia dici poterant, ad aliam ſe contulit viam, inquiens, nominis illius claritatem feciſſe, vt quem viuum, rebuſque omnibus egentem nemo agnouerit, nunc multa Gracia vrbes certatim ſibi vendicent, adeo vt quibus potiſſimum credere debeamus non facile ſit diſcernere. Quam rem poſtea Aulus Gellius diſtinctius explicauit pulcherrimo illo diſticho.

Ε'πτὰ πόλεις διερίζουσιν περὶ ῥίζαν ὁμήρου
Σμύρνα, ῥόδος, κολοφὼν, σαλαμὶν χίος, ἄργος, ἀθῆναι.

Septem vrbes certant de ſtirpe inſignis Homeri,
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ius, Argos, Athenæ.

Sunt equidem ha laudes magna, & pracellentes, ſi Auctorum à quibus proteſſere dignitatem, & grauitatem conſideremus. Longe tamen maiores apparebunt, magiſque refulgere conſpicientur, ſi quis perpendat quanta cum breuitate, verborum proferantur. Non enim aliunde id prouenire quiſpiam poterit exiſtimare, niſi quia, vt parum antea dicebat Iſocrates, res praclaras, & pulchritudine praſtantes, difficile eſt oratione exornare; neque aliter id fieri poteſt, quàm ſimplici, nudoque ſermone, cui breuitas, & veritas ferè ſemper annectuntur tan-

quam ſodales perpetua. Alexander etiam ille, cui rerum geſtarum admirabilitas Magni nomen conciliauit, non verbis, aut ſcriptis, ſed præclaro, memorabilique facto videtur Homeri dignitatem, & præſtantiam adumbraſſe. Hic enim vt capit ſpolia Darij, Perſarum Regis, in iiſque Homeri libros reperiri intellexit, hos ſeruari tanquam opus prætioſiſſimum iuſſit. Quem & ipſum oblatam ſibi de Darij ſupellectile Arculam & prætio, & opere incomparabili, ferunt cuſtodiæ librorum Homeri ſtatim deſtinaſſe. Immo & ſub puluinar dormientem illos reponere ſolitum litteris mandatum eſſe ſcimus. Tanta quidem admiratio, tanta veneratio, & cultus fuit eruditis ſeculis omnibus huius Poetæ. Nec dum ceſſit, quicquid nonnulli dicant, qui tanquam contemptui habeatur hoc tempore, deplorare non ceſſant ingratiſſimi, vt aiunt, ſeculi noſtri ignauiam, atque vecordiam in neglectione operum huius tam magni viri. Nam & hac ipſa noſtra tempeſtate non deſunt viri religioſiſſimi, atque grauiſſimi, qui Poetam noſtrum ſummis laudibus efferunt; inter quos vnum honoris gratia nominatum volo Conſtantinum Nolanum, ita de Homero ſcribentem. [Inchiniamo l'Imperadore de gli Heroici Poeti; il primogenito della guerriera Calliope, l'immortalità d'Elicona, il fonte de gli ingegni, il Padre delle dottrine, & il Teſoro delle più recondite antichità. Facciamo riuerenza à quello, che con sì fiorita varietà, sì maeſteuole grandezza, sì profonda ſapienza, hà inſieme accoppiato lo ſtile con le materie, l'vtile col dolce, l'artificio con gli ſcherzi, le fauole, e i documenti. Quel tanto più illuminato di dentro, quanto più cieco di fuori; à cui meritamente erano dedicate le primitie de' verſi altrui. Honoriamo quello, alle cui lodi ogni facondia è mutola, ogni eloquenza fanciulleſca, ogni erudition riſtretta: alle cui glorie non ci è perſpicacia, che non rimanghi ottuſa, non iſforzo, che non rieſca mancheuole, non honore che non appaia diminuto. I cui verſi, verſi non già, ma pitture, pitture sì, ma parlanti, ſuggerirono à' legislatori noua foggia d'autenticar le lor leggi, aprirono la ſtrada al gran Filoſofo d'empire i libri intieri di ſottiliſſimi litigi, furono lo ſtimolo, & il viatico del grande Aleſſandro, gli Epitalamij, e i Panegirici cantati da i figliuoli de i Re dell'India, e'l decoro de' giuochi panathenei appreſſo gli Atheneſi.] Nemo ergo iure negabit vnquam, quod his quoque temporibus Homerica ſcripta quaſi pro oraculis quibuſdam doctrinæ & ſapientiæ habentur? An quis recitato verſu aliquo illius non ſolum Sibyllã ſe recitaſſe credidit? Nihil ſanè quicquam in quæſtionem venire exiſtimauit vllus, de iis rebus, quas Philoſophia complectitur, vt de ſcientia, de cauſis, de natura, de ordine bonorum, & malorum, de falſis, & veris certo iudicio diſtinguendis, deque inuentis ſubtiliter diſſerendis, & ornatè eloquendis, cuius explicationem in hoc auctore reperiri non omnes ſtatuerint eruditi.

Talem, ac tantam Auctoris huius Maieſtatem conſiderantes præſtantiſſimi illi, in omnique virtutum genere præcellentes viri, qui ſuperioribus annis Academiæ Solitudinis fundamenta iecere, illamque feliciter excitarunt, & honorificè, dum licuit prouexere; vt omni ex parte venerabilis eorum conatus, & animus redderetur, omnique ex parte appareret fructus, vtilitas, & animi ornamentum, quæ vnuſquiſque ex eiuſdem Academiæ congreſſibus conſecuturus eſſet; cum magnæ auctoritatis & exiſtimationis Auctor aliquis præeligendus eſſet, qui prælegeretur, explicaretur que, iis cæteris omnibus prætermiſſis hunc tantum virum, & Auctorem delegere, & amplexi ſunt, vt pote illum, in quo rectè dilucidando,

nulla

Digitized by Google

nulla humana doctrina vſui eſſe non poſſit, & exhauriri penitus. Quanquam ita illis placuit in huius ſcriptoris explicatione verſari, vt omiſſis illis omnibus quæ ad cæteras doctrinas pertinent, & facultates, ea tantummodo loca explicanda ſumerentur, quæ ſcientiam ſaperent, veramque Philoſophiam. Ea inquam ſola loca ſeligere decreuerunt, interpretanda, quæ nudam, apertam, Philoſophicèque propoſitam continerent Philoſophiam, liberamque ab omni fabuloſo, Poeticoque tegumento. Quemadmodum enim ſi ſola hæc colligantur non ita ſunt multa, ita ſi quis omnia ſimul, quæ Philoſophiam redolent velit comprehendere, nullum non comprehendet verſum, totuſque Homerus abibit in Philoſophiam. Quid enim aliud ſunt Homerica ſcripta, quam, vt ait Strabo, ſapientiæ ſtudium, & Philoſophia? Illud autem illis ſummopere placuit, ne hoc interpretandi munus vni alicui eorum deferretur, ſed circa propoſitum Homeri locum vnicuique liceret ſuam proferre ſententiam, eundemque locum ſuo arbitratu exponere & interpretari. Sic enim futurum ſperabant, vt hinc inde multis allatis opinionibus, & argumentis, iucundior redderetur eorum conſeſſus, & Veritas ipſa faciliori inueniretur negotio. Illud autem, in quo præcipuè admirabilis, & imitatione dignus extitit celeberrimus ille ſapientum hominum cætus, id fuit, quod cum in huiuſmodi congreſſibus multæ orirentur in diſputationibus difficultates, & controuerſiæ, multæque audirentur opinionum varietates, nunquam tamen eorum aliquis inuentus eſt, qui non eadem charitate, & amore erga cæteros Academicos affectus domum reuerſus ſit, quo cum ad conſeſſum conuenerat; ſed vnuſquiſque paratiſſimus erat in alterius ſententiam ire, audita ratione potiori, qua confirmaretur; tanta cum tranquillitate, animique candore honeſta illa ſtudia, & exercitia agebantur. Ego igitur, qui omnibus eorum colloquijs interfui, (eo enim me vnanimiter dignati ſunt honore, vt non modo benignè me in Academicorum numerum receperint, verum etiam ita domui meæ fauerint, vt eam delegerint, in quam ad honeſtiſſima, hæc colloquia ſe conferrent) in vnum omnia illa collegi, quæ primo eiuſdem Academiæ anno conſumpta ſunt, circa Odyſſeam, à qua viri illi laborem, ſtudiūq; ſuum exordiri maluerunt. Ea vero ita digeſſi, & in eum ordinem redegi, vt vnicuique colloquio illa in primis Homeri carmina præfixerim, quæ in eo diſcutiuntur; Argumentum prætereà præpoſuerim, ea ſummatim continens, quæ in eo ipſo colloquio tractantur: demum & Academici illius nomen in fronte capitis adſcripſerim, cuius ſententia in illo colloquio præualeat, & cuius doctrinæ ſit præcipuè mens, & fides adhibenda. Cumque hæc ita digeſta edere decreuiſſem, illud ante omnia mihi placuit præfari, ſicuti nobiliſſima hæc Academia ſub Auſpicijs Solitariæ illius, Sacratiſſimæque Turturis, quæ ſola Chorum in Cælo perſpicit integrum, excitata, extructaque fuit, ita nihil magis fuiſſe cordi Academicorum omnium, quam ne in congreſſibus, & diſputationibus quicquam laberetur ex ore, quod non omni ex parte conſonum eſſet vnicæ veritati illi, & infallibili, quam Romana docet Eccleſia, Nam penès hanc ſcimus, & profitemur omnem eſſe doctrinam, & veritatem. Quod ſi quid forte, fortuna exciderit incautè (id tamen minimè credimus) quod minus ab illa probetur, id indictum, irritumque ſtatim eſſe volumus, & antiquamus. Quamuis in Theologicis rebus tractandis, illud ferè ſemper obſeruatum eſt à nobis, vt ijsdem ferè verbis ſcriberentur, quibus vſi ſunt antea Sancti illi, probatiſſimique Doctores, a quibus ſententias acceptimus,

Digitized by Google

cepimus, quorum etiam nomina, & peculiaria loca affixa ſunt margini, & appoſita diligenter. Illud tamen volumus ſemel hoc loco dixiſſe, obnixeque lectorem rogamus ut alta mente teneat, nos non eò deueniſſe fatuitatis, & inſipientiæ, vt veritates Theologicas crediderimus Homerica Auctoritate confirmare; ſed tantum vbi ſeſe occaſio obtulit illud voluimus Homeri laudibus addere, quod vir lumine fidei, non minus, atque exterorum oculorum deſtitutus, ea tamen fuerit mentis acie, & ſapientia præditus, vt aliquando viderit ea, quorum veritas ipſa penes eſt Theologiam. Vno verbo, non Theologiam Homeri Auctoritate ſed Homeri Auctoritatem Theologia confirmamus. Quod quidem & alios præclariſſimos, & virtute præſtantes viros antea feciſſe non ignoramus. Quanquam ſperamus futurum ne quis nos arguat, quod liberius, quam par eſſet in rebus Theologicis vagati ſimus. Nam etſi de Deo, deque ſeparatis ſubſtantijs, multa hoc loco dicta ſunt à nobis, quæ Theologica ſunt, ſummopere tamen cauimus ne Theologicè tractarentur. Sed in his omnibus agitandis, ita conati ſumus rationibus tantummodo naturalibus inſiſtere, vt vnuſquiſque facile intelligat, nos illud ſeruaſſe. Ne ſutor vltra crepidas. Illud tamen non potui non admonere ſcrupuloſos lectores hoc loco, ne de nobis male ſentiant, quod pleraque fabuloſè de Dijs gentium ab Homero decantata, eadem nos ad verum Deum tranſtulerimus. Non enim id ea de cauſſa factum eſt, quod ignoremus quantum interſit inter veritatem ipſam & commentitia mendacia Deorum, ſed tantummodo, vt oſtenderemus ea verè de Deo vero dici, quæ falsò de falſis Dijs antiqui Poetæ cecinerunt. Nunc ad alia propero. Poteramus in Homeri verſibus apponendis principio vniuſcuiuſque Colloquij, illud ſeruare, vt metro exametro, quo & Homerus ſua Poemata conſtruxit, ſcriberentur. Sic enim iucundior lectio fuiſſet. Verum ſicuti ita prorſus faciendum erat ſi Poetica, aut Oratoria perſequi voluiſſemus, ita cum Philoſophica tantum conſideremus, multo ſatius eſſe iudicauimus, ſi ad verbum Homeri textus verteretur in Latinum idioma. Amat enim Philoſophia ſermonem proprium, purum, ab omnique fuco, & ornatu verborum alienum. Quæ quidem omnia magis, & melius præſtat ſimplex, & ad verbum facta verſio, quam ſi ipſa quoque Hexametri carminis, aut alterius metri legibus fuiſſet adſtricta. Quæ ergo hinc deſumuntur explicanda Philoſophica loca, en omnia ita tractantur, vt eorum explicatio ſemper Principijs Ariſtotelicæ doctrinæ innitatur. Nam qua alia ratione videri, obſecro, poterat Homerus noſter rectè philoſophatus eſſe, niſi hac illius Philoſophia non aliena videretur à principijs illis, quæ tanquam ſuæ doctrinæ, & ſapientiæ fundamenta iecit Ariſtoteles? Ariſtoteles inquam ille, quem orbis vniuerſi terrarum ſcholæ ſequuntur, conanturque imitari, tanquam Philoſophorum omnium Monarcham? Naturæ interpretem veraciſſimum, inter humana profundiſſimum ingenia, cuius methodus, miraque dexteritas in artibus ſumma cum verborum maieſtate docendis, nunquam poſt eius tempora aliquem inuenit ſibi parem? Ita quidem, dum Homerus Ariſtoteli conſentit, & rectè videtur Philoſophari, & ipſius Philoſophiæ Parens exiſtere, à quo Ariſtoteles ipſe ſua principia deſumpſerit. In illis vero, quæ ad medicinam pertinent, cum omnium conſenſu Hippocrates, & Galenus in ea principem locum obtineant, non alia ratione videri melius poterat, quantum in Medica facultate excelluerit Homerus, quam ſi oſtenderetur in rebus medicis tractandis illius doctrinam cum Hippocrate, atque Galeno, probatioribuſq; alijs

Medicinæ

Digitized by Google

Medicinæ ſcriptoribus conſentire. Hoc ipſum quoque præſtabit hoc opus. Quæ in re illud etiam accedet Homero honoris, & dignitatis, quod cum vetuſtior ille ſit coriphæis Medicorum, non ab illis ipſum didiciſſe, ſed eos ab illo conſtabit propriæ facultatis deſumpſiſſe primordia. Quæ vero hactenus de Philoſophia, & Medicina dicta ſunt, eadem & de Aſtronomia, cæteriſque ſcientijs, quæ hic tractantur intelligi volumus; ita vt tandem illud dicendum veniat, nihil Homerum de vlla facultate tractaſſe, quod eorum opinioni conſonum non ſit, qui einſdem facultatis habentur peritiſſimi, ipſumque extitiſſe fontem, & originem ſcientiarum omnium. Ita quidem Homeroſophiam tractamus in Noctibus hiſce Solitarijs. Porrò ne quicquam deſideretur, quod facilem huius operis lectionem reddat, nonnulla ſubdere placuit, quæ ad id magnam ſunt opem allatura.

Primum autem noſcenda ſunt doctiſſimorum illorum virorum nomina, & Academica cognomina, qui ad hæc colloquia conuenère, & partem in illis habent. Sunt igitur hæc

ACADEMICORVM Nomina.	*ACADEMICA* Cognomina.
ODOARDVS MICHAELIVS Theologus Præſtantiſſimus, omnique ſcientiarum genere ornatiſſimus. Qui ob exercendæ, prouehendæq; Virtutis deſiderium prædictæ Academiæ fuit fundator, & Auctor.	*INCLVSVS.*
BERNARDINVS PETROGALLIVS, Philoſophus, atque Theologus non incelebris; ſed in rebus in vtranque partem diſputandis acutiſſimus.	*SITICVLOSVS.*
HORATIVS PATINIVS, Excellentiſſimus Peripateticus, & in Hippocratica doctrina, atque Galenica exercitatiſſimus.	*PROVIDVS.*
IOANNES LICINIVS Politioribus omnibus litteris addictiſſimus, Hiſtoriæ tamen, atque Poëſeos amantiſſimus.	*ANONYMVS.*
IO. ANTONIVS MORONVS.	*INGENIOSVS.*
GABRIEL ROTINIVS, Ambo quidem ob humaniorum litterarum peritiam non exiguam laudem conſecuti; ſed eo nomine etiam magno honore digni, quod ad Academica hæc Colloquia conueniebant indicibili quodam cum animi ardore, atq; deſiderio addiſcendi, cæteroſque audiendi.	*TVTVS.*

Hi igitur omnes vnanimi conſenſu à ſecretis eſſe voluerunt: Polydorum Grumellium, & Euſebium Michaelium Lectorem inſtituerunt, qui antiquam Homerici Poematis verſionem ordinatè legeret. Eo vero legente vnicuique Academico licebat illum retardare, & annotare locum, circa quem ipſe vellet ſermonem haberi. Vnde & illud obſeruabis, Benigne Lector, vnumquodque Collo-

quium

quium ab illo Academico principium ſumere, cuius nomen ipſi ſit præfixum. Vt autem omnis abeſſet ordinis, & tranquillitatis perturbatio ipſi veterem ſequentes conſuetudinem, in huiuſmodi ſocietatibus ſeruari ſolitam, ſtatuerunt vnanimiter, vt ſemper eorum aliquis Principem locum teneret, cui cæteri promptè parerent. Et vt vnuſquiſque aliquando ea fulgeret dignitate, placuit illis Decimo quoque Colloquio Principem miſſa ſorte mutare, ita tamen vt ſors ſuper eorum aliquem tantummodo caderet, qui illius dignitatis antea particeps minimè fuiſſet. Primus autem, qui Princeps exijt Incluſus fuit. Hic igitur annotato verſu X X V I I I. Primi libri Odyſſeæ, omnes Academicos in domos ſuas remiſit, inquiens multa illo die peracta fuiſſe, ad rectam Academiæ inſtitutionem pertinentia: minimeque ſe rectè facturum, ſi eos etiam circa locum illum, quem non pauca myſteria, reconditamque Philoſophiam continere exiſtimabat, vellet eos ſtatim occupari. Dimiſſo ergo Colloquio vſque in ſequentem diem, cùm iterum omnes Academici conueniſſent, ita ipſe exorſus eſt.

ODYSSEÆ

Primo verſu xxviij.

His autẽ ſermones cœpit Pater hominumq; Deumq;
Recordabatur enim in animo inculpati Aegiſthi
Quẽ Agamemnonides inclytus occidit Oreſtes.
Huius ille memor his verbis immortales allocutus
Papæ, vt ſcilicet Deos mortales culpant (eſt.
Ex nobis enim inquiunt eſſe mala; illi vero ipſi
Suis ſtultitijs præter fatum angores patiuntur.

Deum immediate concurrere ad omnes Creaturarum Actiones; Non tamen ad peccata. Non dari Peccatum in Voluntate ſine ignorantia conſequente in Intellectu. Dari tamen ſine Antecedente.

COLLOQVIVM PRIMVM.

INCLVSVS.

QVID ſibi volunt, ò Amici, hæc ſilentia? Anne iam mente vobis excidit ſolitudinem hanc noſtram eſſe Societatem? Societatem inquam eiuſmodi, in qua non taciturnitas, ſed tranquillitas animi, honeſtaque colloquia, & exercitia locũ habent? SITICVLOSVS. Non equidem arbitror quempiam noſtrum rei huius oblitum eſſe, ſed expectare eos omnes cenſeo, vt tu cui ſors ipſa Principatum detulit (& merito quidẽ) primo etiam loco loquaris. INCL. Etſi non recta ratione concluditur, vt ille, qui ſorte ita ferente Principatum obtinuit, inter tot ſapientes viros, primus etiam os aperiat ſuum, cum hoc ipſum illi tantummodo conueniat, qui virtutum ſcientiarumque excellentia cæteris præſtet; ne tamen aliqua hinc excitetur altercatio, & nos tempus inutiliter teramus, illud ego primo loco narrabo, ſine cuius notitia, facilis horum carminum intelligentia eſſe haud poteſt. Aegiſthus itaque amore captus Clytemneſtræ vxoris Agamemnonis, vt ſecurius illa frueretur, paruulo adhuc exiſtente Oreſte eorum filio, Agamemnonem quidem occidit, duxit autem Clytemneſtrã; quamuis à Mercurio monitus, ne tale patraret facinus; futurum enim præ-

Digitized by Google

dixerat Mercurius, vt Oreſtes grandior factus patris cædem vlciſceretur. Quod & contigit. Ægiſthus enim ab Oreſte interfectus eſt. Homerus ergo huius rei recordantem Iouem hic introducit, qui huius occaſione aſſerit mortales homines immeritò de Deo conqueri, cum in calamitates incidunt; qui potius de ſe ipſis conqueri deberent, cum non aliam ob cauſſam aduerſa patiantur, niſi propter ſui ipſorum ſtultitias, & peccata, quæ commiſere. Quemadmodum & Ægiſthus abſque ratione de Deo conqueſtus eſſet ob mortem ſibi ab Oreſte illatam, cum Deus huius non fuerit cauſſa, ſed peccatum, quod commiſit Ægiſthus adulterij; rem habens cum Clytemneſtra, deinde & Agamemnonem occidens. ANONYMVS. Nonne, ò Amice poſſet hæc ſententia in dubium reuocari, ea ratione, quod non ſola hominum ſtultitia peccatum committi videatur, ſed illud quoque
D. Th. pp. apparet indigere immediato Dei concurſu? Equidem ab omnibus Catholi-
q 105. ar. cis conceſſum eſt, Deum immediate agere cum omni agente creato, ad om-
3. 3. cont. nemque eius operationem concurrere. TVTVS. Immo id ex multis ſcri-
gent. c 70. pturæ locis colligi poteſt. Dicitur enim Iobi 10. Manus tuæ Domine fe-
Fonſ. 5 met. cerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu. & Ieremiæ 6. Sicut lutũ
cap. 2. q. 9. in manu figuli, ſic vos in manu mea domus Iſrael. ANONYM. Iſaiæ etiã 26. ſcriptum eſt, omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. Et Pau-
Fonſeca lo lus 1. ad Corint. 11. Qui operatur omnia in omnibus. PROVIDVS. Ratio
co citato. ipſa quoque euidentiſſime commonſtrat Deum ipſum immediate concurrere ad actiones omnes hominum, & creaturarum omnium. Omnis enim actio, quæ cum impoſſibilis non ſit, perfectionem etiam dicit in primo agente, eminentiſſimam; quæque perfectam arguit ſecundorum agentium dependentiam à primo; tribuenda eſt primo agenti. At immediatus Dei concurſus cum ſecundis agentibus non eſt impoſſibilis, eminentiſſimamque arguit perfectionem in primo agente; in creaturis autem maiorem dependentiam ab eo, quam ſi penderent ſolum in eſſendo. Tribuendus ergo eſt hic concurſus agenti primo. Præterea conſtat creaturam quamque à Deo pendere in eſſendo. multo ergo magis in operando pendebit. Maius enim
Plotinus. eſt incommodum independenter agere, quam independenter eſſe. SITH.
Enn 2. lib. Hæc ratio videtur ex eo confirmari, quoniam virtus creata nõ ſolum à Deo
4. cap. 2. pendet vt qualitas eſt quædam, verum etiam quatenus eſt virtus. At virtutem à Deo pendere vt virtus eſt, nil eſt aliud, quam pendere in agendo. PROVID. Accedit & ratio altera magni momenti in eandem ſententiam. Non enim agens vllum creatum ex ſe determinatur ad aliquem certũ numero effectum; intendit enim ſpeciem effectus, tantummodo, non hunc, vel illum indiuiduum, ſed ad hæc indiuidua indifferenter ſe habet. Et tamen non niſi indiuidua producuntur. Hæc autem determinatio ad hoc indiuiduum non à ſubiecto fieri poteſt, non à tempore, aut loco, ſunt enim hæc omnia indifferẽtia ad plura ſingularia. Neque ab omnibus ſimul ſumptis fiet, propterea quod multa communia non poſſunt aliquid ita determinare ad ſingulare aliquod efficiendũ; vt non ad aliud. Relinquitur ergo vt Deus ipſe ille ſit, qui actionem ipſam determinet ad hoc ſingulare producendum.

Digitized by Google

ducendum, non ad illud. Quod euidentiſſimo argumento eſt Deum ip-
ſum immediate concurrere ad actiones omnes creaturarum. TVTVS.
Indicare certe quodammodo hæc videntur malas quoque operationes ho-
minum non fieri ſola hominum ſtultitia, vt ſentit Homerus, ſed illas quo-
que ſecum habere Dei concurſum, cum immediate ipſe omnibus actioni-
bus adſit. SITIC. Non tamen tutum eſt illud aſſerere, ò Amiciſſime,
ſed ſi modo conficiunt aliquid hæ rationes, non ſanè aliud concludunt, ni-
ſi Deum immediatè concurrere ad omnia effecta poſitiua producenda, ad
omneſque illas operationes edendas, quæ ad aliquod poſitiuum terminan
tur. At peccatum non eſt quid poſitiuum, ſed priuatio eſt rectitudinis a-
ctus, & deuiatio à lege. Atque propterea negamus Deum ad illud con- 1.2 q.72.
currere. INCLVS. Diuus tamen Thomas, videtur mihi ſubtilius etiam art. 1. ad
rem hanc conſideraſſe; Qui ſtatuit peccatum non quidem eſſe puram pri- 2.
uationem, ſed actum eſſe debito ordine, & rectitudine priuatum. Vnde
etiam concludit peccata magis diſtingui ſpecie ſecundum obiecta actuũ,
quam ſecundum oppoſita. Quare rectius ſecundum hanc doctrinam di-
ceretur, in peccato duo conſiderari poſſe, poſitiuum ſcilicet actus, & (vt vo-
cant) ſubſtratum deformitati; & ipſam etiam deformitatem, ſeu (vt loquũ-
tur) carentiam rectitudinis. Ratione igitur illius primi poſitiui, concedi-
tur Deum concurrere ad actionem, non ratione deformitatis, ſeu priuatio-
nis adiunctæ. SITIC. Optimè quidem. Non tamen omnino videtur mihi
ſublata difficultas. Ab eo enim dici debet deformitas actus procedere, à
quo poteſtas eſt peccandi. At peccandi poteſtas eſſe videtur a Deo, dicẽ-
te Paulo, omnem poteſtatem eſſe à Deo. ANONYM. Non ignoro Magi- ad Ro.13.
ſtrum quoque ſententiarum, alias adducere ad hoc ipſum probandum Au-
ctoritates. Et D. Auguſtinus in lib. de natura boni ait poteſtatem noſcendi à 2. Sent. d.
Deo eſſe; Potentia vero noſcendi, eſt potentia peccandi. INCLVS. Hæc 44.
tamen omnia nihil quicquam concludunt. Quod vos quoque non dubi-
to conceſſuros, ſi illud ex Doctore Subtili notaueritis peccadi potentiam 2. Sent. d.
dupliciter ſumi poſſe; vel formaliter, vel vt dicit fundamentum. Primo 44.
modo dicit tantum ordinem in aliquo fundatum, & terminatum ad aliud. Lychet ibi
Secundo modo accipitur pro fundamento, & ſubiecto illius ordinis. dem.
ANONYM. Libenter audirem huius diſtinctionis exemplum aliquod.
INCLVS. Ecce. Potentia calefaciendi pro fundamento ſumpta nil aliud
eſt, niſi ipſe calor: pro formali vero, ille eſt ordo, qui cum fundetur in ca-
lore, terminatur ad illud, quod calefieri poteſt. ANONYM. Egregiè.
INCLVS. Si ergo velimus peccandi potentiam accipere pro fundamento,
cum tale fundamentum nil aliud ſit, quam humana voluntas, illam dice-
mus a Deo eſſe. Eſt enim à Deo voluntas ipſa. PROVID. Quanam ratio-
ne probabis voluntatem fundamentum eſſe potentiæ peccadi? INCLVS.
Ea ratione, quoniam ſicuti in potentijs paſſiuis idem eſt fundamẽtum ha-
bitus, & priuationis: Priuatiue enim oppoſita nata ſunt circa idem fieri.
ſic & in actiuis dicendum eandem potentiam actiuam eſſe actus recti, &
indirecti. At voluntas ipſa omnium conſenſu potentia eſt actiua actus re-

Digitized by Google

cti: erit ergo & fundamentum indirecti, & [effectiua illius], vel (vt rectius loquar) defectiua. Potentia ergo peccandi ſumpta pro fundamento, quod eſt voluntas ipſa, non modo quatenus rectè agit, verum & quatenus deficit à rectitudine, à Deo eſt. Voluntas enim, etiam quatenus defectibilis, eſt à Deo, vt Scotus tradit loco citato. Si vero peccandi poteſtas formaliter ſumatur, & pro ordine ipſo, diſtinguendum etiam eſt. Aut enim ſignificat ordinē ad deformitatē ipſam, aut ad actū ſubiectū deformitati. Hoc ſecūdo mō potētia peccādi eſt à Deo. Cū.n. talis ordo relatio quædā ſit, habēs vtrunque extremum poſitiuum, voluntatem ſcilicet, & actum, ipſa quoque relatio, & ordo res erit poſitiua. Omne autem poſitiuum à Deo pendet, vt oſtenſum rectè eſt à vobis antea. Si autem ſumatur ordo ille vt directè deformitatem actus reſpicit, tunc talis relatio, & potentia nihil eſt. Etſi enim reale habeat fundamentum, nempe ipſam voluntatem, terminus tamen, qui eſt ipſa deformitas eſt mera negatio, & nihil. At vero relatio realis vtrunque extremum reale requirit, & poſitiuum. Hæc itaque peccandi poteſtas formaliter ſumpta, à Deo non erit. Quoniam itaque peccatum formaliter eſt deforme, quique verè peccat non ignorat ſe actum edere deformem, & in talem actum directè fertur, quia voluntariè, propterea rectè dicitur Deus minimè ad hominum peccata concurrere, & rectè Homerus ſtatuit immerito Deum culpari à mortalibus, cum propter peccata puniuntur. Pęna enim formali peccato debetur, ad peccatum autem formaliter efficiendum Deus non concurrit, neque peccandi potentia, formaliter ſumpta à Deo dependet. Vides ne Siticuloſe doctiſſime, quomodo intelligenda ſit auctoritas D. Pauli, & Auguſtini, & quomodo nullum illæ nobis negotium faciant? SITIC. Optimè video, & Anonymum etiam noſtrum annuentem conſpicio. INGENIOSVS. Libenter ego neſcio quid interrogarem de Homerica hac ſententia, ſi ſperarem interrogationē meam vos probaturos eſſe. INCLVS. Quid ni interrogas? Nonne vides vnumquemque noſtrū hilari fronte in te conuerti, expectareque, quidnam acre Ingenium tuum conſiderandum inuenerit in hac dictione? INGEN. Vtinam nomini meo, quod mihi ſors ipſa tribuiſſe videtur, res quoque reſponderet. Hoc vnum certo ſcio me vobis omnibus inferiorem eſſe non minus doctrina, quam ætate. Quod ſi quid fortaſſe dixero, quod minimè vobis probetur, id ego ægrè minimè feram, neque erubeſcam; cū addiſcendi tantum gratia, non docendi, aut dicendi in hanc conuenerim Academiam. Illud ergo in hac Homerica dictione mihi dignum conſideratione videtur, quamobrem Homerus dicat homines ſuis ſtultitijs peccare, & dolores pati. Si enim in calamitates incidunt, quia peccarunt, peccarunt autem voluntate, ergo non per ſtultitiam hæc patiuntur, ſed per malitiam potius. Stultitia enim læſio quædam eſt, & error ad intellectum potius, ſeu ad cognoſcitrices facultates pertinens; ſicuti malitia ad voluntatem. INCLVS. Ingenioſa ſanè conſideratio. TVTVS. Erat fortè Homerus illius ſententiæ non poſſe vllo modo errare voluntatem niſi prius errauerit intellectus, propterea ita locutus eſt. Profecto ſi ea fuit illius ſenten-

tia,

Digitized by Google

tia , ſicuti cognitio intellectus cauſſa dicenda eſſet actus voluntatis , cum
voluntas dicatur intellectum ſequi , rectè ſtatuiſſet etiam ſtultitiam , ſiue
ignorantiam cauſſam eſſe malitiæ.Et propterea etiam iuxta hanc ſententiã
ignorantia cauſſa prima peccati vocanda eſſet. INCLVSVS. Expectabi-
mus Ingenioſe Doctiſſime,vt tu ipſe primus in medium proferas,quid de
re hac dicendum cenſeas. INGENIOS. Mihi ſanè duo videntur. Primum
quidem dicendum puto , Homerum illius fuiſſe opinionis, quam parum
antea TVTVS Academicus noſter tetigit , non dari ſcilicet actum malũ
in voluntate, quin prius error præceſſerit in intellectu . Quod ſi ita ſenſit
Homerus,alterum eſt,quod dicam, deceptum illum eſſe, neque huiuſmo-
di ſententiam poſſe conſiſtere. SITIC. Tu ergo putas poſſe hominem male
operari,& peccare,abſque eo,quod in intellectu aliquis ſit error? Putas ne
poſſe aliquem noſſe ſe male agere , & tamen voluntariè amplecti malum ,
ſciens malum eſſe? INGENIOS. Proculdubio ita ſentio. SITIC. Ingentẽ *Scot. 3.*
mihi ſitim excitaſti audiẽdi , quãnam id tibi perſuaſeris ratione. INGEN. *ſent.d.36.*
Nonne ſiticuloſe Doctiſſime,illud frequenti experientia conſtat,quamplu
rimos de induſtria peccare, qui nullam poſſunt fragilitatis,aut ignorantiæ
excuſationem prætendere? Nonne hi peccaſſe dicuntur,quia peccare vo-
luerunt? SITIC. Apparet. INGEN. Deinde illud minimè negandum vi-
detur, cum plena ſcientia & vniuerſalium,& ſingularium rerum,quæ vo-
luntati proponuntur, atque etiam circumſtantiarum omnium actionis cu-
iuſque,dari tamen in voluntate libertatem agendi contraria ; tum etiam a-
gendi,& non agendi , & ex conſequenti peccandi pluribus modis, abſque
vlla ignorantia , in intellectu. ANONYM. Scio Scotum huius fuiſſe ſen-
tentiæ. Qui in eiuſdem confirmationem addit factum in Angelis,qui pec-
carunt , & in protoparente,cum primum tranſgreſſus eſt diuinum præce-
ptum . Neque enim in eo ſtatu naturalis felicitatis , in qua & Angeli ante
peccatum, & primus homo in ſtatu originalis iuſtitiæ fuit, potuit ignorã-
tia peccatum præcedere . Ignorantia enim ad miſeriam pertinet; miſeria
vero peccatum ſecuta eſt . SITIC. Quid ad has rationes reſpondeam , ne-
ſcio . Continere me tamen haud poſſum,quin aſſeram, & libere dicam,me
totum oppoſitum in Scholis didiciſſe , dum Theologiæ operam darem . *1.2.q.77.*
Immo ſcio D.Thomam , Doctorem Angelicum aliter omnino ſentire, & *art. 2.*
putare dari non poſſe actum malum in voluntate , quin prius in intellectu
ignorantia aliqua non præceſſerit. PROVID. Immo ita quoque ſentire *7. Ethic.*
videtur & Ariſtoteles ; qui ſtatuit opinionem dictantem, quid hic, & nũc *cap.3.*
agendum ſit,dominam eſſe noſtrorum actuum . Conſtat autem , quod di-
ctare,ſeu iudicare id eſſe faciendum,quod facere non licet,ſemper erroneũ
eſt . SITIC. Ariſtotelis Auctoritati, accedit & ratio . Quemadmodũ enim
ad omnem rectam actionem opus eſt imperio prudentiæ, quæ eſt omnium
bonorum actuum norma , ita pari ratione in omni actione praua cernitur
imperium imprudentiæ , quod ſemper eſt coniunctum cum errore aliquo
intellectus. PROVID. Eſt & alia ratio idem probans . Quicunque enim
aliquid eligit, voluntate ſemper videtur illud eligere , quia bonum eſſe

ſibi iudicat, & vtile. At qui peccat ſemper peius eligit. Decipitur ergo in intellectu iudicans pro bono malum. SITIC. Quid ad hæc dicis Ingenioſe? INGEN. Negare haud poſſum efficaciſſimas videri mihi rationes has, aduerſus meam ſententiam. Optarem certè eo me eſſe ingenio vt nodum hunc rectè diſſoluere ſcirem. SITIC. Eadem ſiti ego quoque affectus ſum. INCLVS. Quia video tantum concentum diuerſarum & vocum, & doctrinarum iam ceſſaſſe, & vnumquenque veſtrum ſilere, audebo interrogare nunquid veſtrum aliquis Fonſecam legerit in 9. Metaph. cap. 2. quæſt. quarta? Video vos renuentes. Scitote ergo ibi quæſtionem hanc optime tractari, atque diſſolui. SITIC. Ne queſo nos nunc remittas ad Fonſecam. Quin potius, ſi quid habes, quo tolli poſſit hæc difficultas, id in medium afferas. INCLVS. Libentiſſimè id faciam. Fonſeca eo loco multa dicit de ignorantia formali, & interpretatiua, ſi quis tamen intimius introſpiciat, videbit hæc parum conferre ad difficultatis ſolutionē. Tandem vero ille diſtinctionem quandam affert, ex qua huius quæſtionis exacta ſolutio pendet. SITIC. Quænam eſt hæc diffinitio? INCLVS. Ea eſt, qua diſtinguitur ignorantia intellectus, in antecedentem actum, & in conſequentem. SITIC. Quæ nam iſtæc eſt antecedens actum, aut conſequens ignorantia? INCLVS. Vocabitur antecedens illa ignorantia, quæ præcedit in intellectu, antequam voluntas eliciat actum, & ſe determinet ad actionem; conſequens autem illa vocabitur, quæ intellectũ occupat, poſt voluntatis determinationem. Hac diſtinctione ſuppoſita, optimè ſoluitur quæſtio. Nam ſi de antecedente ignorantia loquamur, certè neceſſe non eſt, vt ipſa præexiſtat in intellectu, ante malum voluntatis actũ. Quod ſatis videtur probari rationibus illis, quæ ab Ingenioſo afferebãtur. At vero ſi de ignorantia conſequente loquamur, dicendum proculdubio eſt, nunquam peccare Voluntatem, quin ſtatim in intellectu non conſequatur ignorantia. Ita vt quandocunque Voluntas malum eligit, ſemper in intellectu conſequitur iudicium abſolutum, quo actum voluntatis approbat; Atque adeo, quod etſi ante iudicaſſet melius fore ſi voluntas oppoſitum eligeret, tamen eo ipſo, quod voluntas hoc, vel illud eligit, ſtatim etiã determinatur intellectus ad illud approbandum. SITIC. Hactenus mihi ſummopere placet hæc doctrina. Vtinam validis rationibus comprobetur. INCLVS. Validiſſimis certe. Audi. Sicuti poſitis pronũciatis per ſe notis non poteſt intellectus non aſſentiri concluſioni, quæ ex illis ſequitur; ita poſitis bonis per ſe intentis ſiue vera ſint, ſiue apparentia, non poterit intellectus practicus non approbare actum voluntatis. At vero dum aliquid actu a voluntate eligitur eo ipſo per ſe appetitur, quia neceſſario. Approbabit ergo illud intellectus eodem inſtanti. INGEN. Nonne intellectus reprobare aliquando videtur illud quod ſemel voluntas amplexa eſt? INCLVS. Equidem videtur. Tamen ſi voluntas adhuc perſiſtat in eodē actu abſoluto, non verè repugnat, neque abſolutè, ſed tantum conditionatè, eo modo, quo & in ipſa voluntate aliquando repugnantes actus eſſe videtur. TVTVS. Tale aliquid videtur ſapiens dicere, cum ait. Vult, & non

vult

vult piger. INCLVS. Ita prorſus. Quando itaque voluntas ad aliquem actum malum ſe determinat, optaret quidem intellectus illum non approbare, at quando contra ab ea factum eſt, non potuit ille factum non approbare. ANONYM. Videtur hoc ipſum confirmari, & Pauli auctoritate, dicentis. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. INCLVS. Optimè. Sanè niſi ita fieret, vt intellectus approbaret actus voluntatis dum eliciuntur, hæq; duę potentiæ hoc pacto non conuenirent, moleſta ſæpenumero eſſet rationali creaturæ earum ſocietas, maleque auctor naturæ conſuluiſſet liberis actibus voluntatis. PROVID. Ariſtoteles ipſe quoque videtur huic fauere ſententiæ, cum ait. Qualis vnuſquiſque eſt, talis ei videtur finis. Et alibi in Rhetoricis. Amantibus, & odientibus non eadem videntur. Ita enim aſſerere videtur iudicium intellectus, ſequi affectum appetitus. INCLVS. Sed audite quęſo argumentum aliud in eandem ſententiam, magni momenti. Nam ſi tunc cum voluntas nondum ſtatuit, quid ſequatur, ſed tantũ inclinat in alteram oppoſitionis partem, intellectus quoque ad eadem approbandam propendet, & eius gratia ſcrutatur rationes, quibus illi obſequatur, vt contingit illis, qui in magiſtri alicuius verba iurarunt; quanto propenſius inclinabit ad approbandum eius actum abſolutum iam, & determinatum? SITIC. Efficax certe videtur eſſe hæc ratio, omnemque mihi ſuſtulit difficultatem. INCLVS. Hoc illud eſt, quod dicitur Sapientiæ 2. Excæcauit illos malitia eorum. Quo loco Sapiens malitiã accipit pro quocunque malo actu, aut affectu peccatricis voluntatis. Conſtat ergo nunquã hominem malas actiones edere, quin ille quoque non decipiatur in intellectu, ſaltem poſt voluntatis actum. Atque in hoc ſenſu veras eſſe rationes illas aſſero, quas parum antea, afferebas Siticuloſe, ſicuti ſi de antecedente ignorantia loquamur optimè illæ concludunt, quæ ab Ingenioſo afferebãtur. Non ergo hac in re deceptus eſt Homerus ſtatuens malos homines, ſuis ſtultitijs, ideſt erroribus, & deſipientijs, quæ ad intellectum pertinent, ſe perdere, & calamitates pati. Stultitiam enim dicere maluit, propterea quod illa eſt, quæ ſi præcedat actum, errare voluntatem facit; ſi vero non præcedat, ſimul tamen fit cum peccato, & abſolutum illud eſſe indicat. Habes ne quiſquam, quod opponas Ingenioſe. INGEN. Nihil prorſus. Video tamen Prouidum noſtrum ſe parantem ad aliquid dicendum. Quid affers Prouide? PROVID. Hoc vnum affero conſideratione digniſſimum in hac dictione, quod ſi quando homines ſuis ſtultitijs ſe dant perditum, vt dictum eſt hactenus, id Homerus inquit fieri præter fatum. INGEN. Putas ne id rectè dici ab Homero. PROV. Rectiſſimè, & iuxta Ariſtotelica Principia. Fatum enim ex Ariſtotelis ſententia, vt optimè oſtendit Frãciſcus Piccolomineus, fundamento idem eſt quod Natura, diſtinguitur tamen ratione. Dicitur enim Natura, vt eſt eſſentia rei, & principium operandi. Fatum vero, vt dicit ordinem ex aliquo Principio pendentẽ, quaſi effatum, & enunciatum. In vniuerſo enim Princeps omnium Deus, eſt Diuinaq; Mens, cui Sapientia conuenit eminentiſſima. Hanc ſequitur Diuina

3. Ethic. cap. 5.

2. ad Theo dect. 1.

2. Phyſ. tẽt. 15. in digreſſione de Natura.

Digitized by Google

Prouidentia, veluti quædam legum cõſtitutio Vniuerſi, quam ſequitur Fatum tanquam earundem Legum promulgatio. Natura vero eſt veluti exequutio illarum, ſequens Fatum. Quare Fatum relationem ſeruat ad Principium primum, nempe Deum, Legum conditorem; Natura vero magis refertur ad præſentia, & futura. ad præſentia quidem vt eſt eſſentia; ad futura vero vt eſt Principium operandi. Quare Natura in ſe ipſa eſt ordo, vt ſequens Fatum eſt ordinata, vt principium operandi eſt proxima cauſſa ordinis. Cum itaque Fatum denotet progreſſum ex aliquo Principio, eorum autem, quæ fiunt nonnulla fieri dicantur propter finem, vt ſunt attinentia ad ordinem vniuerſi, alia vero magis videatur ſequi neceſſario materiam, vt ſunt obitus, & monſtra, ideo colligit recte Piccolomineus Fatum eſſe duplex vnum Diuinum, alterum materiatum; quod tamen Diuino ſubijcitur, à quo in bonum finem dirigitur, vt interitus vnius, in generationem alterius. Hinc ſequitur ex Ariſtotelis ſententia id quod violentum eſt, & prçter naturam, neque in bonum dirigitur, præter Fatum fieri. SITIC. Hoc fortaſſe innuit Ariſtoteles, dicens. Sunt & generationes quædam violentę, & non Fato determinatæ, quibus contrariæ ſunt illæ, quæ ſecundum naturam. PROVID. Hoc ipſum ſanè. SITIC. Optarem Fatum iuxta traditã
tex.17. doctrinam definiri. PROVID. Afferam eiuſdem Piccolominei definitio-
5.phyſ. nem deſumptam ex Ariſtotele. Fatum eſt ſeries, per Dei Prouidentiam, Cauſſis ſecundum Naturam operantibus inſerta: qua opera Naturæ, niſi quid prohibeat in definitum finem deducuntur. Ex his luce clarius conſtat omnia peccata præter Fatum fieri, & ex conſequenti omnia, quæ peccatum conſequuntur. Non enim Deus vnquam Lege ſanciuit, vt peccata committerentur, quare, & præter Fatum, præterque Dei Legem, & ordinationem fiunt. Quod optimè cognouiſſe videtur Homerus inquiens peccãtes homines, præter Fatũ ſe ipſos perdere, & calamitates pati. ANONYM. Nonne de illis tantummodo calamitatibus intelligendum vis, ò Prouide, quæ peccatum admiſſum conſequuntur vt pęna, cuiuſmodi & mors fuit Ægiſthi, Qui niſi Agamemnonem prius occidiſſet, neque illum interfeciſſet Oreſtes. PROVID. De his tantum intelligo. INCLVSVS. Non poterat hæc res meo iudicio melius tractari; Pulcherrimaque certè eſt doctrina Piccolominei; quem rectius magnum hominem appellandum cenſeo.

ODYS-

ODYSSEÆ

Primo verſu xliv.

Dea cæſia Pallas.
Dea glaucos oculos habens Minerua.

Quæ Cauſſa glaucos oculos reddat. De eorundem oculorum Phyſiognomonia. Et quamobrem Minerua à Poetis Glaucopis dicatur.

COLLOQVIVM II.

PROVIDVS.

SI quando ſeſe offert occaſio Homero Mineruam nominandi, ſiue id fiat in Iliade, ſiue in Odyſſea, illam ſemper honeſtat γλαυκώπιδος epitheto; quod Latine glaucos oculos habentē denotat. Non id temere fieri putandum eſt à Sapientiſſimo Homero, & tamen neminem hactenus inuenire licuit mihi, qui huius rei cauſſam doceat. Ego quidem per ocium nonnulla excogitaui, quæ dici poſſent circa rem iſtam, quæ libenter in medium afferrem, niſi ſperarem me meliora auditurum à vobis, in hoc colloquio. Rogo ergo vos, & obſecro, ne pigeat, quid de huiuſmodi Palladis Epitheto ſentiatis, in mediū proferre. INCLVS. Audiui ego nonnullos, qui dictionē γλαυκώπις interpretabantur, cæſios oculos habens, vnde & cæſia Pallas dicta eſt. PROVID. Hæc primum interpretatio reijcienda eſt ea de cauſſa, quod nomen (cæſium) ambiguum eſt, neque ſatis certi coloris nomen. SITIC. Io. Baptiſta Porta vocem γλαυκώπις interpræratur ceruleos oculos habens. [2. Phyſiologia. cap. 7] PROVID. Decipitur & ipſe, nam glaucus color multum habet fulgoris, vel rectius, eſt veluti fulgor quidam candoris, qualis in piſcium ſquamis conſpicitur; cæruleus vero fit ex albo quidem fulgente, & nigro mixtis; vt peritiores Medici ſentiunt. Cum itaque glaucus color ille ſit, quem modo dixi, optarem aliquem veſtrum mihi cauſſam reddere, ob quam Homerus ita frequenter Deam Palladem Glaucopim nūcupet. TVTVS. Tuæ partes eſſent ſtatim aperire ea, quæ circa hanc conſiderationem excogitaſti. Rationi enim conſentaneum videtur, vt ille rectius in qualibet materia loquatur, qui diutius in illa verſatus eſt. PROVID. Rectè loqueris. Verum enimuero non dubito, quod ſi vos quoque dignamini veſtram proferre ſententiam, me doctrina veſtra adiutum, melius veritatem conſequuturum. INCLVS. Mos gerendus eſt Prouido noſtro. Quid dicis Prouide de illo-

rum

Digitized by Google

rum ſententiã, qui putantes Glaucopim nihil aliud ſignificare, niſi terribilibus oculis prædıtam, voluerunt Palladem ab Homero Glaucopim vocari, vt furorem eius terribilem hoc modo denotaret? qualis eſt ferarum omnium, quæ glaucos oculos habent, præſertim vero leonum? TVTVS. Heſichius etiam dum de Minerua verba facit, inquit φοβερὰν εἶναι ἐν τῷ ὁρᾶσθαι. Terribilem aſpectu eſſe, ſiue ſimilem eſſe animalſbus terribilem aſpectum habentibus, & glaucos oculos, cuiuſmodi ſunt leonum. PROVID. Nihil ineptius dici poteſt. Oculi quippe leonum non quidem glauci ſunt, ſed fului, & ab Homero χάροποι nuncupantur. χάροποί τε λέοντες. ANONYM. Diodorus ſcribit aëra nominatum eſſe Pallada; aër autem coloris eſt glauci, ideo Mineruam Glaucopim nuncupari. INCLVS. Ratio hæc Poetica magis eſt, quam Phyſica. SITIC. Forte dicendum Mineruam ita vocari διὰ τὸ λάμπρον καὶ περίβλεπτον τῆς ἀρέτης: quod virtus, qua Minerua decoratur, Illuſtris ſit atque conſpicua. PROVID. Hæc ratio etſi Poetica eſt, magis tamen videtur accedere ad Phyſicam veritatem. Nos autem ea, quæ in hoc eximio Poeta notatione digna cenſemus ad Phyſicæ rationis examen reuocare, vt noſtis, decreuimus. TVTVS. Si rationem Phyſicam huius epitheti volumus, ò Amici, adinuenire, nulla potior eſt methodus, quàm ſi prius inueſtigemus cauſſas, vnde hic glaucus in oculis color oritur. Has enim ſi inuenerimus facile erit poſtea inuenire, qua ratione color hic adſcribatur Palladi. PROVID. Ita prorſus agendum videtur. Sed huiuſmodi conſideratio, plena eſt difficultatis, & in qua ſummopere diſſident Ariſtoteles, & Galenus, recentioreſque multum inter ſe diſcrepant, & aduerſantur. INCLVS. At hoc ipſum pulchrum eſt circa difficilia verſari. SITIC. Ariſtoteles in libro Problematum conuenit cum Empedocle dicente glaucos oculos ex calore naſci. Inquit enim eos, qui Meridiem habitant nigris oculis eſſe, qui vero Aquilonem glaucis ob internum calorem, intus abundantem. Nam iis, qui Arcton colunt calor interior ab externo frigore coërcetur; qui vero Meridiem incolunt propter aeris circumfuſi calorem obuium ſuum continere nequeunt. ANONYM. Contra Galenus, inquit eos, qui glaucis oculis ſunt, alios frigidi eſſe temperamenti, alios vero humidi, ſimul & frigidi; dicitque huiuſmodi ſententiam minimè pugnare cum Hippocratis contextu, qui glaucum colorem, cum frigidiore temperamēto collocauit. PROVID. Sanè mirum eſt, quomodo Galenus hoc loco tam liberè proferat glaucos frigidi eſſe temperamenti, cum tamen paulo ſupra, & in libris de temperamentis docuerit ex oculorum coloribus non poſſe certum ſignum capi de totius temperatura corporis, niſi ſolorum oculorum. Verũ quicquid de re hac ſit, ſiue inquã glaucus hic color indiciũ eſſe poſſit temperamenti totius, ſiue oculorum tantum, parũ fortaſſe refert in præſentia. Quid dicendum in hac Ariſtotelis, & Galeni diſcrepantia? quem illorum dicemus rectius ſentire? SITIC. Certe Ariſtotelis opinio videtur mihi maximè ad veritatem accedere, principiiſque naturalibus inniti. Glaucus enim color, qui albicans eſt, & lucidus non alia de cauſſa fieri videtur, niſi ob paucitatem humoris illius aquei, qui etiam albugineus nuncupatur,

3. Epid. ſect. 3. cõ. 70.

5. de gen. anim. 1.

cupatur, quique anteriorem cryſtallini ſedem occupat, & ab vuea tunica continetur. ANONYM. Qua nam ratione id probabis? SITIC. Quonia & in aqua ipſa eadem ratione videtur idem color glaucus fieri. Si enim i mari, vel flumine aliquo pauca exiſtat aqua, ita vt viſus vſque ad imu penetret, & luce perfundatur tota, colorem glaucum, ideſt album, & pelli centem videbimus illam habere: ſicuti aqua multa exiſtente, ita vt neque viſus vſque ad imum penetret, neque luce tota perfundatur, tunc illam ce nemus nigricare. Sic & in oculis Ariſtoteles arguit fieri: Atque hoc modo duo ſoluuntur de viſu pulcherrima problemata. Quorum primum eſt, cur qui glaucis oculis ſunt interdiu cernere acutè nequeat, noctu vero melius videant contra quam illis eueniat, qui nigros oculos habent? Huius enim cauſſa illa eſſe videtur, quoniam cum glauci oculi pauco humore polleant aqueo, qui ad cryſtallinum defendēdum datus fuit a natura, euenit vt à multo lumine diurno lædantur, non aliter atque noſtri oculi à conſpecto Sole cæcurire videntur. Quam quidem offenſam cum noctu non patiantur, fit vt melius videant. A paruo enim noctis lumine iuxta pauci humidi menſuram ſufficienter immutantur ad viſum. Alterum problema, quod iuxta hanc Ariſtotelis doctrinam ſoluitur, eſt hoc; quamobrem infantes, & ſenes magis glaucis oculis ſint, quam mediæ ætatis. Infantibus enim id accidit, quoniam propter oculi paruitatem, ſicut & cæterorū membrorum humidum aqueum paucum eſt, & ideo opacum eſſe non poteſt; In ſenibus vero cum membra areſcant omnia, areſcit & humor ille; & cōſumitur, quo deficiente neceſſe eſt, vt glauci fiant. Nonne ergo hæc omnia ſatis confirmant Ariſtotelis ſententiam, quod glaucedo oculorum ab interno calore fiat, cum à paucitate aquei humoris pendeat, qui nonniſi ab interni caloris vehementia, videtur conſumi poſſe, & imminui? ANONYM. Equidem vt dicam quod ſentio ſiticuloſe Doctiſſime, de hac Ariſtotelica ſententia, nullo modo ſecundum illam poſſet Glaucopidis epithetum Palladi adaptari. Non quidem ea de cauſſa dico falſam eſſe; ſed aſſero tantum conſonam illam non eſſe Homericæ doctrinæ, neque conuenire cum Palladis epitheto. SITIC. Quamobrem? ANONYM. Quoniam, iuxta hanc doctrinam, oculi glauci imbecillitatem naturæ oculorū, & cerebri, immo & totius corporis videntur indicare; quod tamen de Pallade vt ab antiquis fingitur minimè dici poteſt. Ipſa enim inſignis & fortitudine, & prudentia, & ſapientia habita eſt ab antiquis omnibus. Conſtat autem Sapientiæ, Prudentiæque excellentiam, quæ non ſine ingenij acumine conſiſtere poteſt, optimam requirere cerebri temperiem. INCLVS. Veriſſimū hoc eſt, & explicatur optime à Io. Baptiſta Perſona Academico noſtro, in Commento illo, quem edidit in Galeni Lib. Quod animi mores, corporis temperamentum ſequantur. PROVID. Non modo non videtur Ariſtotelica ſententia de cauſſa glaucedinis conuenire cum Homeri noſtri doctrina, ob eam, quam Anonymus noſter rationem attulit; verum etiam (vt ingenuè dicam) neque videtur veritatem attingere. SITIC. Expecto vt id oſtendas. PROVID. Quoniam comparatio humorum oculi, cum aqua maris,

aut

Digitized by Google

aut fluminum,cui vniuerſa illa ſententia innititur,quadrare minimè videtur. SITIC. Quamobrem? PROVID. Quia aqua cum fundum habeat opacum, ideo ex ſe tota opacat. Cryſtallinus vero humor in centro oculi contentus,in medioque humorum conſtitutus ſplendidus eſt etiam in mortuo animali,multo magis in viuente, quandiu ſpiritu turget. Quare quamuis fortaſſe ſit verum aquam maris ob ſui maximam copiam, & profunditatē nigram videri, ſplendeſcere vero, & ſimul albicare ob paucitatem, conſequentia tamen non tenet in oculis ob rationem allatam. SITIC. Certè ita videtur. Sed quid dices ad illa problemata, quæ adeo rectè ſoluuntur iuxta hanc ipſam ſententiam? PROVID. Hoc parum refert. Nam & iuxta Galeni ſententiam puto Anonymum noſtrum illa ſoluturum. ANONYM. Proculdubio. Verum antequam illam ego probem,expecto vt ſermoni de Ariſtotelis opinione finis imponatur. SITIC. Per me nunc imponatur;iam
3.3. trac. enim mihi minimè illa probatur. TVTVS. Quid vobis videtur ô Amici,
3. cap. 34. de Auicenna, qui ſtatuit colorem vueæ tunicæ cauſſam eſſe coloris oculo-
Lib. 7. ca. 14. rum? Sanè hanc ſententiam Andreas Veſalius ita amplificauit,vt voluerit eam vnicam cauſſam ſufficere ad colorandos oculos. Vidit quidem Veſalius hoc multis viſurum paradoxum, in ea tamen opinione ſe confirmauit, quoniam videbat illum colorem in oculis cerni, qui & in vuea cernitur, & quia in oculo ferè apparet color idem, qui & in cute externa. Germanorum enim inquit oculi candidi ſunt,Æthiopum vero nigri. Vultque de oculorum coloribus haud ſecus diſputandum eſſe, quam de coloribus cutis, & capillorum; nam & parem ferè cutis, & oculorum coloris in varijs nationibus rationem inquit obſeruari. PROVID. Etſi ego nolim inficiari vueæ tunicæ colorem non parum conferre ad oculorum colores efficiendos, illum tamen ſolum ſufficere, aut maximam ſibi partem arrogare huius rei,vt Veſalius cenſet,non ſane probauerim. Primum quidem,quia animalia noctu videntia, glauca ſunt omnia, quare plurimo interno lumine prædita. Color autem vueæ albus,quomodo efficiet vnquam animalia noctu cernentia? Præterea ratio illa, quam ille affert, admodum deficere videtur. Non enim glauci cutem,aut capillos albos habent,neque qui ni-
Art. Med. cap. 58. gris ſunt oculis,omnes etiam in cute eundem colorem obtinent. Cutis præterea alba frigiditatem, humiditatemque indicat temperamenti, cum tamen multi glauci ſint,homines,pueri,Germani,Schytę,qui frigidi,& humidi non ſunt. Inſuper,quomodo problemata diſſoluet iuxta tale principium? Et tamen pro ſua opinione confirmanda neceſſe erat illud facere, quod neque Ariſtoteles grauatus eſt efficere. INGENIOS. Equidem ſi ſolus albus color vueæ oculos glaucos reddit, abſque vllo concurſu humorum,vel ſpirituum, non apparet cur magis pueri,vel ſenes glauci ſint, media ætate non ſint. Aut cur interdiu minus, noctu magis videant. PROVID. Ita prorſus. TVTVS. Aſſentior. INCLVS. Anonyme? Nonne tu quoque tentabis Galeni tui ſententiam roborare? ANONYM. Expectabā an quiſpiam veſtrum nouam aliquam opinionem eſſet in medium allaturus. Quod ſi ita vobis placet,vt ego quoque meam Galeni opinionem examinandam

minandam proponam, id quam libentiſſimè faciam. PROVID. Nonne vides omnium ora in te conuerti. Age. Incipias. ANONYM. Galenus quinque cauſſas partiales enumerat, quæ vim habent glaucos oculos efficiendi. Prima eſt magnitudo humoris Cryſtallini, quem & glacialem vocant, quique in oculi centro continetur. Secunda eſt eiuſdem puritas, & ſplendor. Tertia illius prominentia: quando ſcilicet in ſublimi poſitus eſt, non in profundum oculi. Quarta paucitas humoris aquei, qui in anteriore Cryſtallini parte collocatur. Quinta, tenuitas eiuſdem aquei. Ex quibus conſtat Galenum totam glaucitatis formam in ſplendore illo collocare, qui ex humore manat cryſtallino; ita vt oculi illi, in quibus eiuſdē cryſtallini fulgor maximè conſpicitur, hi glauciſſimi ſint. Contingit autem ob dictas quinque cauſſas ſimul iunctas, cryſtallinum humorem ſummopere manifeſtare ſplendorem ſuum, cum ſcilicet & magnus eſt, & lucidus, & in ſublimi poſitus, & ante ſe exiguum habet aquei humoris offuſcantis, & inſuper hic aqueus purus eſt, ita vt facile ſinat cryſtallini fulgorem extra penetrare. Ex omnibus contrarijs ſimul iunctis nigrum valde oculum fieri docet, ſicuti medij coloris ſi aliqua quidem adſint horum, aliqua deſint. SITIC. In eo tamen videtur Galenus Ariſtotelem ſequi, quoniam & ipſe quoque paucitatem aquei humoris concurrere ſtatuit ad glaucedinem efficiendam. ANONYM. Alia ſanè ratione id fieri Galenus aſſerit, alia Ariſtoteles. Galenus ea de cauſſa facit paucitatem aquei glaucedinem parere, quia aqueus humor paucus exiſtens non impedit tranſitū ſplendoris cryſtallini. At Ariſtotelis vult ipſum aqueum humorem proprium eſſe ſubiectum glaucitatis, ipſiuſque proprium eſſe album illum ſplendorem, quod longe eſt diuerſum. SITIC. Intelligo. Sed tamen ſunt, qui putent Galenum potiorem omiſiſſe cauſſam glaucitatis, etiam ex illis, qui huic tuæ ſententiæ ſubſcribunt. Ioannitius enim in ſua Iſagoge affert pro cauſſa potiſſima glaucitatis abundantiam ſpiritus animalis, inquiens. Glaucus color indicat ſpiritum viſibilem magis abundare. Immo & Valleſius, alioqui Galenicus ſcriptor, pedibus it in hanc ſententiam, inquiēs colores hos, aut illos ex ſplendidi, & opaci permixtione fieri recte dici, ſed ſplendoris, cauſſam vnam, & opacitatis alteram, eaſque precipuas omiſſas fuiſſe à Galeno. Præcipuam enim ſplendoris cauſſam eſſe in ſpiritus copia, illam vero in ſolius cryſtallini humoris magnitudine, & fulgore proprio poſuiſſe. Vnde conſtat neque Galenicam ſententiam ſatis tutā eſſe, cum à Galenicis quoque auctoribus vt manca culpetur. ANON. Sanè quod ſpirituum animalium copia ſit maxima cauſſa ſplendoris oculorum, negari minimè poteſt. An autem hanc Galenus omiſerit, vt Valleſius ſentit, an vero intellexerit illam ſub nomine cryſtallini ſplendentis, vt cenſet Thomas à Vega, non eſt quod diligentius inquiramus. Illud ſaltem eſt certiſſimum inter alias cauſſas, propter quas hic humor cryſtallinus ſplendet, ideo etiam ſplendeſcere, quia multò repletur ſpiritu. Quare non adeo deficiens eſt hęc Galenica opinio, vt tu videris arbitrari. TVTVS. At Io. Baptiſta Porta valde improbat hanc doctrinam, inquitque

Art. Med. cap. 27.

Cap. de color. oculorum.

Art. Med. cap. 27.

paucis

Digitized by Google

3. Phyſic. cap. 7. paucis illam arridere. Et rationem affert. Quia oculi mortuorum, nunquã glauci, inquit, ſunt, & tamen in oculi diſſectione videtur Cryſtallinus humor purus, & magnus. Deinde, inquit, magnitudo, & ſplendor Ariſtoteli vnica cauſſa eſt. Nam cryſtallinus nulla ratione claritatem, & colorem glaucum generat, niſi quia ſplendet, & multum illuminat. Ideo inquit vitandam eſſe multiplicitatem. ANON. Sunt hæc infirmiſſima argumenta. Nam quod ad primum attinet falſum eſt quod aſſumit, dicens cryſtallinũ humorem in diſſectione purum ſplendentemque cerni. Quod autem inquit glaucos in mortuis oculos non videri, & ſi fortaſſe ſit verum, nil tamen conficit aduerſum nos, propterea quod deeſt magna cauſſa ſplendoris, nẽpe ſpiritus animalis copia: diſſoluuntur enim ſpiritus illi per mortem. Secundum autem ſicuti facile ſoluitur, ita magnam oſtendit imperitiam Portæ, aut contradicendi pruriginem. Nam cur non erant illæ cauſſæ diſtinguendæ, quę natura ſunt diſtinctæ, & ſæpenumero actu, & realiter diſtinguuntur. Nonne magnitudo cryſtallini humoris ſæpe diuiditur ab eiuſdem ſplendore? Poteſt, mi Tute, cryſtallini fulgor maior, aut minor eſſe, vt ſcilicet vitrum vitro, & cryſtallum cryſtallo contingit eſſe ſplendidius, aut turbidius. Vnde fit, vt hic habeat cryſtallinum minorem quidem ſed ſplendidiorem, ille vero maiorem, lucidum autem minus. TVTVS. Optimè. ANON. Erant ergo hæ duæ cauſſæ diſtinguendæ cum Galeno, non autem confundendæ cum Porta. PROVID. Optime quidem mea ſententia diſcurris Anonyme, non paruaque affectus ſum delectatione dum te audirem diſſerentem. At quanam ratione ſecundum hanc ſententiam, ſoluuntur duo illa iam dicta Problemata. Pollicebaris enim te optimè illa explicaturum. ANON. Thomas à Vega illa rectiſſime ſoluit hoc modo. Animalia glauca, quæ etiam noctu venantur interdiu male vident, noctu rectè, propterea quod cum abundent interno lumine, ab externo multo diei offenduntur. Tantum enim illis interni luminis datũ eſt, quantum ſufficiat ad illuminandum noctu aerem: Sicuti animalibus per diem paſcentibus, atque venantibus, quantum cum Solari lumine iunctum ſufficiat. Ideo per noctem minus vident illi, qui nigris oculis ſunt, quia interno carent lumine, quo aerem illuſtrent; indigent enim exteriori: contra qui glaucos habent interdiu peius, nocte rectius cernunt. PROVID. Mihi ſummopere placet hic ſoluendi modus, magiſque multo, quam Ariſtotelicus. Sed quid ad problema infantium, atque ſenum? Nam & hoc expecto. ANON. Hoc quoque rectè ſoluitur per Galenica principia. Infantes enim pauco, tenuique præditi ſunt humore aqueo, cryſtallinum autem prominentem habent ob mollitiem; & inſuper valde lucet, quia abundant ſpirituum copia. Senibus vero cum omnia areſcant, tum maximè areſcit humor tenuis, ob mollitiem atque tenuitatem. Ideo deficiente in illis humore aqueo, efficitur vt cryſtallini ſplendor magis transluceat, imminuto illius impedimento. Atque ita glauci ſenes fiunt. PROVID. Neſcio an melius ſolui poſſit huiuſmodi Problema. SITIC. Mihi vero contra euenit, magnam enim difficultatem patitur huiuſmodi reſponſio-

PRO-

PROVID. Quam? SITIC. Quoniam dictum eſt ſupra potiſſimam ſplendoris cauſſam eſſe ſpirituum copiam animalium: & glaucitatem eo maiorem fieri, quo maior eſt copia ſpirituum. His ergo ſtantibus non modo ſenes glauci non deberent fieri magis quam mediæ ętatis homines, ſed etiamſi in media ætate glauci erant, adueniente ſenectute deberent glaucitatem amittere, propterea quod in illis deficit potior glaucitatis cauſſa, nempe ſpiritus copia. Ætas enim, quæ propior eſt morti magis à ſpiritibus deſtituitur. Confirmatur ratio, quia & Anonymus ipſe in ſolutione argumenti ad Io. Baptiſtam Portam, dixit in mortuis glaucedinem nō apparere, propterea quod deeſt magna ſplendoris cauſſa, nempe ſpiritus animalis copia, diſſoluuntur enim ſpiritus illi per mortem. Si ergo ſolus ſpirituum defectus glaucitatem ab oculis mortuorum tollit, ergo & à ſenibus illam auferet; cum in illis fiat ſpirituum eorundem diſſolutio ſine reparatione. Tantum ergo abeſt, vt reddita ſit ratio, cur glauci ſenes fiant, vt potius ſecundum traditam doctrinam dicendum homines glaucos ſeneſcente ętate amittere glaucitatem. PROVID. Anonyme, valde videntur hę obiectiones. Videſne earum ſolutionem vllam? ANON. Talem video vt ex illa dilucidior mea doctrina antea tradita ſit euaſura. PROVID. Hanc obſecro afferas. Gratiſſimum enim mihi erit ſi hæc tua opinio rectè ſuſtineatur, quia ex ea optime conijcio quam ob cauſſam Pallas dicatur ab Homero Glaucopis. ANON. Audite ergo obiectionum ſolutionem. Sed notate prius, quod humor aqueus in ſenibus ualde minuitur, cryſtallinus vero parum vel nihil minuitur. Cuius differentiæ cauſſa eſt, quoniam humor aqueus tenuius eſt, & mollis, ideo facile cōſumitur, quod cryſtallino non euenit ob ipſius craſſitiem atque duritiem. Ad argumentum ergo. Dicebatur. Deficiunt ſpiritus animales in ſenibus, ergo non poteſt ſuccedere in illis glaucitas. Nego conſequentiam. Poteſt enim cum minori fulgore, copiaque ſpirituum, glaucitas eſſe maior. Nam etſi fulgor ſpirituum animalium eſt magna cauſſa ſplendoris cryſtallini, & glaucitatis, non eſt tamen ipſe ſolus glaucitas. Sed glaucitas eſt fulgor cryſtallini extra relucens. Quæ cum ſit natura glaucitatis, euenit vt hæc non vnicam cauſſam habeat, ſpirituum fulgorem, vt tu ſupponis in argumento Siticuloſe; ſed quinque ſunt cauſſę glaucitatis, vt dictum eſt. Quatuor autem earum ſunt illius naturæ, & virtutis, vt poſſint fulgorem cryſtallini, licet exiguum, patefacere, & oſtendere extrinſecus. Sunt autem hę magnitudo cryſtallini, ſublimis poſitus eiuſdem, paucitas aquei, tenuitas aquei. Quare fieri poteſt, vt quis cum minori fulgore & copia ſpirituum, maiorem habeat glaucitatem: quia ſcilicet plures in ipſo ſint cauſſæ ex his quatuor. Atque hoc euenit in ſenibus, in quibus etſi vna deficit cauſſa glaucitatis, nempe ſpirituum fulgor, & copia, tres tamen aliæ emergunt cauſſæ eiuſdē glaucitatis, vnde fit vt glaucitas ſuccedat, tribus unius defectum ſuperantibus. Sed quid dico vnius? ne vna quidem integra deficit in ſenibus, non enim ſolus ſpirituum ſplendor eſt totalis cauſſa ſplendoris cryſtallini, cum ipſe quoque cryſtallinus aliquid habeat fulgoris innati. SITIC.

Digitized by Google

uenam Qſunt illæ tres cauſſæ glaucitatis, quas dicis in ſenibus emergere? Ego enim vnam tantum video, paucitatem aquei humoris. ANON. Nõ modo humor aqueus minuitur in ſenibus, verum etiam ſublimior euadit poſitus cryſtallini, quæ altera eſt cauſſa glaucedinis. Tandem etiam maior quodammodo euadit cryſtallinus; quæ tertia eſt cauſſa. SITIC. Nõ video, quomodo hæc fiant. ANON. Hoc tibi patefaciam. Quod igitur humor aqueus deficiat in ſenibus notum eſt. Ad huius conſumptionem ſublimis euadit poſitura cryſtallini. Conſumpto enim humido aqueo concidunt oculorum tunicę, & magis accedunt ad cryſtallinum. Vnde fit, vt magis ille promineat, ſuumque ſplendorem patefaciat. Ad hanc tunicarum concidentiam oculus fit minor; cumque cryſtallinus parum vel nihil minuatur, idem ſequitur effectus, ac ſi oculo toto minime imminuto, cryſtallinus ipſe creuiſſet. Idem enim eſt cum eadem oculi magnitudine cryſtallinum creſcere, atque cum eadem cryſtallini magnitudine oculũ decreſcere. Vtrobique enim cryſtallinus maiorem oculi partem occupat. Ideo dixi, quodammodo. Sic patet glaucedinem rationabiliter in ſenibus ſuccedere, licet ſpiritus ipſi deficiant. Atque ita ſolutum eſt primum argumentum. Ad ſecundum patet ſolutio ex dictis. In mortuis non apparet glaucedo, quia ſpirituum ſplendor extinctus eſt totus. Aqueus autẽ humor ob magnam frigiditatem incraſſatur valde, & obtenebratur. Quo fit ut exiguus ille ſplendor, qui eſt innatus cryſtallino haud valeat penetrare. At in ſenibus, neque tanta eſt frigiditas, quæ humorem aqueum cogat, & tanta reperitur ſpirituum copia, quæ ope dictarum cauſſarũ glaucedinem valeat efficere. SITIC. Iam penitus acquieſco. PROVID. Mihi quoque valde placuiſti Anonyme hiſce tuis reſponſionibus. Hactenus igitur, arbitror, cauſſa inuenta eſt vera glaucitatis. At nollem vos obliuiſci illius quod primo loco à nobis quærebatur. INCLVS. Quidnam hoc eſt Prouide? PROVID. Quærebatur à nobis, egoque inueſtigandum propoſui, quamobrem Pallas, à Poeta noſtro ſemper nuncupetur *γλαυκώπις*. Vt autem id recte à nobis præſtaretur, placuit prius glaucitatis cauſſas perquirere. INCLVS. Parũ antea te audiui dicentẽ ex Galeni ſententia de glaucedinis cauſſa optime colligi poſſe rationẽ illius epitheti. Arbitror itaq; nos oẽs expectaturos, vt tu, qui iam inuentum eſſe putas, quod quærimus, id nobis quoque tradas, & patefacias. PROVID. Mihi ſane ſatis conſtare videtur ex Anonymi noſtri doctrina, quamobrem Pallas epitheto Glaucopidis ab Homero noſtro decoretur. Dicamque vobis quam libentiſſimè, quomodo id mihi conſtet. Scitis omnes vos Mineruam ab omnibus Poetis Sapientiæ, atque Prudentiæ Deam vocari. INCLVS. Scimus. Et propterea etiam dicunt illam ex Iouis capite prognatam. PROVID. At ego dico Homerum noſtrum epitheto Glaucopidis eximiam illius ſapientia, atque Prudentiam indicare. INCLVS. Pulcherrimum ſane inuẽtum, modo id vel leuiter probetur. PROVID. Efficaciter illud oſtendam. Glauci enim oculi ex ſe indicium ſunt manifeſtiſſimũ temperamenti illius, quod homines aptos reddit ad Sapientiam, atque Prudentiam, quod potiſſimũ

de il-

Digitized by Google

de illis verum eſt, qui glauciſſimi ſunt, cuiuſmodi cenſendi ſunt oculi Palladis, cum ipſa per excellentiam Glaucopis dicatur. Merito ergo Palladi Sapientiæ Deæ oculi illi tribuuntur, ab Homero, qui ipſius Sapientiæ ſignum ſunt euidentiſſimum. INCLVS. Qua obſecro ratione docebis oculorum glaucitatem indicium eſſe temperamenti illius, quod homines ad Sapientiam aptos reddit? PROVID. Sciſne qualenam huiuſmodi ſit temperamentum? INCLVS. Scio Ioannem Baptiſtam Perſonam Academicum, & Hoſpitem noſtrum ſtatuere in commento illo, Quod animi mores *Pag. 191.* corporis temperiem ſequuntur, eos ad ſapientiam aptos eſſe, qui cerebro *& 309.* præditi ſunt calido, ſiccoque moderatè, cum tenuitate ſubſtantiæ. At quomodo hoc ipſum denotet glaucedo oculorum ſane ignoro. PROVID. Si vera ſunt ea, quæ de glaucitatis cauſſa dicta ſunt, facili negotio tibi apertũ faciam, oculorum glaucitatem illud ipſum cerebri temperamentum indicare, quod ipſe Perſona Sapientiæ, & Prudentiæ tribuit. Aduerte. Nonne in maxima glaucitate, & ſpiritus animales abundant ſummopere, ijq; puriſſimi, atque pellucidi, inſuper & humor aqueus paucus eſt, purus tenuiſque? INCLVS. Ita quidem dicendum ſecundum traditam antea doctrinam. PROVID. In primis igitur cum ſpiritus animales generentur in cerebro, ſi multi ſunt, indicium erunt cerebri caloris alicuius, multam copiam ſpirituum generantis. Cumque tales ſpiritus puriſſimi ſint, atque pellucidi, proculdubio & tenuitatem illius, ſiccitatemque aliquam indicabunt, cum priuatione excrementorum. Nam cum copia excrementorum ſpiritus puri, ac ſplendidi eſſe non poſſunt. At cerebrum humidum non admodum careat excrementis, ſicuti neque pars alia humida: ſed ſiccitas præualens illa eſt, quæ excrementorum redundantiam abigit. Siccum ergo erit cerebrum in abundantia ſpirituum ſplendidorum. Accedit & altera ratio. Humor enim aqueus paucus exiſtens ſiccum oculi temperamentum indicat, vt rectè Valleſius notauit. At cum oculi ſiccitate vix fieri poteſt vt & cerebrum ipſum non ſit. Porrò tenuitas eiuſdem aquei, nec non & ſpirituum tenuitatem cerebri arguit. Quare hactenus inuentum eſt glaucitatem ex ſe denotare cerebrum calidum, ſiccum, atque tenue. Non tamen omnem caliditatem, aut ſiccitatem arguit cerebri, ſed mediocrum tantummodo. Nã in valde ſicco, & calido cerebro ſpiritus animales abundare haud multum poſſunt, eorum ſubſtantia conſumpta. Tenuitas ergo ſpirituũ, & aquei humoris cerebri tenuitatem, puritas ſiccitatem, multitudo ſpirituum calorem, ſiccitatemque mediocrem denotat. At hoc ipſum erat temperamentũ, quod Sapientes Prudenteſque homines reddit. Si ergo oculi glauci quantum ex ſe eſt illud, indicant merito Homerus Sapientiæ Deam Palladem Glaucopim vocat. SITIC. O Pulcherrimum inuentum. Hoc certè nemo hactenus ne à longe quidem vidit. INCLVS. Non proculdubio. ANON. Ego aliquos noui, qui cum glauci eſſent, Sapientes, atque Prudentes extiterunt. Noui in primis Io. Iacobum Perſonam, Hoſpitis noſtri Patrem. Qui vir ingenioſiſſimus extitit, doctiſſimus, atque prudentiſſimus. Hic oculos glaucos habuit. Noui R.P. Bernardinum Salinum, è Societate Ieſu, Præceptorem meum in Philoſophia. Hic doctiſſimus omnium habitus eſt Ieſui-

Digitized by Google

tarum, qui tunc temporis Braydæ Collegium habitabant; Glaucus & ipſe fuit, ita vt cognomen glauci nonnulli ipſi impoſuerint. Franciſcus Piccolomineus Philoſophus ſummus, qui annos quinquaginta Philoſophiam ſummo cum honore in præcipuis Italiæ ſtudijs docuit, ipſe quoq; glaucos habuit oculos. Glaucus fuit & Hieronymus Pallanterius, Theologus ſummus, qui meorum ſtudiorum temporibus Theologiam in via Scoti Patauij publice profitebatur. PROVID. Si exemplis erit nobis inſiſtendum, vnum erit pro multis, quod hanc veritatem confirmet abundè. Hercules Taſſus, qui adhuc in viuis eſt, quàm ſit glaucis oculis, nemo veſtrum ignorat; at neque illud quempiam ex vobis latet, virum illum Sapientiſſimum eſſe, atque Prudentiſſimum. INCLVS. Quid? quod & quaſcunque ego vnquam vidi D. Thomæ, aut Scoti effigies, omnes penitus oculos habuiſſe glaucos Scio; quod indicium eſt euidentiſſimum illos quoque eximios viros, dum in viuis eſſent, ſimilibus oculis præditos fuiſſe. PROVID. Probabiliſſima coniectura. INGEN. Nonne parum antea dicebatur glaucos oculos, calidũ ſiccumque moderatè cerebrum indicare? PROVID. Dicebatur. INGEN. Quid ergo dicemus ad Auerroem, qui glaucos oculos indices ait eſſe cruditatis, & frigiditatis cerebri, & oculorum? PROVID. Valere illum ſinamus. TVTVS. Valeat ergo & Porta, q. in Phyſiognomonico ſtatuit glaucis oculis imbecillitatem, & timiditatem ſignificari. PROVID. Valeat. INCLVS. Sed quid dicemus ad Ariſtotelem, qui in ſuo Rhyſiognomonico aperte ſtatuit, eos, qui oculos glaucos habent timidos eſſe, quia color albus videtur timiditatem ſignificare? ANON. Iam reiecta eſt antea Ariſtotelis ſententia. PROVID. Immo magis reijcienda eſt ob hanc ipſam obiectionem. INCLVS. Quamobrem? PROVID. Quia obiectio ipſa aperte pugnat cum Ariſtotele in loco illo Problematum, in quo aſſeruit glaucos oculos ab interno calore fieri. Si enim ob interno calore fiunt, quomodo timiditatem arguent? aut ſi timiditatem indicant, quomodo a calore interno fiunt? Conſtat enim internum calorem roborare iraſcibilem, cæteraſque facultates omnes, ita vt non timidos homines reddat, ſed audaces potius, contemptoreſque periculorum. Quamobrem locus problematum non modo ratione refellitur, verum etiam Ariſtotelis ipſius auctoritate in Phyſiognomonico. Quæ vero hinc deſumebatur obiectio, ea ratione reijcienda, quoniam & doctrinæ antea traditæ aduerſatur, & Ariſtotelicis principijs repugnat. TVTVS. Equidem in tali opinionum inconſtantia, qualis reperitur in hac materia apud Ariſtotelem, vterque locus amittit fidem, atque propterea reijciendus eſſe videtur. PROVID. Ego quoque ſic cenſeo.

ODYS-

ODYSSEÆ

Primo verſu cvj.

Sed age mihi hoc dic, & vere enarrato,
Si certè ex ipſo tantus filius es Vlyſſe
Vehemēter enim,& capite, & oculis pulchris ſimi
lis es illi. - - - - - -
Hūc autē rurſus Telemachus prudēs allocutus eſt
Certe enim ego tibi hoſpes valde verè enarrabo.
Mater quidem me inquit eius eſſe; cæterum ego
Neſcio. nō enim vllo pacto, q̀s ſuū ſemē cognouit
Hunc autem rurſus allocuta eſt Dea glauca Pallas.
Haud ſane tibi genus Dij ignobile in poſterum
Dederunt, quandoquidē te talē peperit Penelope.

Traditur accurate cauſſa Phyſica propter quam Filij ſunt Parentibus ſimiles.

COLLOQVIVM III.

ANONYMVS.

EST ne aliquis veſtrum, ò Amici, qui eo vſque cogitatione peruenerit, vt cauſam noſcat, quæ me mouit, vt Principem noſtrum rogauerim, vt huiuſmodi carmina in medium conſideranda, proferret? INCLVS. Equidem, vt ingenuè fatear, etſi diu mecum ipſe cogitauerim, quidnam Philoſophica conſideratione dignum tu inuenire potueris, ò Anonyme; in his verſibus, nihil tamen potui excogitare, quod mihi omnino ſatisfaceret. ANONYM. Audite me obſecro. Minerua quærens reditum Vlyſſi, iamdiu erranti à patria terra, ſumpta effigie Mentæ Regis Taphiorum, qui Vlyſſis amicus extiterat, domum eiuſdem Vlyſſis perrexit, ab eiuſque filio

Telemacho hoſpitaliter, benigne excepta tandem illum interrogauit, an Vlyſſis, cui ualde ſimilis erat, filius eſſet; cum tamen antea ipſum Telemachum Dominum eſſe domus cognouerit, illumque valde Vlyſſi ſimilem faſſa ſit; & (quod maius eſt) antea vocauerit illum Vlyſſis filium, ſic dicens in verſu 94.

Sed ipſum aiunt peregre eſſe
Tuum patrem; Verum huic dij impediunt iter.

Si ergo nouerat errantem Vlyſſem eſſe Patrem Telemachi, quomodo poſtea petit ab ipſo Telemacho, an ſit filius Vlyſſis. Auget admirationem, quod reſpondente Telemacho, ſe neſcire an Vlyſſis filius eſſet, an alterius, cum tamen ſuam non ignoraret cum Vlyſſe ſimilitudinem, eius reſponſum Minerua laudauit, tanquam uerè, prudenterque prolatum; cum tamen ſimilitudo Telemachi cum Vlyſſe quam Pallas ſub effigie Mentæ cernebat, ſufficere poſſe videretur, ad hoc, vt ipſa adoleſcentem Telemachum in opinione confirmaret, ſe eſſe Vlyſſis filium. At hoc non fecit. Immo illud ſolum reſpondit ei, ſe nobile genus in poſterum à Dijs accepturum, cum ipſe optimus genitus ſit à Penelope. De Vlyſſe ne verbum quidem. Quare Poeta eximius innuere videtur exiguam, aut nullam fidem ſimilitudini, quæ inter Telemachum, & Vlyſſem intercedebat adhibendam fuiſſe, vt exinde hic illius uerus pater haberetur. SITIC. Huius ergo rei admiratione captus Anonyme, hæc carmina rogaſti in medium conſideranda proponi? ANONYM. Ea ipſa fuit meæ admirationis cauſſa. SITIC. Ego certè non miror Homerum ita ſcripſiſſe, cum hoc ipſum ſummopere faueat opinioni illi, quæ iamdudum inualuit apud Doctos homines, totam cauſſam effigiei hominum in illam imaginationem referenti, quæ in illo congreſſu facta fuit, in quo geniti ſunt. A vehementi enim generantium cogitatione volunt illi regi, & gubernari virtutem illam, quæ fœtum conformat, ſemperque ſimilem facere illum imagini illi, quam congreſſus tempore parentes conſiderabant. Hæc ſi vera ſunt, quid mirum ſi Homerus parum confidat in ſimilitudine filiorum, ad hoc vt pro certo habeat, aliquem illius eſſe filium, cuius imaginem refert. ANONYM. Quid tibi videtur de opinione iſta? SITIC. Non poſſum non illam probare, & amplecti. INCLVS. Ego minimè illam probo, neque vnquam probabo. SITIC. Cur? INCLVS. Quia neſcio quid uidetur illa mihi abhominabilis continere. SITIC. Quidnam hoc eſt? INCLVS. Hoc ipſum, quod ſecundum hanc ſententiam fieri facile poteſt, vt pluribus exiſtentibus eiuſdem matris filijs, alijs quidem marito ſimilibus, alijs autem minimè, ij qui marito ſunt ſimiles adulterini ſint, ac nothi; ij vero, qui adulterum referunt, legitimi. Quid abſurdius, quid indignius hominis dignitate excogitari poteſt? SITIC. Qua ratione huiuſmodi abſurdum conſequatur, haud video. INCLVS. Legiſti ne vnquam carmina Thomæ Mori, in quibus de huiuſmodi negotio loquitur? SITIC. Legi. Vis ne ea me recitare? INCLVS. Quid ni? SITIC.

Quos ante coniux quatuor
Natos Sabine protul.t
Multum diſſimiles tui.
Tuos nec ipſe deputas.
Sed quem tibi puellulum
Enixa iam nuperrimè eſt
Solum tibi ſimillimum
Pro quatuor complecteris.
Adulteri nos quatuor
Vocas, odis, & abdicas
Atqui graues tradunt ſophi,
Quodcunque matres interim
Imaginantur fortiter
Dum liberis dant operam
Eius latenter & notas
Certas, & indelebiles
Modoque inexplicabili
In ſemen ipſum congeri.
Quibus receptis intimè
Simulque concreſcentibus
A mente matris inſitam
Matris refert imaginem.
Dum gignit vxor quatuor
Quod eſſet admodum tui
Secura diſſimiles parit.
Sed vnus omnium hic puer
Tui refert imaginem
Quod mater hunc dum concipit
Sollicitate plurimum
Te tota cogitauerat
Dum pertimeſcit anxiè
Ne tu Sabine incommodus
Velut lupus in fabulam
Superuenires interim.

INCLVS. Nonne ergo vides hanc mulierem, dũ filium ex Sabino conciperet, potuiſſe animum ad adulterum imaginaria voluptate conuertere, atque ita filium quidem legitimum parere, effigiem autẽ habentem adulteri? SITIC. Ita prorſus. ANONYM. Vides ne iam doctiſſimè Princeps, quamobrem te rogauerim, vt hæc proponerẽtur carmina? Quia enim quæſtio hæc de cauſſa cur nati ſimiles, aut non ſimiles parentibus gignantur multis difficultatibus eſt inuoluta, valdeque anxit Philoſophos omnes, ac Medicos, alijs aliam opinionem tuentibus. ita vt neque Philoſophi omnes Ariſtotelem, alioqui ducem ſuum, neque Medici Galenum, aut Hippocratem ſint ſecuti. ſed omnes ferè de cauſſa diſſentiant, tanta obſcuritate inuoluta eſt hæc inueſtigatio; Ideo res digna mihi viſa eſt, quæ à nobis aliquãdo diſcuteretur, cum primum Homerus noſter nobis præbuiſſet anſam. Præbuit autem in his carminibus, vt vnuſquiſque veſtrum poteſt obſeruare. Eo autem libentius id feci; quoniam videtur mihi Poeta noſter, mediã quandam, veriſſimamque ſententiam de hoc Problemate amplexus eſſe, quam nemo hactenus eorum, qui hanc materiam ex profeſſo tractarunt, eſt conſequutus. TVTVS. Quid de Homeri opinione dicam non habeo, niſi fortaſſe ego quoque cum Sitibundo noſtro concludam videri illum fauere opinioni illi, quæ cauſam, ſimilitudinis, imaginationem facit. Hoc vnum certè mihi videor poſſe tutò confiteri, hanc ipſam opinionem; quæ ſtatuit fœtum illam effigiem ſecum ferre, quæ ſimilis ſit imaginationi illi, quæ parentibus facta fuit in congreſſu multis auctoritatibus fide dignis cõfirmari. En Auctoritas primũ Sacræ ſcripturę ſeſe offert. Scribit in Cap. 30. Geneſeos Iacobũ Iſaaci filiũ poſuiſſe virgas varijs coloribus præditas in canalibus aquarum, vt cum veniſſent greges ad bibendum ante oculos haberent virgas, & in conſpectu earum conciperent. Factumque eſt, in ipſo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

calore coitus oues intuerentur virgas,& parerent maculoſa,& varia,diuerſoque colore reſperſa. Vnde conſtat greges non alia de cauſſa tūc peperiſſe maculoſa,& varia,niſi quia conceptus tempore à genitoribus maculoſa,& varia conſiderabantur. Plinius accedit:qui hanc ipſe quoq; ſententiam ſecutus hæc habet verba. Similitudinum quidem in mente reputatio eſt,& in qua credantur multa fortuita pollere,viſus,auditus memoria, hauſtæq; imagines ſub ipſo conceptu. Cogitatio etiam vtriuslibet animum ſubitò trāſuolans,effingere ſimilitudinem,aut miſcere exiſtimatur. Ideoque plures in homine,quam in cæteris animalibus omnibus differentiæ,quoniam velocitas cogitationum,animiq; celeritas, & ingenij varietas multiformes notas imprimit,cum cæteris animantibus immobiles ſint animi,& ſimiles omnibus, ſingulisque in ſuo cuique genere.. Multaque in huius opinionis confirmationem affert exempla. Tertio Fernelius cogitatio(inquit)hominum tantam vim habet, vt ſicuti plerumque corpus cogitātis immutat, ſic & in conceptum ſemen vim ſuam confert,Et affert exemplum mulieris cuiuſdam albę, quæ prolem nigram genuit, hinc duntaxat quod fixis oculis, intentoque animo diu Æthiopis imaginem comprehendiſſet. Si etiam mulieri inquit,)quę nuper vtero concepit vel ceraſum,vel fragum,vel vinum in ſinum effundatur, & animo id grauiter ferat,ibidem infanti nota inuretur. Hanc eandem ſentētiam Petrus Gregorius Tholoſanus ſequitur, alijque quamplures.SITIC.Nonne & Taſſus noſter iunior,Clorindam facit pulcherrimam, albamque virginem ex nigra matre ortam, ea tantummodo de cauſſa,quoniam dum mater illam vtero gereret, ante Diui Georgij imaginem ex candidiſſimo confectam alabaſtro ſuas effundere præces ſingulis diebus conſueuiſſet? INGENIOSVS. Narrabo vobis in huius ſententiæ confirmationem euentum quendam ſumma notatione digniſſimum, quodque vobis non mediocrem iucunditatem afferet. Noui ego virum quendam nobilem,qui nobilem etiam mulierem adamabat, & deperibat iam diu.Huic ex ſcorto puella nata eſt, quæ omnino effigiem nobilis illius mulieris referebat.Id ego animaduertens,de huiuſmodi re ipſum interrogaui;qui ingenuè confeſſus eſt ſe, dum rem haberet cum ſcorto, vt ſe ipſum, & voluptatem falleret intento animo nobilem illam mulierē contemplatum fuiſſe,attenteque eius faciem conſideraſſe.Mirabaturque ſummopere,quod ego rem hanc diuinaſſem. ANONYM. Pulcherrima hiſtoria.TVTVS. Nonne ergo dicendum nō alia de cauſſa filios parentibus ſimiles reddi,niſi quoniam euenit,vt dum generarentur alter parentum alterius faciem intueretur; fieri vero patri, aut matri ſimiliores prout huius, aut illius imaginatio fortior fuit. Quod ſi contingat eorum aliquē ad alios animum dirigere tunc conceptum eorum quoque effigiem, & ſpeciem referre. SITIC.Neque eſt,quod quiſpiam dicat huic ſententiæ rationem ipſam deeſſe,ex rei natura deſumptam.Hāc enim repperit Valleſius. Ardua certè videtur hæc opinio,quia generare,& cogitare ad diuerſas animæ facultates pertinent,& diuerſas corporis partes. Facultas enim cognoſcendi collocatur in cerebro,gignendi in teſtibus;quę partes adeo diſſitæ ſunt,vt imago, quā cogitatrix in cerebro concipit nullo modo tranſmitti in ſemē,

& teſtes

7. Natur. Hiſt.c.12. — *7. Phyſ. cap.12.* — *De Sacr. Phil.c.21.*

& teſtes poſſe videatur. Hæc inquam omnia facile Valleſius ſoluit. Nam quod ad facultas attinet, inquit, imaginationem, & generationem eiuſdem eſſe animantis actiones, earumque facultates ad idem ſuppoſitum pertinere. Vnde tanta eſt earundem facultatum ſympathia, vt mutuo ſe ad actiones permoueant, & paſſiones. Hinc fit, vt cum genitales partes ſemine redundant, imaginatio libidinoſis ſcateat phantaſmatis; & cum imaginatio in rebus libidinoſis volutatur, genitales partes & ſi alioqui non redundarent, turgeant, & irritentur. Vnde per hanc facultatum ſympathiam euenit, vt quam cogitatrix facultas finxit imaginem conceptus tempore, hanc ipſam ipſe conceptus retineat. Addit animam ſenſitiuam, & vegetatiuam, cum ſit corporis forma, nihil agere ſine corpore. Vnde rectius dici equum cogitare, quam animam cogitare. Cogitare autem ipſum eſſe quoddam pati; Pati autem hoc nihil aliud eſſe, quam ipſum cognoſcens ſimile fieri rei cognitæ. Quare homo dum aliquid cogitatione fingit, fit rei illi cognitæ ſimilis etiam ſecũdum corporeas partes quammodo, quatenus ſcilicet hæ partes ſunt inſtrumenta ſenſuum. TVTVS. Quid confert hoc ad hanc ſententiam? SITIC. Audias. Hoc aſſumpto ſic arguitur. Quod gignit facit ſibi ſimile. Quod cognoſcit fit ſimile rei cognitę. Ergo actu cognoſcens ſi etiam gignat, gignet ſimile rei cognitæ. TVTVS. Pulcherrimum argumentum. INCLVS. Qui aliquid cogitat mi Siticuloſe, fit ſimilis rei cognitæ ſecundum animam tantum; at quod gignit ſimile, facit ſimile ſecũdum corpus. Quare non rectè concludit ratio Valleſij, cum de ſimilitudine vna, traſeat in aliam, videturque confici ex quatuor terminis. SITIC. Haud quaquam mi Incluſe. Nam ſpirituales illæ ſpecies in generantem exiſtentes, ob diuinam ſeminis vim in eo quod gignitur corporaliter imprimũtur. Vis enim, quam habet ſemen generandi, & formandi partes illius, quod gignitur, habet ab anima generantis. Quod autem ſemen poſſit fieri illud quod gignitur magis habet à corpore. actiuæ enim potẽtiæ à forma magis, paſſiuæ magis à materia fluunt. Quare ſemen ea potius deferet ex generãte, quæ ei conueniunt ſecundum formam, quam quæ ſecundam materiam. Eaque potius in corpus transferet, quam in animam. Transferet ergo magis in genitum albedinem, vel aliam formam, quæ erat in generante ſecundum animam tantum, quam illas, quæ in generante erant realiter, & materialiter. INCLVS. Video rationem hanc nonnihil habere probabilitatis, ſed vt verè dicam mihi diſplicet hęc ſententia, optaremque ſummopere, quod aliquis has omnes rationes refelleret, aliamque doctrinam conſtitueret. ANONYM. Ne dubites. Incluſe, ego omnia confutabo diligenter. In primis autem rogabo primum hoſce amicos noſtros, vt dicãt mihi, an ita putent imaginationem generantium cauſſam eſſe effigiei eorum quæ generantur, vt eam ſolam ſufficientem ſtatuant, ſolamq; rei huius cauſſam dicant, an autem alias quoque cauſſas eſſe fateantur, quæ ad hoc ipſum efficiendũ concurrant. TVTVS. Ego nullam aliam cenſeo. SITIC. Solam ego quoque imaginationem ſtatuo eſſe effigiei, quæ in genito viſitur cauſam. ANONYM. Ego vero, & ſi opinionem adeo veterem, totque auctoritatibus, & experientijs confirmatam damnare omnino non auſim, illud tamen auda-

ſter dico me nulla ratione adduci poſſe, vt credam ſolam hanc imaginationem generantium cauſſam eſſe effigiei, quę in genito viſitur, ſimilitudiniſque filiorum cum parentibus. Etenim illud primo frequentiſſimum eſt filios patribus ſimules reddi, non in virtutibus modo, (hoc enim rarò fit) verum etiam in vitijs, prauiſque propenſionibus; Et tamen vix credibile eſt, dum vir & mulier exercent venerem, alterum ad alterius vitia animum conuertere. Solemus enim tunc temporis ea contemplari, quę nos maiorem in voluptatem alliciant, quæque in nobis maiorem parere amorem poſſint; cuiuſmodi vitia non ſunt, ſed virtutes potius. INCLVS. Hæc fortaſſe ratio eſt, propter quam Homerus quotieſcunq; ſignificare vult virum, cum muliere rem habuiſſe, non alio dicendi modo vtitur, quam ὁμωθῆναι φιλότητι, vel etiam μιχθῆναι φιλότητι, miſceri amicitia: Sic innuens tunc temporis ea ſola conſiderari, quæ ad amicitiam conferunt confirmandam. ANONYM. Equidem ego quoque ita cenſeo. Tu quid dicis de hoc argumento Siticuloſe? SITIC. Validiſſimum certè videtur. ANONYM. Non deſunt alia quoque validiora. Nam & ſi dum quis gignitur, contingat aliquem parentum alterius vitia, prauaſque propenſiones contemplari, dici tamen non poteſt, quod talis contemplatio vim habeat efficiendi, vt genitus filius ſit eiſdem propenſionibus, aut vitijs deditus. SITIC. Quid ni? ANON. Quia propenſiones ad virtutes, aut vitia ſunt ſoboles temperamenti, illudq; ſequuntur, oporteret ergo imaginationem illam generantium vim habere immutandi ſeminis, fœtuſque temperamentum. At mihi queſo oſtendas modum ò Siticuloſe, quo id fieri per imaginationem poteſt: SITIC. Certè non aliud ſuccurrit mihi, niſi fortaſſe dicam id fieri vi quadam occulta, & indicibili. ANON. Valleſius tuus derideret huiuſmodi reſponſionem, dicens illam Philoſophicam non eſſe; idemq; ſonare, ac ſi dixiſſes te neſcire quomodo id fiat. Vide quanta ſequantur abſurda ex huiuſmodi poſitione. Adde tertiam rationem hanc. Communis eſt medicorum omnium ſententia experientia comprobata nonnullos eſſe morbos peculiares, quos parentes vna cũ ſemine in filios trãſferunt; atq; propterea hæreditarij nuncupãtur, cuiuſmodi ſunt podagra, chiragra, phthiſis, nephritis, & alij. Peterim vnde fiat, vt hi morbi tam frequenter hæreditentur a filijs, contra vero alij nunquam, vt pleuritis, diarrhoea, & alij quamplures. Si enim ſola imaginatio parentum cauſſa eſt ſimilitudinis, non erit maior ratio cur podagra hæreditetur, magis quam pleuritis. Poſſunt enim omnes penitus morbi æque concipi, & conſiderari congreſſus tempore. Et tamen experientia confirmat hos nunquam, illos frequentiſſimè hęreditari morbos. Aliqua ergo, & alia cauſſa erit, ſtatuenda preter imaginationem, quæ ſimilitudinem pariat in his morbis. Nonne? SITIC. Sane ita videtur. ANON. Hanc ego quoq; dicam facere ſimilitudinem & in effigie. Adde præterea, quod cum propenſiones ad hunc, aut illum morbum ſequantur temperamentum laborantis partis, ſi imaginatio ſola hos morbos pareret in genito, oporteret illã poſſe immutare temperamentum illius partis ſeminis, ex qua produci laborans particula deberet. At temperamẽtum nonniſi à primis qualitatibus immutari poteſt, alioquin fieret vt vni calori duo eſſent contraria frigus, &

Gal. lib. quod an. mor.

Frãc Piccol. grad. 1. cap. 30.

imaginatio

imaginatio frigoris, vel alterius rei, quod & de cæteris quoq; qualitatibus intelligendum venit. At hoc repugnat omni Philoſophiæ. SITIC. Nonne videmus vehementem cogitationem corpus euidenter alterare, vt timorē partes externas refrigerare, iram cor calefacere, & alias huiuſmodi fieri ex cogitatione, animique paſſione corporis alterationes? ANONYM. Videmus; ſcioque hoc eſſe refugium quoddam Petri Gregorij Tholoſani, quod excogitauit vt hanc tueretur opinionem. Sed rogo, vt amicè experiamur, quanti ſit roboris. Putas ne aliter poſſe corpus ex paſſionibus animi calefieri, aut refrigerari, quam acceſſu, aut receſſu ſpirituum, & ſanguinis? SITIC. Non ſanè. ANONYM. Rectè. Motus enim ille per ſe fit ab anima; ad motum autem conſequitur alteratio, vt tu quoque confeſſus es. At de ſemine non ita dici poteſt, cum enim ſemen corpus quoddam ſit actu ſimilare, diſſimilare autem potentia tantum, ſi imaginatio vim haberet ſeminis partes diſtinguendi, ita vt hanc calefaceret, illā vero refrigeraret, oporteret vt hoc per ſe faceret, & immediatè. At hoc ipſum eſt, quod fieri non poteſt. Et præterea ſi imaginatio corpus alterat imaginantis, id efficit mediante animi paſſione, & in eodem ſubiecto. At fœtus dum formatur neq; paſſionibus ſubijcitur; neque idem eſt ſubiectum cum imaginante, ſed diſtinctum. Quare nulla eſt ratio Tholoſani, nec quicquā concludit. SITIC. Non poſſum non aſſentiri. ANONYM. Quid? Quod filij ſolent parentibus ſimiles reddi in multis, quæ vel ignorantur ab vtroque parente, vel quæ ſunt huiuſmodi, vt vix credibile ſit coitus tempore conſiderari ab aliquo. Vt ſunt vngues manuum, & pedum, cicatrices quædam occultæ, nulliuſque momenti, & aliæ huiuſmodi particulæ, ad quas in illo calore coitus vix crediderim virum, aut mulierem poſſe animum conuertere, cum tamen frequentiſſimè cernamus in illis ſimiles reddi filios patribus. PROVID. Poſſent ad hæc reduci, & cauſſæ morborum, vel imbecillitatum naturaliū; cuiuſmodi eſt læſa locutio. Ignorant enim ferè omnes, quæ nam ſit illius cauſſa, ita vt imaginari illam nequeant; & tamen ſimiles filios gignunt, in huiuſmodi defectu. ANONYM. Immo reduci ad hæc poſſunt & cauſſæ perfectionum. Vt quod quis eloquentia quadam naturali ſit prædítus. In his enim filij redduntur ſimiles, cum tamen id fieri nequeat niſi cauſſa transferatur; Transferri autē per imaginationem non poteſt, eo quod ignoratur. INCLVS. Quid ad hæc dicis Siticuloſe? SITIC. Iam vereor ne opinio, quæ tantum fauet imaginationi, tandem more imaginationum abeat in fumum. ANONYM. Dic mihi obſecro Siticuloſe. Putas ne fieri poſſe, vt vir, & mulier, à natiuitate ſint cæci? SITIC. Arbitror. ANONYM. Putas ne poſſe hos ambos ſimul dare operam veneri? SITIC. Quid ni? ANONYM. Repugnat ne illum, quem iſti filium generent, alicui eorum aſſimilari ratione aliqua in vultu, in manibus, in proceritate in inceſſu, aut aliter quomodolibet? SITIC. Non repugnat. Immo crediderim neceſſe eſſe, vt modo aliquo referat imaginem alicuius parentum. ANONYM. Et tamen ſecundum hanc opinionem, quam modo conſideramus, impoſſibile eſt, filium à parentibus cæcis genitum, poſſe alicui eorum aſſimilari. SITIC. Qua ratione? ANONYM. Cæcus tu quoque videris mihi, cum de

ratione

ratione interroges. Non e vides cæcum videre nõ poſſe alterius effigiem? SITIC. Profectò non videbam. Cæcus tamen appellandus non ſum, cum huius rationis efficaciam videam. ANONYM. Tandem & illud addam, quod habet Ariſtoteles, quarto de generatione animalium, rationi valde conſentaneũ eſſe, vt ſicuti ſimile generat ſibi ſimile in genere, & in ſpecie, ſecundum naturam, ſimiliter etiam generet ſecundum naturam ſibi ſimile & in indiuiduo: quod non aliter fieri poteſt, niſi ſecundum effigiem. Quẽadmodum igitur monſtrum eſſet ſi equus ab homine gigneretur, ita etiam monſtrum cenſendum eſſet, ſi quis nullo modo parentum ſuorum imaginem referret. INCLVS. Hæc eſt Ariſtotelis ſententia, dicentis, illum qui ſuis parentibus ſimilis non eſt, monſtrum quodammodo eſſe ANONYM. Quid attinet Ariſtotelem adducere, in communẽ conſenſum? Illi, qui in efigie, ac moribus à parentibus degenerant, nonne pro monſtris habentur vnanimi omnium ſententia? INCLVS. Prorſus. ANONYM. Id tamen
4. de gen. rectè minimè diceretur, niſi ſecundum naturam, non ſecundum opinionẽ,
anim. cap. aut imaginationem filij Patribus ſimiles redderetur. Monſtrum enim Ari-
3. & 4. 2. ſtotelis teſtimonio nil aliud eſt, niſi id quod eſt præter naturam. Et Auer-
Phyſ. tex. roes inquit. Monſtrum eſt aliquid per naturæ errorem productum. SITIC.
82. Quid inquis Tute? Nil ad hæc te audio reſpondentem. TVTVS. Tu qui rationibus egiſti, rationibus reſpondeas; Ego auctoritatibus egi, tantum, infirmiſſimo argumentandi loco. Vnde nil mirum, ſi me victum fatear. SITIC. Ego haud aliter affectus ſum. Sed ſuperſunt Valleſij rationes, quæ redargutionem poſtulant. Quid ad eas dices Anonyme? ANONYM. Duo dicam. Primum quidem in illis diuinum eluceſcere ingenium Valleſij; Alterum vero probabiles quidem illas eſſe; aliquidque tribuere imaginationi, ad hanc rem efficiendam; non tamen tantæ efficaciæ eſſe, vt totam huius effectus cauſſam poſſint in imaginatione reponere; Immo iuxta earũ principia concludam ego alias dari huius effectus cauſſas, quæ maiorem habeant vim, quam imaginatio. Quod enim primo loco dicit facultatum ſympathia effici, vt imago, quæ in cogitatrice facultate, & cerebro conſiſtẽs transferatur in ſemen, & teſtes; ſi verum hoc eſt, multo magis verum erit cogitatricem ipſam talem in genito euadere, qualis illa fuit generantis. Si enim cogitatrix facultas poteſt transferre in genitum ſpeciem quandam ſpiritualem leuiter ſibi impreſſam, ita vt facile euaneſcere poſſit, quanto magis facultas ipſa quæ ſtabilis eſt, & firma poterit ſui ipſius imaginem transferre, ita vt eiuſmodi ſit cogitatrix in genito, quæ erat in generante? Ergo Socrate generante, contemplanteque hominem obtuſi ingenij; ſi contemplatio hæc vllam vim habet efficiendi, vt qui gignitur ſit obtuſi ingenij; maior vis concedenda erit vero, realique, & acuto Socratis ingenio efficiendi, vt idem, qui generatur ſublimi ingenio polleat. Similiter ſi cogitatio de oculo nigro poteſt nigrum oculum efficere multo magis oculus glaucus generantis poterit eundem glaucum reddere. Non ergo ratio Valleſij conficit genitum magis imitari debere imaginationem, quam naturã. immo potius videtur contrarium concludere. Addit ſimile gignere ſibi ſimile. at quod cognoſcit aliquid fit illi ſimile. Ergo ſi generat dum cogno-

ſcit,

Digitized by Google

ſcit, generabit ſimile rei cognitæ. SITIC. Expecto quid ſis ad hanc pulcherrimam rationem reſponſurus. ANONYM. Pulcherrima certè ratio eſt, dignaque Valleſio. Non tamen quicquam plus concludit ſuperiori. Nam quantumuis generans attente conſideret, & contempletur nigros oculos dummodo re uera ſuos glaucos habeat, magis dicemus illum ſimilem eſſe glauco homini, quàm nigros oculos habenti. Nigredinis enim forma in ipſo leuiter eſt impreſſa; glaucitas autem eſſe habet permanēs, & firmum. Si ergo ſecundum Valleſij argumentum poteſt generare ſibi ſimile in illa debili, leuiterque impreſſa nigredinis forma, multo magis dicemus eundē poſſe ſimile generare in glaucitate, cum ipſe reuera ſit glaucus, SITIC. Non aduertis ò anonyme, ad id, quod vltimo loco Valleſius addit, rationē afferens cur magis imprimantur in fœtum ſpirituales formæ, quam materiales. ANON. Repetas quęſo rationem illam; iam enim excidit mente. SITIC. Inquit genitricem ſeminis facultatem ſecum deferre formas ſpirituales, non materiales, eo quod cum ſit potentia actiua, ab anima profluēs, quæ eſt principium effectiuum, ſecum magis deferet formas illas, quæ ad effectiuum principium pertinēt, cuiuſmodi ſunt ſpiritales formæ, quam eas quæ materiales ſunt, & ad corpus pertinent. ANONYM. Duo dica ad hanc rationem. Primum quidem & ſi omnia Valleſio cōcedantur, dicerem ego quoq; ſemen ſecundum potentiam paſſiuam, & quatenus fieri poteſt animal deferre ex corpore generantis formas materiales; quæ formatricem facultatem inclinent ad formādū fœtum iuxta ſimilitudinem ſui. Quare ſi vis actiua ſecum defert formas ad animam pertinētes, paſſiua deferet eas, quæ ad corpus. Et ſi actiua nititur effingere iuxta eas, quas ipſa detulit formas; paſſiua etiam ab illis renuet effingi; inclinabitque ad materiales. Quare neq; ſic tota vis, & facultas effingendi dabitur imaginationi. PROVID. optimè per Deum immortalem. ANONYM. Dico ſecundò non omnino probari mihi, quod Valleſius ait, genitricē facultatem ab anima, vt à principio effectiuo profluere. SITIC. Hoccine negabis Anonyme? ANON. Minimè negabo, ſed diſtinguam. Etenim principium effectiuum actionis cuiuſlibet duplex eſſe ſcio. Aliud quidem appellare ſolent principiū quod; aliud autem principium quo. PROVID. Frequentiſſima eſt apud Scholaſticos hæc diſtinctio. ANONYM. Principium effectiuum quo, eſt forma; Principium quod, eſt ipſum compoſitum totum. Ignis calefacit per formā, tanquam per principium quo; At ipſe ignis eſt Principium quod calefaciendi. Conſtat autem nobilius eſſe principium quod, principio quo, hoc enim continetur in illo. Conſtat etiam eſſe verius principium, quia illud per ſe ſufficit ad agendum, hoc vero non ſufficit, ſed neceſſe eſt, vt in compoſito inſit. Genitrix ergo facultas profluit quidem ab anima vt à principio effectiuo quo; attamen immediatius profluit à compoſito toto; quia vt à principio quod. Sed hoc nouit & Valleſius, qui dicit ipſe quoque verius dici Petrum generare, quam animam Petri. Si ergo conceſſerim ego Valleſio genitricem facultatem poſſe ſecum deferre formas ſpiritales ad animā pertinentes, cur ille non concedat mihi quoque, multo magis illam deferre eas quæ totius ſunt compoſiti, cuiuſmodi ſunt temperamentum, &

ea

Digitized by Google

ea quæ ipſum conſequuntur, vt effigies, & alia huiuſmodi? INCLVS. Accedit ad hæc illud quoque, quod neque ſpecies ipſæ, quas Valleſius ſpiritales vocat in anima ſola conſiſtunt, ſed in compoſito. Species enim albi, aut nigri in cerebro reperitur, & in eo propriè reſidet, non in cogitatrice facultate. Facultas etiam ipſa genitrix in ſemine eſt, nihilque agit ſine materia. Quare tam deferens, quam quod defertur ſemper erit materiale. ANON. Optimè ſentis. Si ergo ſpecies (ò Siticuloſe doctiſſime) quam Valleſius ſpiritalem vocat materialis tamen eſt, & defertur in ſemen cur & cæteræ formæ, & figuræ, quæ in corpore ſunt generantis, atque adeo, & effigies ipſa non deferetur abſque imaginatione vlla? Non ergo Valleſij rationes cogunt, vt credamus ſolam imaginationem eſſe cauſſam effigiei, & ſimilitudinis. Nonne? SITIC. Vera prorſus ò Anonyme dixiſſe mihi videris; immo omnibus nobis idem videtur: cerno enim annuentes omnes. TVTVS. Quid ergo dicendum. Anne illud aſſeremus, quod nonnulli dicunt, ſemen ipſum ab omnibus partibus corporis, decidi, atque propterea fieri, vt filij parentibus ſimiles redduntur? ANONYM. Hæc fuit nonnullorum veterum opinio, vt Ariſtoteles refert in primo de generatione
Cap. 17. Animalium. Putabant enim quod ſi totum toti ſimile eſt, quia ſemen ex toto prodeat, partibus etiam cauſſam ſimilitudinis eſſe, quod ex vnaquaque parte aliquid euenerit. Verũ Ariſtoteles in cap. xviij. huius opinionis fundamentum validiſſimis rationibus deſtruit, oſtendens ſemen ipſum genitale minimè ex omnibus partibus profluere. Si enim hoc ita eſſet, inquit, in ſtirpibus quoque ſemen ab omnibus partibus proficiſceretur. Conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Falſitas conſequentis ab eodem probatur, quoniam ſi à ſtirpibus multæ, magnæque partes abſcindantur, producunt tamen ſemina eiuſdem rationis, & roboris. Conſequentia vero oſtenditur, ea ratione, quoniam animalia à ſtirpibus non aliter differunt, niſi ſecũdum vitalem, animalemque facultatem; nil autem differunt in ijs, quæ ad generandi potentiam, aut ad vegetatiuam partem ſpectant. Præterea ſi ſemen ab omnibus partibus deciditur, aut id fit à ſimilaribus tantum, aut à compoſitis tantum, aut ab vtriſque. Si ex ſimilaribus tantum, ergo non eſt cauſſa ſimilitudinis. Similitudo enim de qua loquimur conſiſtit in organicis, & compoſitis partibus; vt facie, manu, oculis. At ſemen profluens tantum à ſimilaribus, & ſimplicibus ſimilitudinem faceret tantum in temperamento. Hoc enim proprium eſt ſimplicium. Si vero ex compoſitis tantum profluit, ergo non ex qualibet parte; non enim ex ſimplicibus, & ſimilaribus. Et præterea fieri nequit, vt ex compoſitis profluat, niſi ſimplicium gratia. Compoſitæ enim nonniſi ex ſimplicibus conſtant. Si vero dicas ex vtriuſque; qua ratione id fieri poterit? Oporteret enim ex ipſa compoſitione ſemen decidi, quod eſt abſurdum. INGEN. Galenus aliam rationem addit ex anatome deſumptam. Arteria enim & vena ad vtrunque teſtem deſcendere conſpiciuntur: in quibus antequam ad teſtes perueniant, cernitur ſanguis contineri ſatis rubicundus, qui tamen eo magis albeſcit, quo propius ad teſtes acceſſerit. Tum demum vbi iam ipſos teſtes attigerint alba ſeminis ſubſtantia in ipſis manifeſtè conſpicitur: Quod euidentiſſimo argumento eſt
ſemen

ſemen non ab omnibus partibus venire, ſed in ipſis teſtibus gigni. INCLVS. Cenſeo Ariſtotelis ſententiam hac in re amplectendã eſſe. SITIC. Quæ nam erat Ariſtotelis ſententia? INCLVS. Libenter referrem, niſi dubitarem me in ea recenſenda faſtidium vobis allaturum. ANONYM. Dedecet hunc locum hæc excuſatio. Eia recenſeas Ariſtotelicam ſententiã. INCLVS. Exiſtimauit ergo Ariſtoteles in generatione fœtus, Matrem præbere tantummodo materiam, motionis vero principium ex ſemine maris eſſe. Propterea in 4. de generatione animalium, inquit quod ſi ſemen maris perfectum ſit, perfectèque mutet muliebria menſtrua, marem faciet ſimilẽ Patri. Si vero imperfectè, inquit, mutet, neque omnino ſuperet menſtrua, defectum faciet pro ea, qua non ſuperauit facultate. Vnde inquit marem quatenus mas eſt, effectiue generare; ſed eidem mari, multas ineſſe facultates generandi effectiuas alias quidem propinquiores, alias autem remotiores. Vt quia Socrates mas eſt, ideo effectiuè generabit; Attamen in eo multę ſunt effectiuæ facultates gignendi; nam cum ipſe ſit & animal, & homo, & Socrates, erit in eo facultas generandi & vt animal eſt; & vt homo; & vt Socrates. Per primam gignet animal, per ſecundam, gignet hominem; per tertiam faciet ſimilem Socrati. Non modo autem hæ facultates genitrices inſunt Socrati, ſed & maiorum ſuorum proprię inſunt ei potentię, vt patris, & aui. Latent enim, vt alibi ſcripſit Ariſtoteles, in filijs ſimilitudines patrum, quæ rurſum in nepotibus apparẽt. Vt ipſe refert de muliere illa, quæ cum antea concubuiſſet cum Æthiope, non filiam forma Æthiopis peperit, ſed natus ex filia Æthiops fuit. In fœmina vero totidem ſunt facultates paſſiuæ, ſeu vt ipſe dicit motus in potentia. Fœminæ enim pati eſt, maris autem agere. Quare in Penelope v.g. ineſt facultas paſſiua generandi. & quatenus animal eſt, & qua homo, & qua Penelope. Præterea & maiorum ſuorum eidem inſunt ſemina, & ſimilitudines. Coniunguntur autem hæ omnes facultates tam in maribus, quam in fœminis, ita tamen vt ſeiũgi poſſint. Cum enim omne agens agendo repatiatur, euenit aliquando ut id quod agere natũ eſt patiatur magis, quam agat; vt id quod calefacere natũ eſt, magis refrigeretur, quam calefaciat, atque ita vt motus qui fieri in calorem debebat, in oppoſitum tranſeat, nempe in frigus. Ita prorſus & in generatione contingit. Mas enim agere natum eſt in menſtrua, & ſemper intendit efficere marem, & efficiet, ſi modo perfectè mutet, & ſuperet. At quia ſemen maris, ſiue genitura dum agit in menſtrua, etiam ab illis repatitur, euenit aliquãdo, vt ſicuti ſuperare deberet marem generando, ſuperetur à menſtruis, atque ita motus in oppoſitum tranſeat, fiatque fœmina. Opponitur enim fœmina mari, vt patiens agẽti. Si vero ſemen perfectiſſime mutet menſtrua, & ſuperet, omnino, non modo marem faciet, ſed etiam faciet ſimilem patri, non matri. At ſi ſuperet quidem, ſed non perfectiſſime, defectum faciet pro ea, qua non ſuperauit facultate. SITIC. Non omnino percipio, quid ſibi velit, hoc defectum facere pro non ſuperante facultate. INCLVS. Audi. Hæc fuit opinio Philoſophi, quod ſicuti mas vt mas eſt opponitur feminæ, qua fœmina; Sic Pater Matri opponatur, ſingulęque generantes facultates ſingulis opponantur hoc modo. Quod ſicuti Socrates

Cap. 3.

2. De gen.

qua

qua mas, opponitur Penelopi qua fœmina, ita facultas generandi Socratis, qua Socrates opponitur facultati Penelopes, qua Penelope. Et ſic de reliquis. Poteſt ergo harum vna ſuperare, altera ſuperari. Defectus autem fiet, pro illa, quę ſuperabitur. SITIC. Mihi videor rem intelligere. Sed mihi dic obſecro. Dictum eſt, quod ſi ſemen non ſuperauerit menſtrua, ſed ſuperetur, tunc fœmina fiet; Hæc ergo fœmina cui nam aſſimilabitur patri, an matri? INCLVS. Si facultas generandi Patris, quatenus eſt hic homo, puta Socrates, vicerit illam fœminæ, quatenus eſt hæc puta Penelope, tunc fęmina ſimilis erit Socrati, vincente facultate Socratis qua Socrates illam Penelopes, qua Penelope; quæ illi opponebatur. Si vero Socrates ſuperatus eſt, non modo quatenus mas eſt, verum etiam quatenus Socrates, tunc fœmina aſſimilabitur Penelopi: Verum euenit aliquando, vt hi motus qui a particularibus profluunt ſcilicet motus quem cauſat Socrates, qua Socrates, cū Penelope, qua Penelope ſoluantur, & euaneſcant, & tūc tranſeunt in propinquiores. PROVID. Non intelligo. INCLVS. Vt ſi mas vincat, qua mas eſt, vt Socrates vero ſoluatur motus, & euaneſcat, tunc mas quidem fiet, ſed non ſimilis Socrati, aut Penelopi; ſoluti enim ſunt illi motus; Fiet ergo ſimilis Patri Socratis. Et ſi adhuc motus quem ſimilitudo patris Socratis, cum ſimilitudine patris, aut matris Penelopes concitabat ſoluatur, fiet mas ſimilis auo Socratis; ſemper enim vbi motus inferiorum ſoluūtur, tranſitus fit in proximiorem. Sed ſi qua eſt mas ſuperetur, & etiam qua Socrates, fęmina fiet ſimilis matri; ſi vero hic quoque motus ſoluatur, aſſimilabitur matri matris, aut alicui ſuperiorum pari ratione. Quod ſi omnes hæ facultates proximiorum, & remotiorum ſoluantur, eueniet vt nemini ſuorum ſimiles partus fiant, ſed commune tātum relinquatur, vt homo ſit. Cum itaque hæ facultates ita ab inuicem ſeiungi poſſint, vt illa, quæ maris eſt vincat, quæ Socratis vincatur, & è contra, hinc fit, vt fœmina ſepenumero ſimilis ſit Patri, & maſculus Matri. Quia tamen ſuperante mare, quatenus mas eſt, cæteræ quoque eius facultates, quæ agentes ſunt roborantur, iunctæ illi, quæ ſuperat oppoſitam, ideo frequenter euenit, vt mares ſimiles ſint patri; eadem quoque ratione euenit è contra, vt fœminæ matris effigiem referant. Hæc eſt Ariſtotelis ſententia. Quid de ea videtur tibi, Siticuloſe; quid tibi Prouide? PROVID. Mihi ſatis probabilis eſſe videtur. SITIC. Mihi quoque. INCLVS. Anonymè, tuum quoque expecto iudiciū. ANONYM. Mihi vero ſicuti quam maxime omnium videtur accedere ad veritatem, ita in aliquo videtur deficere, neque omnino tollere dubitandi cauſſam. Poſſet illud in hac opinione damnari quod inquit marem agere, fœminam pati in generatione, facultateſque, & ſimilitudines omnes, quæ in mare latent actiuas eſſe, quæ in muliere paſſiuas; & alia nonnulla; quæ quia ad præſens negotium haud pertinent, prætermittantur. Illud vnum relinquitur conſiderandum, in quo ſummopere deficit hæc opinio; quod quantumuis omnia concedantur Ariſtoteli, adhuc tamen eſt ignotum quo modo Socrate generante, vincenteque ſecundum omnem facultatem generet filium ſibi ſimilem in effigie, in oculis, in manibus, in pedibus, in vnguibus. Vnde enim obſecro ſemen, qui in vna particulari corporis gignitur

tur

tur particula vim aſſumpſit generandi filium patri ſimilem in omnibus partibus? Hoc illud eſt, in quo præcipuè controuerſia conſiſtit, quodque in præſentia erat explicandum. Anne potes Incluſe ſecundum Ariſto. ſeu ſecundũ tuam ſententiam, hunc mihi nodum diſſoluere? INCLVS. Equidem mihi videor non poſſe. PROVID. Videamus ergo quid de Galeni opinione dicendum ſit. ANONYM. Videamus. Tu Prouide illam prius enarrato. PROVID. Galenus cum illius fuerit opinionis fœminam non paſſiuè modo, vt Ariſt. dicebat, verum & actiuè concurrere ad generationem, aliter de hac re ſanxit, licet non admodum receſſerit ab opinione Ariſtotelica. Statuit enim & in ſemine maris, & in ſemine fœminę, vtrumque principium contineri, & materiale, & effectiuum, non tamen æquis viribus in vtroque; ſed in ſemine quidem effectiuum principium validiſſimum eſſe, materiale pauciſſimum; in menſtruo è contra. Inquit ergo quod cum in menſtruo materia præualeat, hinc fieri, vt animal genitum in ſpecie matrem magis, quam Patrem repræſentet, cumque in ſemine vis effectrix principatum obtineat, merito euenire, vt ſimilitudo patrem magis referat, facultate formatrice, quæ in ſemine conſiſtit præualente, & iuxta naturam, & effigiem maris conformante. TVTVS. Hac ratione ergo fieret, vt fœtus ſemper patri ſimilis gigneretur, eo quod patris ſemen ipſum eſt, quod format, & præualet materno. PROVID. Vidit & Galenus huiuſmodi oppoſitionem, propterea reſpondet fœmineum quandoque præpollere, propterea quod nouẽ menſium ſpacio aſſidens, tanto inualeſcit, ac ſuperat; quanto in primo congreſſu à maris ſemine ſuperabatur. Quin etiam contingit fœtum vna parte matrem, altera patrem repræſentare, eo quod ſemen, quamuis ſimilare ſit, omniaque ex omnibus eius partibus fabricari queant, in eo tamen differentia eſt, quod illa ſeminis pars, quæ primo excidit craſſior, quæ ſecũda, vel tertia eiaculatione emittitur tenuior, imbecilliorque eſt, atque frigidior, ſicuti illa calidior, & fortior. Atque ita fit vt in commiſtione in quibuſdã partibus maris, in quibuſdam fœminæ ſemen præualeat; & qua præualuerit ea pars fœtus ei, cuius ſemen præualuit ſimilis euadat. Neque raro euenit vt fœtus ſexu patrem æmuletur, effigie vero matrem, ea de cauſſa quoniam ſemen illud, quod in formanda effigie præualuit, ſi fuerit calidioris temperaturæ marem faciet, fœminam vero ſi frigidioris. Ita vt trium ſimilitudinum tria principia habeantur ex Galeno; Prima quidem ſimilitudo eſt in ſpecie animalis, cuius principium eſt materiale principium ex quo fit. Vnde illud conſequitur, quod vt plurimum fœmina etiam fiat in omni ſpecie, propterea quod ipſa materiam præbet. Altera ſimilitudo eſt in forma, ſeu effigie, quæ ex maiori ſeminis motione, & efficacia procedit. Tertia eſt in ſexu, quæ ex vtroruque principiorum pendet temperatura. TVTVS. Non poſſum non afferre in medium, quæ Fernelius dicit de harum trium ſimilitudinum cauſſis. PROVID. Afferas queſo. TVTVS. Ille licet primæ, & tertiæ ſimilitudinis cauſam à Galeno relatam admittere videatur vt probabilem, tamen rationem ſecundæ ſimilitudinis inquit non poſſe conſiſtere. PROVID. Affert ne rationem vllam? TVTVS Duas affert. Prima quoniam iuxta hanc Galeni doctrinam non videtur cauſſa reddi

lib. de ſem. cap. 2.

libro 2. de ſem. ca. 5.

poſſe,

Digitized by Google

poſſe, cur fœtus aliquando alterius ignoti ſimilitudinem gerat, qui nihil contulit ad generationem. Secunda eſt, quoniam vis, & robur cuiuſque facultatis temperamentum conſequitur ex Galeni ſententia. Si ergo hoc ita ſe habet, qui fieri poterit, vt maſculum ſemen temperamento ſit potentius, fingentem autem facultatem habeat imbecilliorem? Aut vnde nam accidere poteſt, vt tanta vis conformandi inſit fœmineo ſemini, quod tamen crudum inquit eſſe, & maſculo imbecillius. PROVID. Obſecro te Anonyme dulciſſime, vt quid de hac Galeni ſententia, deque obiectionibus his ſentias, in medium afferas. Videntur enim mihi duo hæc Fernelij argumenta Galenicam opinionem funditus euertere. ANONYM. Sane ad Galeni opinionem euertendam parum roboris in prima Fernelij ratione videtur eſſe repoſitum, vt pote quæ facile ſolui fortaſſe poſſet, dicendo id accidere vt fœtus nulli parentum ſit ſimilis propterea; quod neutrum ſemen in effingē da forma præualuit, ſed æqua vtriuſque vis extitit, formaque genita confuſa remanſit, neutrum parentum referens. At ſecunda ratio apud me adeo eſt efficax, vt ex illa ſatis mihi conſtet neque Galenum huius rei cauſam fuiſſe plane aſſecutum. Accedit & altera ratio, in eandem ſententiam. Cum enim ſemē vtrunque ſit homogeneum corpus, & ſimilare, in teſtibuſque generetur totum, nulla ratio reddi poteſt in Galeni doctrina, cur eiuſdem ſeminis formatrix facultas fętum reddat patri, aut matri ſimilem in oculis, in auribus, in vnguibus, in cicatricibus, atque in vniuerſo corpore. Si tota vis ſeminis conſiſtit in temperatura, totam etiam habebit à teſtibus, nihil ad eam conferentibus oculis, aut vnguibus. Quid ergo illi vim contulit formandi oculos ſimiles oculis generantis, vngues vnguibus, totumque toti ſimile? PROVID. Sanè id non videtur aſsignari poſſe in Galeni doctrina. INGEN. Iam ab initio colloquij illud præcognoui ANONYMVM noſtrū ſuper hac in re diligentem habuiſſe conſiderationem, omneſq; vulgatas opiniones examinaſſe, accurateque perpendiſſe. Videbamque tanquā in ænigmate nullam illi arridere; neque deceptus ſum. Iam feſſus ſum in tot audiendis, refellendiſque opinionibus. Vellem aliquando illam proferri, quæ omni ſit ex parte probabilis. ANONYM. Tu qui ingenio polles illam proferas. INGEN. Mihi hac in re ingenij nomen deficit, non enim habeo quid vltra dicam. Et ſi haberem, neſcio an proferrem, veritus ne id quoque tu confutares, reſque adeo in longum protraheretur, vt tenebrę ſuperuenirent, antequam colloquio finis eſſet impoſitus. ANONYM. Quid tum poſtea, & ſi tenebræ ipſæ ſuperueniant? INGENIOS. Anne ignotas nobis minime tutum eſſe ambulare in tenebris in hoc loco, vbi tot abū-dant hoſtes litterarum, totque inuidi habitant homines, qui ferre minime poſſunt nos in hac noſtra Academia honeſte delectari? ANONYM. Certè non ignoro, imo ſepiſſime huius populi perditos mores deploraui, adeo virtutibus infenſi. Sed caueant, ne Deus optimus Maximus citius, quam vellent, immittat in eos de cœlo ſuorum delictorum, peſſimorumque morum præmium. Tu interim nedubita: Si quid habes quod dicas in hoc negotio, hilari animo proferas. Neque tenebras noctis timeas. Habemus enim hoſpitem liberalem, qui ſi opus fuerit & cęnam nobis cōdignam tribuet, & lectum.

Digitized by Google

& lectum. INGEN. Hoc non ignoro; ſed nihil habeo, quod vltra dicam in hac controuerſia. ANONYM. Relinquitur ergo vt tandem ego quoque meam ſententiam proponam vobis examinandam. Vt autem ſciatis, quibus ſit conditionibus prædita ſententia mea, hoc in primis dico vobis, videri mihi talem, quæ cum fundamentis innitatur ratione naturali, & experientia confirmatis, ipſa etiam poteſt difficultatibus omnibus ſatisfacere, omnibuſque reſpondere quæſtionibus, quæ circa rem hanc poſſunt excitari. INGEN. Si talem afferas ſententiam, ipſa certe omnibus erit anteponenda. ANON. Talis erit certe. Dic ergo mihi Ingenioſe, tu qui omnium iam propoſitarum opinionum examini interfuiſti, quid nam illud tibi eſſe videatur, in quo illæ omnes deficiunt, nec aſſequuntur Scopum. INGEN. Si rectè recordor, in hoc omnes illæ errabant, & deficiebant, quod reddere cauſſam non poterant, cur fœtus ſit in qualibet vel minima particula generantibus ſimilis; etiam in illis cicatricibus, & næuis, quæ ab vtroque parentum ignorantur. ANONYM. Idipſum certe eſt omnibus commune vitium. Neceſſe ergo eſt, vt vera ſententia, huius quoque reddere cauſſam poſſit. INGEN. Omnino. ANON. Ad reddi cauſſa nullo modo vnquam poterit, niſi ſtatuamus ſemen ipſum recipere aliquid à ſingulis corporis partibus, à quo formatrix facultas, quæ eſt in ſemine, tanquã manuducatur ad effingendas fœtus partes; ſiue id quod recipit ſemen potẽtia ſit quędam actiua, & formatiua; ſiue ſe habeat vt exemplar quoddã, quod ipſa facultas ſequatur in effingendo. Neceſſe inquam eſt, vt ſemen recipiat aliquid tale à ſingulis partibus, ſi ſingulas ſingulis ſimiles debet efficere. Nonne? INGEN. Prorſus ita ſtatuendum. ANON. Quid ergo erit hoc? Eritne ſubſtantia ſeminis? INGEN. Haudquaquam. Oſtenſum enim eſt ſupra ex Ariſtot. & Gal. ſemen non profluere ab omnibus partibus, ſed in vna particulari gigni. ANON. Erit ne temperamẽtum? INGEN. Minus, nam cum tot ſint in corpore temperamenta, quot partes, fieret vt ſemen corpus eſſet diſſimilare, non homogeneum. ANON. Quid ergo tandem hoc erit? INGEN. Ego certè nil habeo, quod reſpondeam. ANON. Quantumuis quis cogitet, & accurate perpendat, nil aliud arbitror inueniet à partibus corporis, ad ſemen ipſum demandari poſſe, quam ſpeciem quandam ſui, quæ eidẽ ſemini aſſidens ſit effigiei eiuſdẽ, & ſimilitudinis cauſſa. INCLVS. Cuiuſmodi erit hęc ſpecies? ANON. Similis eſt illi ſpeciei, quam magnes diffundẽs per aera, & per illã ferrũ attingẽs, ipſum ad ſe trahit, vt Galenus docet, lib. de Theriaca ad Piſonẽ. INGEN. Poſſet ẽt fortaſſe dici hãc ſpeciẽ quã partes immittunt in ſemẽ proportione reſpõdere ſpeciei illi ſpiritali, quã cerebrũ abſq; corpore in inferiores partes tranſmittens efficit eas ſenſus, & motus participes. Cuiuſmodi ẽt eſt illa ſpecies, quæ à corde in arterias ſpiritualiter influens, mouet eas motu diaſtoles, & ſyſtoles. ANON. Quid prohibet, quin ita dicamus? Quemadmodũ itaq; hę ſpecies ſine motu, & tẽpore à ſuis fontib. ad alias partes tranſmittuntur, eo modo, quo & lumẽ, & colorũ ſpecies a luminoſo, & colorato diffundũtur in aerẽ, & pars quælibet corporis ſuã in ſemẽ ſpeciẽ tranſmittit. SITIC. Intimius vellẽ huius ſpeciei naturã cognoſcere ò Anonyme. ANON. Dicã quod Galenus ſecu-

Cap. 3.

Gal. 7. de Placitis. cap. 5.

Cap. 3. tus Homeri doctrinam habet citato libro de Theriaca. Sic.n.inquit. In ma-
gnete vim quandam inſitam eſſe, qua ferrum ad ſe rapit bona rõne credi-
mus. Deus.n.eſt illa, ſicut & in hominibus natura, prout ſentit Homerus,
quæ ſimilibus ſimilia adducendo diuinas eo pacto ſuas virtutes oſtendit.
Hæc Galenus. Tamen fortaſſe magis tibi ſatisfaciẽt ea, q̃ Fracaſtorius dicit
de huiuſmodi ſpeciebus. SITIC. Quid inquit obſecro Fracaſtorius. ANON.
Hic in libro de ſympathia aſſerit huiuſmodi ſpecies eiuſdẽ eſſe rõnis, cum
Cap. 5. formis illis, quarũ ſunt ſpecies, nec differre ab'ijs, niſi modo ſubſiſtendi:
eatenus.n. materiales ſunt, & dñr, quatenus craſſa quadã exiſtentia in ma-
teria ſunt, & certos terminos poſcunt. Ingenitum autem eſt formis omnib.
ſeſe quo magis poſſunt propagare; quod quidẽ faciunt craſſæ illæ formæ,
q̃ materiales vocantur. Verũ propagare ſe per eũ modum, & exiſtentiam,
qua ipſę ſunt non poſſunt, ſed tenuem, & ſuperficialem ſui vel partem, vel
gradum producunt, quem Epipolim vocant, qui ob tenuitatem ſui & con-
trarium non habet, & momento gignitur, ac propagatur; ceu ſoboles quæ-
dam. Hæ igitur tenues, & ſuperficiales formæ aptę in primis ſunt id quod
ſunt repręſentare vſq; ad craſſas illas, à quib. productæ ſunt; & ideo earũ
ſimulacra dñr, eiuſdem tñ rationis cum illis ſunt, quę craſſæ & materiales
ſunt appellatæ. Hæc Fracaſtorius. SITIC. Rem obſcuram luculentiſſimè
docet. ANON. Hę igitur ſpecies cũ ſint veluti imagines, & effigies quæ-
dam naturæ illius, à qua manãt; eaſdem ẽt actiones edere cernũtur, cũ for-
mis illis craſſis, & materialibus, à quib. fluunt. Sic ſpecies illa, q̃ à cerebro
manat, vbicunq; pertingit ſenſum, & motum exercet. Sic vis, quã magnes
diffundit, ſi ferrũ inuenit illud trahit; & appenſum retinet, nõ minus ac fer
rum ipſum. Tot autẽ ſunt differentiæ, & naturæ harũ ſpecierum, quot ſunt
formę, & ſubſtantialia tẽperamenta, q̃ illæ conſequuntur. Dico igitur oẽs,
& ſingulas corporis partes ad ſemen ipſum dum intus eſt ſui propriã ſpe-
ciem tranſmittere; quæ ſpecies illius eſt facultatis, vt partẽ illam fœtus q̃
proportione reſpondet illi, à qua fluxit ipſa ſpecies, eiuſdẽ fiat figuræ, &
formæ. PROVID. Qua rõne id poteſt efficere huiuſmodi ſpecies? Nun-
quid ipſa vim habet effingẽdi? ANON. Quid prohibet, quin ita dicamus,
cũ iam conſtiterit, has ipſas ſpecies eiſdẽ viribus, & operationib. eſſe præ-
ditas, quibus & formę ipſę principales. Vnde non eſſet fortaſſe inconue-
niens aſſerere speciẽ illam quã oculus Socratis miſit in ſemẽ, vim habere
formandi oculum fœtus, ſimilem oculo Socratis. INGEN. Si huiuſmodi
vis effectiua tribuatur imaginibus illis veriſſimum erit ſecundum hanc
ſententiam id quod dicebat Ariſtoteles, Socratem ſcilicet vim habere ge-
nerandi effectiuam non modo quatenus homo, verum etiam quatenus So-
crates. ANON. Rectiſſimè dicis, Nihilominus tamen melius fortaſſe eſ-
ſet aſſerere huiuſmodi ſpecies, & imagines concurrere ad effingendas par-
tes fœtus more cauſſæ cuiuſdam exemplaris, inclinantis formatricem ſe-
minis facultatem ad conformandas fœtus ipſius partes, iuxta ſimilitudi-
nem illarum, quas ipſe imagines repræſentant. INGEN. Qua ratione
hanc meliorem eſſe ſententiam putas? ANON. Quoniam iuxta priorem
opinionem videretur ſemen habere vim formatricem non à proprio tem-
peramento.

Digitized by Google

peramento, ſed mutuari illam à partibus ipſis. At ſecundum poſteriorem, vis ipſa formatrix tribuitur ſemini ratione temperamenti proprij, nilque aliud dicitur illi extrinſecus aduenire, niſi exemplar ipſum, ſeu imago quædam inclinans ad ſic, vel ſic effingendum. INGEN. Nonne poſſemus etiam euitare huiuſmodi inconueniens. Tribuendo vim effectiuam, imaginibus ipſis? ANON. Quo pacto? INGEN. Dicendo ſemini ipſi ineſſe vim formatricem ratione temperamenti, ineſſe & imagini; ex his autem duabus cauſſis, tanquam partialibus conſtitui integram formatricem ſeminis fœcundi. ANON. Neque hæc ſententia improbabilis eſſet. INCLVS. Mihi maxime omnium probatur. Sic enim idem eueniret in generatione materiali, quod & in generatione verbi mentalis euenire conſpicimus. ANON. Quid hoc eſt? INCLVS. Ego ſecutus Scoti ſententiam aſſero ad generationem notitiæ genitæ, quam mentale verbum vocant Theologi, duas cauſſas effectiuas partiales concurrere, vnam integralem conficientes; intellectum ſcilicet ipſum & ſpeciem intelligibilem, quam accepit à ſenſibus, vt aliquando ſpero me probaturum in his noſtris colloquijs. Sic ergo & in generatione externa & materiali eueniret, ſi diceremus vim integram formandi, & effingendi fœtum conſtitui ex illa, quæ ſemini ineſt naturaliter, eiuſque propria eſt; & ex illa quam mutuatur à partibus per influxum imaginum. SITICO. pulcherrimum inuentum. Ego quoque magis in hac acquieſco ſententia ob hanc mirabilem ſimilitudinem. ANON. Permittam vnumquemque ſententiam illam amplecti, quæ magis arrideat, dummodo illud recipiatur, ad effingendam formam fœtus, aliqua ratione concurrere ſpecies haſce, & imagines, quæ à ſingulis partibus ad illud confluunt influxu ſpiritali. Hoc enim iam omnes vos videmini admiſiſſe. An autem id faciant hæ ſpecies vt cauſſæ exemplares, an vt effectrices, totales, vel partiales, parum fortaſſe refert in præſentia diligentius examinaſſe. nam quomodocunque id faciant conſtat earum virtute geniti partes referre formam partium illarum, quas ipſę ſpecies repræſentant. Repræſentant autem eas, à quibus fluxerunt, quæ ſunt præcipuè patris, aut matris, nec non etiam maiorum vt dicam poſtea. Nunc vlterius procedamus, dicentes, quod cum omnium partium corporis generantis ſpecies in ſemine contineantur, influentes in illud dum intus eſt, veriſſimum erit ſecundum hanc ſententiam id quod dicebat Ariſtoteles, ſemen non quidem ex omnibus partibus diſcedere, ſed ad omnes accedere. Accedit enim quodammodo ad omnes, cum omnium in ſe contineat imagines, & ſimulacra; quibus ad omnium partium naturam accedit, ſimile omnibus factum. Vera etiam ratione aliqua ſententia veterum, qui dicebant ſemen ex omnibus partibus decidi. cum enim vna cum ſemine exeant & ſpecies omnium partium, quæ in illo continebantur, quodammodo dicere poſſumus aliquid ex omnibus partibus decidi ſimul cum eo. PROVID. Hoc non videtur fieri poſſe. Huiuſmodi enim ſpiritales influxus aſſidua indigent aſſiſtentia corporis immutātis: illo enim remoto continuò influxus ceſſat,

Digitized by Google

& vis illa, quæ tranſmittitur perit, aliter atque in materialibus alterationibus accidat. Calor enim vel ſemoto calefaciente diutius in aere perſeuerat, fulgor vero ſtatim cum illuſtrante euaneſcit. Sic ergo & de harum imaginum influxu ſentiendum. Scilicet tamdiu influent in ſemen, quandiu ſemen ipſum in corpore conſtiterit. At ipſo iam foras eiaculato, ſtatim euaneſcent ab eo imagines illæ, & ſimulacra, non aliter atque præciſo neruo, tota ea pars, quæ per ſectionem fuerit à cerebri continuitate ſeparata ſtupida redditur. ANONYM. Certè concluderet aliquid ratio tua ò Prouide, ſi ſemen ita ſe haberet ad ſpecies illas, ſicuti aer ad lumen. At non ita ſe res habet: ſed magis ita ſe habet ſemen ad ſpecies, & imagines illas, vt cerebrum ad imagines rerum. Quemadmodum enim in cerebro reperitur facultas retentrix ſpecierum ſenſibilium, valens illas conſeruare etiam remoto obiecto externo; ita in ſemine vis quædam ineſt, quæ huiuſmodi imagines apta eſt retinere etiam ſi ſemen ſit extra corpus, dummodo ſub ſeminis natura remaneat. PROVID. Hac ratione fieret ò Anonyme, vt ſemen viuere diceretur, quando illi retentricem hanc tribuis facultatem. ANONYM. Fateor. Quid tum poſtea? Nonne & Valleſius ipſe illud viuere aſſeuerat in 2. controu. cap. 9. Poſtquam autem formatus fuerit fœtus, animaque introducta, ſeruabuntur multo magis in illo hæ imagines, vi animæ ipſius, cuius vis maxima eſt, atque diuina. Propterea cum ſemen maris recipiat in corpore maris ſpecies partium ipſius; & ſemen fœminæ etiam imagines fœminæ, quæcunque tandem reſultet effigies in fœtu, dico tamen ſimilitudines illas omnes, quas ſemen à parentibus recepit fixas in eo ipſo, quamuis latenter, manere; non aliter, atque in aere conſiſtunt aliquando ſpecies colorum, cum tamen coloratus minimè appareat; ſicuti etiam imagines ipſæ in ſemine continebantur, licet nulla in eo cognoſci vllo modo poſſet. INGEN. Hoc fortaſſe illud erat, quod dicebat Ariſtoteles ſimilitudines patrum latere in filijs, & rurſus eaſdem in nepotibus apparere. ANONYM. Hoc ipſum ego quoque cenſeo intellexiſſe Philoſophum; Saltem aſſero eſſe veriſſimum. TVTVS. Mirum videtur tot ſpecies, & imagines diuerſarum partium in tantillo ſemine contineri. ANONYM. Hoc proprium eſt ſpiritualium accidentium; ut non diuerſa modo, verum & quodammodo contraria in eodem omnino ſubiecto, eademque vel minima particula recipiantur. Cum igitur tot contineantur in ſemine ſpecies, & imagines; vnaquæque ipſarum naturaliter apta eſt, ad ſecum ducendam formatricem ſeminis facultatem, ad hoc vt fœtum effingat iuxta ſui ſimilitudinem. Ita vt effigies, quam muliebre ſemen à mulieris partibus recepit, ſecum trahere conetur formatricem facultatem ſeminis etiam maſculi, cum illo mixti, ad effingendam in fœtu fœminæ figuram. Quoniam tamen vis, vt facultas formatrix magis à mare pendet, quam à fœmina, omneque agens magis agit ad ſimilitudinem exemplaris, ſeu formæ illius, quam in ſe ipſo habet, quam illius, ad quam materia inclinat, vt patet in agentibus omnibus tam naturalibus, quam artificialibus, ideo

Gal. 7. de Placit. c. 5

4. de gen. anim. c. 3.

euenit

euenit vt ſimilitudo partus, vt Gal. ait, patrem magis, quam matrem repręſentet; operante ſeminis facultate, iuxta ſimilitudinem illam, quam ſemen maris ſecum ex corpore genitoris detulit. SITIC. Vnde ergo fiet, vt aliquando partus ſimilis matri fiat, ſi patris ſemen validius eſt, in effingēdo? ANON. Id ea de cauſſa prouenire puto, quam Galenus reddit. Fœminea enim genitura, immo tota ſeminis commixtio nouem menſium ſpacio in corpore matris conſiſtens magnam vim ſibi aſciſcit effingendi partum ſimilem matri; Influunt enim perpetuo in fœtum ſpecies muliebres, & diuturno influxu tanto inualeſcunt, & ſuperant, quanto in primo congreſſu à maſculis imaginibus ſuperabantur. Hęc eſt mea ſententia de cauſſa ſimilitudinis natorum cum parentibus; quam ea de cauſa veriorem cæteris eſſe puto, quia per eam optime ſoluuntur difficultates omnes, quas ſuperiores omnes patiebantur; noſque per eandem quæſtionibus omnibus ſatisfaciemus; quibus per relatas opiniones ſatisfieri nullo modo poſſe videbatur. Iam communis illa difficultas ſublata eſt, vnde fiat vt filij vel in minimis corporis particulis ſimiles patribus reddantur. De hac non eſt, quod amplius loquamur. Quod vero à Fernelio obijciebatur fœtum aliquando alicuius ignoti gerere ſimilitudinem, qui nihil contulit ad generationem, noſtræ opinioni nihil obeſt. Hoc enim ex eo prouenire poteſt, quoniam imagines illæ maſculi, & fœminæ ita in generatione confunduntur, vt neutra perfectè ſuperet, neque vincat. Tunc enim reſultabit effigies quædam neque patrem, neque matrem referens, ſed alium quendam ignotum. Pugnant enim ſemina in fœtu conformando, altero quidem ob efficaciam præualente, altero vero ob diuturnam moram in ventre matris. Dico ſecundo ad eandē obiectionem id fieri per errorem naturæ, non aliter atque in monſtris euenit. Immo dico cum Ariſtotele, partum illum, qui ſuis parentibus ſimilis non eſt, mōſtrum quodammodo eſſe. Quamobrem ſicuti per errorem monſtra fiunt, quæ patrem, aut matrem nullo modo imitantur in ſpecie, multo magis monſtra fient ſola effigie degenerantia, per naturæ peccatum. At ſi ſola imaginatio cauſſa eſſet effigiei, vt Fernelius cenſet, iam tolleretur omne monſtrum. Illud enim tantummodo monſtrum eſt, quod præter naturæ ordinem, & inclinationem fit. Quod autem à cauſſa propria, perfectè operante prouenit, non fit præter ordinem naturæ. INCLVS. Si ergo mulier in conceptu canis effigiem contemplata, filium pariat habentem canis vultū, dicere ne poterit Fernelius illud monſtrum eſſe, cum per errorem naturæ productum non ſit, ſed à propria cauſſa, nempe ab imaginatione ſimili? ANON. Profectò non poterit. Videas quam abſurda ſit hæc ſententia. TVTVS. Quid dices ad aliud argumentum Fernelij; quomodo poterit per hanc ſententiam fieri, vt fœtus ſexu patrem æmuletur, forma autem & effigie ad matrem proprius accedat? Si enim ſemen maſculum fœmineo eſt valentius in pudendis foras protrudendis, cæteriſque depromendis, quæ maſculini ſunt ſexus, eius etiam imagines fortiores eſſe deberent fęmineis, & ſuperare. ANON. Putas ne Tute aliquas eſſe membrorum figuras maſculis proprias; eſſe & proprias fœminarum? TVTVS. Quid ni? Indicauit hoc ipſum Galenus in 2. de ſemine, capite. 5. & Phyſiognomones inquiunt

2. de ſ cap. 5.

4. de gen. anim. c. 3.

Porta lib. 1. cap. 13.

Digitized by Google

quiunt magnum corpus, vultum latum, oculos magnos, quadratum mentum, naſum ad faciem diſcretum caloris eſſe effectus, & eſſe propria maſculorum. Contra vero paruum caput, anguſtum vultum, oculos paruos, naſum ad faciem male diſcretum, cum frigoris ſint effectus eſſe propria fœminarum. A N O N. Optimè. Nam caloris proprium eſt in generatione extendere membra, dilatare, magiſque efficere prominentia; frigoris è contra conſtringere, imminuere, & intus retrahere. Si ergo contingat fœminam aliquod ex maſculis ſignis habentem puta magnos oculos, aut vultum latum rem habere cum viro anguſti vultus, & paruorum oculorum, quid mirum ſi maſculus generetur matrem in vultu, & oculis referens? Calidum enim maris ſemen, atque præpollens, & ſi alias imagines ex corpore maris deferat, quia tamen caloris proprium eſt extendere, & dilatare, ideo in dictis partibus formandis magis ſequetur fœmineam imaginem, vt pote ſibi, ſuæque actiuitati conſentaneam magis. SITIC. Videtur hoc illud eſſe, quod dicebat Ariſtoteles Socratem, quatenus mas eſt vincere, vinci vero, quatenus Socrates eſt. I N G E N. Summopere mihi placet hæc doctrina. A N O N. Hac eadem ratione facile ſoluitur & quæſtio illa vnde fiat vt partus & ſi in ſexu ſit matri ſimilis, in effigie tamen patrem repræſentet. Similiter etiam patet cur partus in nonnullis partibus mari, in nonnullis fœminæ ſit ſimilis. P R O V I D. Mihi videtur ò Anonyme horum nullũ rectè oſtendi. Arbitraris enim hæc omnia declaraſſe poſito illo principio, quod Pater membra nonnulla fœminea contineat, mater è contra eadem habeat maſcula forma prædita. Et ſi enim poſito hoc principio rectè diſcurris, oſtendendum tamen erat, qua ratione illud fiat primo, vt mas membra habeat fœminea, mulier autem maſculina. TVTVS. Dici poteſt id euenire, quia tales fortaſſe erant parentes. INCLVS. Et ſi quis idem de parentibus quærat quid reſpondendum? T V T V S. Idem. A N O N. Hic non eſt verus Philoſophandi modus. Sed audi Prouidè, quomodo fieri poſſit, vt quis maſculus fieri primo poſſit talis, vt nonnulla habeat membra muliebris figuræ, & mulier quæ virilis. Semen & ſi ſit corpus ſimilare, in eo

2. de ſem. cap. 5. tamen differentia hæc eſt, vt Galenus dicebat, quod illa pars, quæ primo excidit craſſior eſt, & concocta magis, quæ ſecunda, & tertia eiaculatione emittitur tenuior, frigidior, atque debilior exiſtit. Sic & de muliebri dicendum. In commiſtione ergo fit, vt in quibuſdam partibus fœtus validũ ſemen præualeat, & maſculinum, in alijs debile, atque fœmineum. Vnde & in vna parte præualebit imago maris, in alia fœminæ. PROVID. Hoc mihi omnem euellit difficultatem. Sed ſequere, & doce modum iuxta hæc principia, quo fit, vt partus auum magis, aut auiam referat, magis quam patrem, aut matrem. A N O N. Duo mihi memoria teneas. P R O V I D. Quæ? A N O N. Primum ſimilitudines patrum latere in filijs, nec videri,

4. de gen. a imal. cap. 3. vt dicebat Ariſtoteles. Nonne hoc ego quoque indicaui? P R O V I D. Maximè. A N O N. Alterum. Semen in efformando promptius illam è multis, quas continet imaginem ſequi, quæ ſeminis naturæ, & temperamento magis eſt familiaris. P R O V I D. Vtrunque teneo. A N O N. Nonne ergo vides facile fieri poſſe, vt ſemen relictis ſpeciebus illis, &

imaginibus

Digitized by Google

imaginibus quas ſecum detulit proprias generantis, aut genitricis, ſequatur illas, quæ aui fuerunt, aut auiæ? PROVID. Non ſatis percipio. affer as exemplum. ANON. Affero. Sit Sophroniſcus virilibus membris, & effigie præditus, Phænerete vero fœmineis. Socratem generent calidorum teſtium; ſed qui ob dictam antea cauſſam vultum habeat ſimilem matri. Hic denuo cum muliere fœmineis verè figuris prædita rem habeat; atque ob ingenitam teſtium caliditatem, feminiſque robur maſculum faciat; Facile eueniet, vt maſculus iſte Sophroniſco ſimilis euadat, eo quod Sophroniſci ſpecies, & imago, (hæc enim cum lateret in Socrate, vna cum aliis influebat in ſemen) familiarior eſt calido ſemini Socratis, quam ſit Socratis ipſius forma mulierem magis referens. Quod ſi Sophroniſci pater ipſe quoque virilia habuerit membra, non tamen adeo facilè Socratis filius hunc atauum refert, ſicut auum Sophroniſcum. eo quod ataui ſimilitudines, maiori temporis decurſu ſunt magis antiquatæ, quam Sophroniſci, & hæ adhuc magis, quam Socratis. Facultas vero fictrix promptius illas imitatur, quæ fortius ſunt impreſſæ, Quod ſi aliter eueniat, id fit; quia quæ magis ſunt antiquatæ conuenientiores ſunt formatrici facultati; vt modo dicebatur. INCLVS. Videtur hoc illud eſſe, quod dicebat Ariſtoteles, motus genitorum cum ſoluuntur tranſire in propinquiores. ANON. Hoc ipſum eſſe videtur. Per eadem principia etiam facile redditur cauſſa, cur filij patribus ſint ſimiles in virtutibus, in vitijs, in morbis patrium; quod iuxta ſuperiores ſententias minime oſtendi poterat; eo quod non apparebat quomodo partus poſſet in ſingulis partibus aſſimilari parentibus in temperamento. At ſecundum noſtram ſententiam facile apparet Solutio. Imagines enim partium in ſemen tranſmiſſę poſſunt idem temperamentum cauſſare in ſemine, quod inerat & partibus a quibus fluxerunt. non quidem immediate agendo, aut directe alterando, ſed alia quadam ratione. INCLVS. Quæ eſt hæc ratio? ANON. Nonne ſcimus calidum cor gaudere multa copia ſpirituum, & ſanguinis, frigidum è contra; & vnamquamque partem ſibi ſimile alimentum attrahere? INCLVS. Scimus. ANON. Eandem prorſus vim tribuere oportet. & ſpeciebus illis, quas ſemen recipit ab ipſis partibus. INCLVS. Paradoxum hoc videtur. ANON. Paradoxum eſt Galeni, & experientiæ. Refert Galenus in primo de naturalib. facultatib. ſe vidiſſe quinque ſtilos ferreos ſibi continenter appenſos, quorũ primus partem tangebat magnetis. Quam putas eſſe huius rei cauſſam? **Cap. 14.** INCLVS. Non aliud dicendum videtur, niſi id factum fuiſſe in virtute illius facultatis, quæ in ferrum à magnete influebat, per quam ferrum ita poterat aliud ferrum trahere, & retinere, ſicut & magnes ipſe. ANON. Sic ergo dicendum & de ſpeciebus, & imaginibus ipſis, quę in ſemine cõtinentur. Illa enim, quæ a calido membro profluit ſuum temperamentum imitata calidum in fœtu membrum faciet attractione ſpirituum, & ſanguinis calidioris ad ſe ipſam. Atque idem quoque & de cęteris temperamentis dicendum venit ſimili ratione. Nil itaque mirum ſi qui podagram patitur filium generet eidem ſubiectum morbo, ſibique tam in vitijs, quam in virtutibus ſeu propenſionibus ſimilem. Hæc eſt mea ſententia, quam ego

Digitized by Google

cæteris alijs anteponendam eſſe cenſeo, ita tamen vt opinio illa, quæ vim totam effingendi fœtum ponit in imaginatione non omnino damnetur, vt antea dixi. Non enim omnino eſt vis adimenda imaginationi pro fœtu conformando; ſed in eo errant huius opinionis fautores, quod ſolam imaginationem huius rei cauſſam faciunt. Ego vero dico ſolam eſſe non poſſe; ſed alias quoque neceſſario quærendas eſſe. Ego itaque aliam attuli, quæ eſt imaginum influxus à ſingulis parentum partibus ad ſemen ipſum. SITIC. Vnius effectus vna eſt cauſſa: caueas ne plures facias. ANONYM. Vnius effectus vna tantum eſt cauſſa in eodem genere, & ordine totalis: nec poſſunt in hoc ſenſu eſſe plures. At ego non ſtatuo plures totales in eodem ordine, & genere. Imo ſi quis recte animaduertat videbit tam imaginationē, quam influxum hunc concurrere ad effingendum fœtum medio imaginis tranſmiſſæ in ſemen. SITIC. Optimè. Non tamen hactenus quicquam nouimus de Homeri ſententia, quē nos explicandum ſuſcepimus. ANON. Hactenus conſtitit, quæ ſit vera ſententia. Hanc eandem ſecutum eſſe Homerum facile demonſtrarem. Sed libenter id ego in aliud tempus differram, & in locum commodiorem; Attamen Principi noſtro parebo, & ſi id quoque me iuſſerit addere, addam. INCLVS. In aliud tempus differatur. Iam tempus eſt redeundi domum, ſatiſque ſuper hac materia locuti ſumus, vnico hoc colloquio.

ODYSSEÆ
Primo, verſu clxij.

Ad cęnaculũ vbi conſcendiſſet, cũ ancillis mulieribus
Fleuit ſubinde Vlyſsẽ charũ maritũ, donec illi sõnũ
Dulcem palpebris immiſit Dea glauca Minerua.

De fletu, lachrymarumque generatione. Et quamobrem fletus ſoleat ſomnum conciliare.

COLLOQVIVM IIII.
INGENIOSVS.

EQVIDEM cuiuſdam ſapit miraculi naturam, quod dum quis ſuſpirijs, & lachrymis abundat, vndique doloribus, & anguſtijs circunſeptus ex inſperato dulci ſomno corripiatur; per quem non externis modo ſenſibus, verum & internis placide conſopitis, omniſque moleſtiæ ſenſu ſublato in medio dolorum leni, ſuauique otio perfruatur. Hinc non ſine probabilitate ab Homero adeo frequenter dicitur huiuſmodi ſomnus lachrymis ſuccedẽs ab aliquo Deorum immitti. Quemadmodum hic quoq; aſſerit Palladem in oculis Penelopes ſomnum immiſiſſe, poſtquã diu lachrymata eſſet, ob deſiderium abſentis Vlyſſi. Veruntamẽ, quia id cernimus euenire frequẽter, vt poſt diuturnas lachrymas ſomnus ſubrepat, cauſſam huius vellem hodie à nobis inueſtigari, cum erroneum ſit tam ſæpe ad miracula confugere. PROVID. Pulchra conſideratio. Vnde uam exordiemur? INGEN. Ego ita conſiderabam: ſi cauſſam euẽtus huius cognoſcere volumus, prius de lachrymarum natura, & generatione loqui oporteat. His enim cognitis facilè erit arbitror id quod quærimus inuenire. PROVID. Quatenus ad naturam pertinet lachrymarum Ariſtoteles & Galenus in eo conueniunt lachrymas nihil aliud eſſe, quam ſeroſas quaſdam humiditates, & ſudorem quendam. Hoc ſaltem expreſſe dixit Ariſtoteles lachrymam ſudorem eſſe; nonnnlliſque id probauit rationibus, vt ex modo ſubſtantiæ, & ex generatione. SITIC. Ita tamen puto eos auctores intelligendos eſſe, vt materia lachrymarum, ſit humiditas quædam eiuſdem naturæ cum ſudore. Nam ſi proprins loqui velimus, lachrymæ nil aliud ſunt, niſi ſeroſa illa humiditas, quæ ex oculis guttatim effluit; vt quodammodo dicendum ſit lachry-

5. Probl. 35. Lib. de occu lis.

lachrymas ſudorem eſſe quendam oculorum. INGENIOS. Ego quoque ita ſentio. ANONYM. Mirum certe illud eſt, quomodo ex oculis tam copioſus ſudor exeat aliquando. Vnde nam obſecro, tanta ſuppetit copia lachrymarum? INGEN. Oculi ò Anonyme copioſius ſudant, quam aliæ partes, propterea quod glãdulis mollimmis, & humidimmis ſubſtrati ſunt, ex quibus humiditas multa facile elicitur. A N O N. Libenter etiam audirem quæ nam ſit illa cauſſa, quæ tantam ex oculis humiditatem elicere ſoleat. SITIC. Duas habes apud Ariſtotelem in quinta Problematum. calorem ſcilicet externum, & compreſſionem earum partium, quæ oculis ſunt circumpoſitæ. SITIC. De calore conſtat. Cernimus enim eos, qui rẽ aliquam vehementius calefacientem faciei admouent, lachrymari. Calor enim, inquit, ſudorem elicit, lachryma autem ſudor quidam eſt. Qui etiam vehementius, aut rident, effundunt lachrymas motu & calore humore effuſo. Quod autem compreſſione partium oculis circumpoſitarum lachrymæ exprimantur, clarius eſt, quam dici poſſit. Propterea videmus in magnis frigoribus effundi lachrymas, eo quod frigus contrahendo, condenſandoque carnem humorem exprimat, vt Ariſtoteles docet loco citato. PROVID. Idem & Galenus docet, in quarto de ſimpl. med. facultatibus capite ſecundo. INGEN. Optime. Cum itaque videamus in fletu lachrymas exire copioſe, neceſſe erit ex Ariſtotelis, & Galeni ſententia in fletu aliquarum dictarum cauſſarum reperiri, quæ foras exprimere, & effundere lachrymas ſoleant. Nonne? S I T I C. Ita quidem ſe res habet. Fluunt enim in fletu lachrymæ conſtrictione illarum partium, quæ circa oculos ſunt. INGEN. Non ſufficit hoc nouiſſe, ſed vlterius progredi oportet, docendo, qua de cauſſa partes illæ, in fletu comprimantur. SITIC. Comprimuntur triſtitia, & timore, quæ ipſæ ſunt fletus cauſſæ. INGEN. Adhuc quæram quamobrem timor, aut triſtitia illas ſoleat partes conſtringere. SITIC. Dicam. Cum timor, atque triſtitia oblatione moleſti obiecti cauſentur, euenit, vt cor tunc in ſe contrahatur, perinde ac ſi contractione ſui vellet inimicũ obiectũ fugere, & ſe ipſum roborare. Contracto autẽ corde reliquum corpus compati neceſſe eſt, eo quod à corde accipit vitalẽ facultatem, quæ aliarum omnium eſt conſeruatrix. Hinc corpus totũ cordi alligatum eſt, non per arterias modo, quæ oriuntur à corde, ſed per neruos ẽt, eo quod rami neruorũ arterijs ſunt alligati. Itaque in triſti & anxio corde corpus totũ tenditur, & contrahitur ad cor ſuum principiũ; ſed multo magis vultus, maxime autẽ oculi, eo quod illis cũ corde maxima eſt ſympathia. Cum.n. cordis motus aliæ oẽs partes aliquatenus repræſentẽt, multo tñ magis id faciunt oculi, & vultus. Maioribus.n. venis & arterijs vultus cutem texit, quã reliqui corporis. INCLVS. Hoc proculdubio credendũ eſt, ò Amici, Naturã procuraſſe, in hominib. vt vel hac cauſſa rẽperarentur ab affectibus, & a criminibus, quę difficile eſſet vultu non prodere; Quod ſcio alias a Doctiſſimo Valleſio fuiſſe obſeruatum. INGEN. O pulcherrimum inuentũ Valleſij. SITIC. Dum igitur hę partes quodamodo ad cor accedentes tenduntur, fit vt earũ humiditas exprimatur foras. INCLVS. Sed vnde fit ò Sitic. vt in magnis doloribus flere homo non poſſit, præcipue

Valleſ. 6. Epidem. ſect. 5. 4. 4

Probl. 35.

Valleſ. 6. Epidem. ſect. 5. tex. 4.

Digitized by Google

pue in principio, cum tamen tunc validiſſima flendi cauſſa adeſſe videatur? SITIC. Id accidit, propterea quod cor vehementer contractum in ſe, quodammodo exorbet humiditate, tuncque oculi aridi fiunt, cũ laxari incipit dimittit; atque tunc oculi præ tentione, & debilitate diſtillant. INGEN. Optime videris mihi de re hac Philoſophatus eſſe, ò Siticuloſe. Iã enim mihi conſtat, quamobrem poſt effluxum diuturnum lachrymarum ſomnus obrepat. SITIC. Mihi ſane illud nondum conſtat. INGEN. Riſibile dictu. Viſne dicam qua ratione colligam ex hac tua doctrina, rectè ſequi vt ſomnus poſt fletum cõcilietur? SITIC. Nil aliud opto. INGEN. Audi. Somnus ſecũdum Ariſtotelem, & Galenum nil aliud eſt, niſi quies, & vacatio animalis facultatis. Somni enim tempore neque motus, neque ſenſus vllus agitur. Vnde conſtat in ſomno aut parum, aut nihil animalis facultatis à cerebro in externa membra demandari, in ipſoque cerebro facultates principes impediri, aut delaſſari. SITIC. Hæc omnia, eorumque cauſſas vidi accurate, diligenterque tractari à Io. Baptiſta Perſona Hoſpite noſtro, in Medicis diſcurſibus. Inquit enim ex leui neruorum obſtructione, quam vapores in cerebro congeſti faciunt impediri influxum animalis facultatis; & ab eorundem vaporum humiditate, principes facultates defatigari, ita vt ſola humidorum vaporum copia in cerebro congeſta ſomnum faciat. INGEN. Rectè. Cauſſa ergo quælibet, quæ poteſt caput implere vaporibus, poterit ſomnũ conciliare. SITIC. Proculdubio. INGEN. Talis eſt fletus diuturnus. Seroſa enim illa humiditas, dum erumpit per oculos partim in vaporem ſoluitur per attritionem. Ille vero vapor ſurſum eleuatur ad cerebrum; immo in ipſo, fere gignitur cerebro, & ſomnum facit. Ex diuturno enim fletu multa eorundem vaporum congeritur quantitas in ipſum caput. SITIC. Papæ quam facilis erat hæc doctrina, & quam prope ad hanc cauſſam cognoſcendam acceſſi, & tamen illam non cognoui. Dubitabit tamen fortaſſe aliquis cur ſomnus non fiat, niſi poſt diuturnum fletum, cum tamen ſecundum traditam doctrinam potius ante fletũ fieri debere videatur. Nam antequam quis fleat, in ſe multam ſeroſam humiditatem continet, quæ cum ſit materia vaporum, deberet ſomnum conciliare euaporando. At tranſacto fletu iam exhauſta eſt per lachrymas, vnde non apparet quomodo poſſit cerebrum amplius afficere. INGEN. Facilis eſt reſponſio. Ante fletum ſeroſa illa humiditas, quieſcit intus; cumque agitata non ſit, non euaporat. At dum compreſſione foras exprimitur, tenuatur per attritionem, & in vaporem ſoluitur. neque quælibet vel minima copia vaporum poteſt ſomnum efficere, ſed illa quæ ſatis eſt notabilis, & magna. non ergo ante fletum, hac de cauſſa fit ſomnus, quia vapores nulli eleuantur: non in principio fletus; quia pauci. At diu durante fletu vapores multi congregantur in capite, atque ita in ſolo longo fletu euenit ſomnum conciliari.

ODYS-

ODYSSEÆ
Primo, verſu clxxviij.

--- Ego vero Deos inuocabo ſempiternos,
------- Semper exiſtentes.

Lumine Naturali cognoſci poſſe Dei Aeternitatem & Vnitatem.

COLLOQVIVM V.

SITICVLOSVS.

OPINIONEM de Deo, quod ſit, adeo inſitam mentibus humanis veteres credidere, vt apud Sapientiores Theologos D.Thomam Aquinatem, Auguſtinum, nec non & ſubtilem Scotum in dubium aliquando reuocatum fuerit an per ſe notum eſſet Deum eſſe. Illud tamen videntur veteres Idololatræ ignoraſſe Deum ęternum eſſe, à nullo genitum, ita vt nunquam non extiterit; nunquam interiturum, & à ſe ipſo exiſtentē. Quod enim ſceleſtos homines, adulterio genitos, prauis moribus infectos, infami morte peremptos, tandem poſt mortem in album Deorum repoſuerit antiquitas fabuloſa, longum eſſet, ſi ego recenſere vellem. At duo hæc cohærere non poſſunt: Deum eſſe, & incępiſſe aliquando, aut aliquando deſiturum. INCLVS. Haud video quo tendat hæc oratio tua, niſi id fortaſſe velis nos admonere Homerum quoque inter illos ſtultiſſimos homines eſſe numerandum, qui Deum factum ab alio putabant, cū & ipſum quoque frequentiſſimè liceat obſeruare appellantem Iouem Deum Saturno genitum, Mineruam Deam Ioue natam, & alia huiuſmodi. SITIC. Haud ſanè ſum huius opinionis. Immo cum Homerus ſæpenumero Deū vocet omnipotentem, omnia videntem, audientem omnia, cunctaque gubernantem, confiteri oportet cognouiſſe Homerum æternitatem Dei; vt & ex hoc ipſo loco ſatis patet, in quo dicit Deos eſſe ſempiternos. INCLVS. Animaduertas hoc nomen ſempiternum à recentioribus Philoſophis ſumi pro eo, quod licet finem non habeat exiſtendi, principio tamen nō caret; cuiuſmodi dicimus nos eſſe angelos, & immortalem animam. Quare licet Deus ab Homero ſempiternus dicatur, æternus tamen propterea non dicitur; eo quod æternum & principio caret, & fine. SITIC. Has verborum conſiderationes non curo. Satis mihi eſt Deos hic ab Homero vocari

pp.q.1.ar. 1.p.ſent. diſt.2 q.1.

cari αἰὲν ἐόντας, ſemper exiſtentes. Ego illud (ſemper) intelligo, pro, æternũ; PROVID. Mirum videtur, quod Homerus lumine fidei deſtitutus, & in tenebris errans, hanc potuerit videre veritatem. SITIC. Nihil me hercle mirum, cum id ipſum naturali lumine, quo ille pollebat facile perſpici poſſit. PROVID. Rogo te ne graueris aliquam ex iis rationibus, quibus id aſſeris probari, hic in medium afferre. SITIC. Nonne id apud cunctas nationes ſemper fuit in confeſſo, Deum eſſe rerum omnium perfectiſſimũ? PROVID. Conſtat. SITIC. At ex hoc ſequitur æternum illum eſſe. Nam ſi æternus non eſt, ergo factus aliquando fuit, ab aliqua cauſſa efficiente. Nonne? PROVID. Prorſus. SITIC. At omnis cauſſa efficiens agit propter finem vt monſtrauit Ariſtoteles. Deus ergo ipſe factus eſſet propter aliquem finem. *2. Phyſ. tex. 77.* Quod ſi Deus factus eſt propter finem, ergo & dirigitur in eundem finem. At finis perfectior eſt omnibus illis, quæ ſunt ad finem: Ergo finis ille, in quem dirigitur Deus, eſſet nobilior ipſo Deo, contra hypotheſim. PROVID. Optime. SITIC. Præterea ex eadem ſuppoſitione arguitur ſic. Si Deus factus eſt aliquando, aut factus eſt ab vniuoca cauſſa, aut ab æquiuoca. Quæcunque ſit, non erit minus perfecta Deo ipſo. Cauſſa enim vniuoca eſt æque perfecta; æquiuoca vero perfectior ipſo effectu. Petierim ergo de hac ipſa cauſſa, an facta, ipſa ſit aliquando, an non. & ſi ipſa quoque ab alia ſit facta, de ea quoque ſimiliter interrogabo; ita vt tandem vel abeundum erit in infinitum in his cauſſis, vel ſtandum erit in aliqua vna, quæ minimè facta ſit, ſed extiterit ab æterno. At hæc cum ſit æterna nobilior erit ipſo Deo, contra ſuppoſitum. Rectius ergo hæc cauſſa æterna dicetur Deus. Qui ſi principium non habuit, neque ab vllo factus eſt, neq; finem habebit, neque interibit. TVTVS. Non videtur adeo abſurdum, ò SITIC. In infinitum abire in cauſſis ſucceſſiuis, vt tu videris pertranſire. Immo in via Peripatetica confiteri oportet eiuſmodi infinitatem dari; ita vt hic homo, ab infinitis antea hominibus genitus ſit, cum mundus ſecũdum Ariſtotelem extiterit ab æterno. Dicere ergo quis poſſet Deum ab alia cauſſa (quæ tamen & ipſa Deus eſſet, cum non ſit minoris perfectionis) factum fuiſſe, & hanc ab alia, vſque in infinitum. SITIC. Nihil conficit hæc ratio. Nam illa ſucceſſio Deorum cum ſit quid difforme, & ſucceſſiuum, quaſi motus quidam, perpetuari minimè poſſet niſi in virtute alicuius permanentis. *Scot. in p. diſt. 2. q. 1. De pr. pri. ca. 3. cō. 2.* Hoc autem eſſe nō poteſt vllum illius ſucceſſionis; omnia enim ſucceſſiua ſunt eiuſdem rationis. Vnde ſequitur nullum eorum poſſe ſucceſſionem totam perpetuare. Erit ergo aliquid alterius ſpeciei, & prius eſſentialiter, & ex conſequenti nobilius, atque perfectius quolibet illorum Deorum, contra hypotheſim. INCLVS. Agnoſco in rationibus his Scoticam ſubtilitatem. SITIC. Immo ſunt ipſius Scoti; vt & hæc quoque, quam afferre paro. Sed dicas mihi prius. Nonne ab omnibus, atque ab Homero ipſo pluribus in locis Deus cauſſa dicitur cuncta gubernans, & regens? INCLVS. Nemini dubium. SITIC. Statuitur ergo Deus cauſſa efficiens, immo efficiens nobiliſſima omnium. INCLVS. Et rectiſſimè. SITIC. Ergo eſt æterna. INCLVS. Non video hanc conſequentiam. SITIC. Conſequentia patet, quia in rebus concedenda eſt aliqua cauſſa

æterna efficiens: & æterna cauſſa nobilior eſt omni non æterna. INCLVS. Quomodo probabis concedendam eſſe in rebus efficctiuam cauſſam æternam? SITIC. Facile probabo. Effectiuum ex ſe nullam dicit imperfectionem. At eſſe factum dicit imperfectionem. Ergo in ratione effectiui non continetur, quod ſit factum. INCLVS. Hoc eſt euidentiſſimum in ratione illius quod efficit, non contineri quod ſit effectum. SITIC. Sequitur ergo non repugnare, immo poſſibile eſſe, vt tale effectiuum abſque omni imperfectione reperiatur in aliqua natura, quæ ab alio facta non ſit. INCLVS. Et ſi concedam poſſibile eſſe tale effectiuum reperiri, non tamen ſequitur reperiri de facto. SITIC. Immo optimè ſequitur. Audias. Si tale effectiuum independens ab alio eſſe poſſet, à quo nam tu diceres illum eſſe? INCLVS. Non ab alio quam à ſe ipſo. SITIC. Et tamen parum antea confeſſus es, tale effectiuum eſſe poſſe. INCLVS. Fateor. SITIC. Poterit ergo eſſe à ſe ipſo. INCLVS. Quid ni? SITIC. Ergo re vera eſt à ſe ipſo, & de facto eſt. INCLVS. Nego conſequentiam. SITIC. Hem, tu negas conſequentiam? Nonne vides, quod ſi actu non eſſet, non poſſet eſſe à ſe ipſo? Id enim quod non exiſtit, non poteſt ſibi ipſi eſſe cauſſa exiſtentiæ; aut ſimul eſſet. & non eſſet. INCLVS. Profectò recte dicis. Quam recondita eſt hæc ratio. SITIC. Erit ergo actu tale effectiuum. Et non modo erit actu, ſed etiam non poterit non eſſe, ſed exiſtet ex neceſſitate. Si enim corrumpi poſſet, id fieret ab aliquo, quod vna cum illo ſimul exiſtere non poſſet. At nullum tale reperiri poteſt. Aut enim ipſum quoque à ſe exiſteret, aut ab alio. Si primum dicas, ſequetur duo quæ ſimul exiſtere non poſſunt, ſimul tamen exiſtere, aut certè illud ſequetur, neutrum eorum eſſe, cũ vtrunque ſit æqualis virtutis; nec maior ratio ſit cur alterum magis vincat, quã vincatur. Et tamen confeſſi ſumus vtrunque eorum ex ſe exiſtere. Quod ſi illud, quod deſtruere dicitur primum effectiuum habeat eſſe ab alio, dicere oportebit illud, quod factum eſt ab alio tantę virtutis eſſe, vt corrumpere illud poſſit, quod à ſe ipſo exiſtit, quod dici nullo modo debet. Videſne quomodo optimè concluditur dari in rebus cauſſam aliquam effectiuã æternam, quæ a ſe ipſa ſit. INCLVS. Video. SITIC. Cum itaque omne ęternum ſit nobilius non ęterno; Deo autem nihil nobilius reperiri poſſit, conſtat illum eſſe æternum. INCLVS. Conſtat. SITICVLOS. Potuit ergo Princeps hic Poetarum cognouiſſe æternitatem Dei. Immo aperte illud ex hoc loco deprehenditur, quem præ manibus habemus. PROVID. Putaſne vnitatem cognouiſſe Dei? TVTVS. Abſit. Nonne videmus apud illum infinitos propemodũ Deos dici. Iouem Saturnũ, Palladẽ, Apollinẽ, Martem, alioſque fere innumerabiles? SITIC. Putas ne Tute illud cognouiſſe Homerum, quod nihil ſit perfectius Deo? TVTVS. Proculdubio. SITIC. Non ergo tot Deos ille facit, ſed vnum tantum propriè Deum ſtatuit. TVTVS. Quamobrem? SITIC. Quia inter Deos ipſos vnum facit ſummum, patrem omnium, & imperatorem, omniumque fortiſſimum. TVTVS. Vbi? SITIC. Vide in verſu 45. Palladem Deam orare Iouem vt tandem Vlyſſi iamdudum erranti redditum concedat in Patriam, his verbis.

O Pater

Digitized by Google

O Pater noſter Saturnie ſumme regum.
Et verſu 28.
Hos autem alloqui capit Pater hominumque, Deumque.
Et in libro N.13.verſu 25.inquit Alcinoum Regem Phæacum.Sacrificaſſe boui Ioui omnibus imperanti.
His autem bouem mactauit, ſacra poteſtas Alcinoi
Ioui nimboſo, Saturnio,qui omnibus imperat.

At in octauo Iliadis expreſſius ſignificauit vnius Dei,ſuper alios excellentiam,& eminentiam, faciens Iouem omnibus Dijs imperantem, immo & minitantem exitium, ſi quiſpiam eorum audeat illi facto,verbo ve contradicere. Sic enim inquit in verſu 5.

Audite me omnes Dij, omneſque Deæ
Vt dicam, quæ mihi animus in pectoribus iubet.
Neque aliqua igitur fœmina Dea,neque aliquis mas
Tentet rumpere meum verbum: Sed ſimul omnes
Laudate, vt citò perficiam hæc opera.
Quem ego ſeorſum à Dijs volentem intellexero
Venientem vel Troianis auxiliari, vel Græcis
Verberatus non ſecundum decens ibit ad Olympum.
Vel ipſum accipiens iaciam in tartarum obſcurum,
Et parum infra.
Cognoſcetis poſtea,quantum ſum deorum fortiſſimus omnium.
Eia age experimini Dij vt videatis omnes.
Quantum ego ſupra Deos ſum,ſupraque homines.

Ex quibus euidenter conſtat Homerum inter cæteros, quos Deos vocabat vnum feciſſe ſupremum cæteris Dijs imperantem,ipſiſque pręmia, & pęnas ſtatuentem, ipſorumque genitorem, & Patrem. ANON. Quare dicere oporteret Homerum feciſſe vnum Deum propriè, licet plures impropriè ſtatuerit. SITIC. Ita prorſus. Non enim verè Deus cenſeri debet, qui alium habet ſuperiorem,ſed qui ſupremus eſt:non qui regitur,aut cui imperatur,ſed qui regit,& imperat:non qui puniri ab alio poteſt,ſed qui punire,præmijſque alios afficere poteſt. T V T V S. Mirum videbitur alicui Ethnicum Philoſophum hunc,& Poetam potuiſſe tantum videre, & penetrare,natum,& altum in opinione tot Deorum,quot tunc temporis à gentibus adorabantur. I N G E N. Id quod vidit Ariſtoteles,mi Tute,potuit & Homerus vidiſſe. Ariſtoteles cum videret mundum hunc adeo perfectè gubernari,& regi,cognouit id fieri non poſſe,niſi vno poſito Deo,qui cuncta gubernet,& regat. At rerum(inquit)natura male adminiſtrari non vult, & multorum dominatus,& principatus non eſt vtilis.Vnus ergo Princeps. Quæ ſunt Homeri verba. SITIC. Quid attinet Ariſtotelis opinionem adducere? Quicquid lumine naturali cognoſci poteſt,cur non cognouiſſe di- 12. *meta-ph in fin*

cemus

cemus Homerum? Et præcipue ſi de Deo loquamur,cuius cognitio apud
[illegible] neceſſarijſſima eſt habita? At ſi iiſdem rationibus inſiſta-
mus,quibus antea oſtendimus Dei æternitatem, videbimus & vnitatem de
monſtrari. INCLVS. Eia perge. SITIC. Nonne oſtenſum eſt antea Deum eſ-
ſe aliquod æternũ, quod ex neceſſitate exiſtit à ſe ipſo, nec interire poteſt?
D.Th.cõt. gẽt. c.42. INCLVS. Oſtenſum. SITIC. At ſi plures eſſent Dij, nullus eorum ex
neceſſitate exiſteret. INCLVS. Quomodo? SITIC. Si duo Dij eſſent,
ambo eſſent entia neceſſaria. Nonne? INCLVS. Profectò. SITIC.
Quare conuenirent in eo quod eſſent entia neceſſaria, & in aliquo etiam
differrent, cum duo ſint;& vnus non ſit alter. INCLVS. Neceſſe eſt. SITIC.
Cum itaque omnis realis differentia, ex aliqua realitate ortum habeat, ne-
ceſſe eſſet vt hi duo Dij ſicuti conueniunt in neceſſitate eſſendi; ita etiam
diſtinguantur per aliquod additum ipſi neceſſitati, in qua conueniunt, ſiue
illud additum in ſit vni ſoli Deo, ſiue vtriq; ſuum. Quemadmodum enim
homo & equus conueniunt in animali, & neceſſario diſtinguuntur per ali-
quid, quod non eſt animal; ita & de his duobus Dijs eſſet intelligendũm.
At ex hoc ſequeretur vtrunque Deum aut vnum ſaltem eſſe compoſitum.
INCLVS. Tenet conſequentia. SITIC. At nullum compoſitum poteſt ex
ſe exiſtere neceſſario, eo modo quo dicimus Deum exiſtere. INCLVS. Cur?
SITIC. Quoniam omne compoſitum, quatenus compoſitum eſt, à partibus
componentibus pendet, atque diſſolui poteſt. Nam compoſitum omne po-
D. Th. 1. Cont. gen. cap. 18. ſterius eſt partibus ſuis componentibus. Non repugnat autem prius exiſte-
re ſine poſteriori. Quare partes ipſæ componentes, quatenus ſunt compo-
nentes cum realiter diſtinguantur potentiam includunt ad diſſolutionem;
ita vt ex parte ipſarum minime repugnet eàs exiſtere ſinè compoſito. Qua-
re & omne compoſitum, vt compoſitum eſt diſſolui poteſt. Pręterea. Si duo
entia eſſent, & vtrunq; eſſet Deus, ſicuti cõuenirent in eo, quod Deus ſunt,
differrent tamen in eo, quod hic non eſt ille, neque è contra. INCLVS.
Scot. in p. d. 2. q. 2. Rectè. SITIC. At hæc differentia conſtitui non poteſt, niſi aliquid inſit
vni, quod alteri non ineſt, quod ſe haberet veluti differentia. INCLVS.
Concedo. SITIC. Vnde ex hoc ſequitur vtrunque eorum duo entia in ſe
continere; alterum quidem, in quo conueniunt, & hoc dicemus eſſe Dei-
tatem ipſam;& alterum per quod, veluti per differentiam, diſtinguuntur.
Feriet iam ergo an hæc differentia neceſſario exiſtat ex ſe, an non? INCLVS.
Dico quod non. SITIC. At ex hoc ſequitur huiuſmodi differentiam poſſe
eſſe, & non eſſe. Quare in Deo aliquid includetur quod poteſt non eſſe. Vn-
Ant. Andr 12. me th. q vit de neque totum compoſitum, nempe Deus ipſe, neceſſario exiſtet, cũ altera
ipſius pars poſſit non exiſtere. INCLVS. Profectò ita ſe res habet. ANON.
Quid, ſi dicamus illas quoque differentias exiſtere neceſſario? SITIC. Tũc
accidet, quod vterque Deorum duas in ſe continebit cauſſas neceſſario exi
ſtendi. Vna quidem erit hæc differentia, altera illud in quo cõueniunt. Hoc
enim in quo conueniunt debet ens eſſe neceſſarium, ne aliquid in Deo con-
tineatur, quod ſit poſſibile. TVTVS. Quid prohibet duo entia eſſe in Deo,
per quorum ſingulum ipſe neceſſario exiſtat? SITIC. Illud prohibet, quo-
niam alterutro illorum circumſcripto, nihilominus per alterum neceſſariò
exiſter.

exiſtet. INGEN. Optimè. Sic enim Deus neceſſariò exiſteret, etiam ſublato eo, quod illi erat cauſſa neceſſitatis. SITIC. Rectiſſimè. Tertio ſi duo Dij eſſent, eſſent & infiniti. PROVID. Magna eſt hæc conſequentia. SITIC. Paruo tamen labore probabitur. Nam quæcunque ſpecifica natura reperiri poteſt in pluribus indiuiduis, quantum ex ſe eſt non repugnat ei eſſe in infinitis, vt & Porphyrius nouit. Si ergo Deitas ipſa poteſt in pluribus Dijs deſcendere, vt ſpecies quædam, poterit & ex ſe, eſſe in infinitis indiuiduis. Si ergo in ratione Deitatis poſſunt eſſe infiniti Dij, ergo ſunt actu. Quilibet enim Deus, qui poteſt eſſe, poteſt eſſe à ſe; at infiniti poſſunt eſſe; ergo à ſe, Si poſſunt eſſe à ſe; ergo ſunt; niſi enim eſſent actu, neq; à ſe eſſe poſſent. PROVID. Optimè probata eſt antea huiuſmodi conſequentia. SITIC. Hæ tres rationes ſatis euidenter indicant lumen noſtrum naturale eo pertingere poſſe, vt Dei vnitatem agnoſcat; vt hinc mirum non ſit, ſi Homerus quoque id ipſum cognouerit. ANONYM. Quomodo defendi poteſt auctor noſter, cum tot ille Deos aſserat, & Deas? SITIC. Mirari non debemus Ethnicum Philoſophum, vnum ſtatuiſſe verum Deum, quem Patrem Deorum, & hominum vocat, regemque regum; multos autem inſtituiſſe Deos impropriè, quique veluti Dij quidem minores ſint, ab ipſo ſummo Deo aliquando donati vita beata, & immortali. INCLVS. Hæc fuit ipſius quoque Platonis opinio; qui exiſtimauit ſummũ Deum feciſſe minores quoſdam Deos, per quos res infimas regeret, & gubernaret: quoſque ſi vellet, poſſet ad nihilum redigere. PROVID. Vbi nam obſecro id aſſerit Plato? INCLVS. In Timæo, ſic inquiens. Dij Deorum, quorum opifex ego, & Pater ſum, hæc attendite. Quæ à me facta ſunt, me ita volente indiſſolubilia ſunt; omne ſiquidem, quod vinctum eſt, ſolui poteſt. Sed mali eſt, quod pulchrè compoſitum eſt, velle diſſoluere. Quapropter, quia generati eſtis, immortales quidem, & indiſſolubiles omnino non eſtis. Nec tamen vnquã diſſoluemini, nec mortis fatum ſubibitis. Nam voluntas mea, maius, præſtantiuſque vobis eſt vinculum, quam nexus illi, quibus eſtis colligati: SITIC. Hanc profectò fuiſſe cenſeo Homeri ſententiam de Natura Deorũ. INGEN. Si hæc illius opinio fuiſſet, non omnes Deos æternos vocaſſet, αἰὲν ἐόντας; nam vnus tantum eſt æternus, cæteri principium habuiſſent; quare non æterni. Æternum enim principio caret, & fine. SITIC. Me ipſum declarabo melius, & aliqua ex parte corrigiam. Dico ergo Homerum vſum fuiſſe hoc loco vocibus αἰὲν ἐόντας, ſemper exiſtentes, vt pote illis quę tam de vere æternis rebus, principio, & fine carentibus dici poſſunt; quam de illis quæ principium licet habeant, fine tamen carent. Quod ea de cauſſa fortaſſe factum eſt, vt denotaret Telemachum omnes penitus Deos exoraturum, tam qui geniti ſunt à ſummo, quam qui cæteros genuit, & æternus vere eſt, ne ſuperbi illi Proci inulti dimitterentur.

Digitized by Google

ODYSSEÆ

Secundo, verſu clxxvij.

Pauci enim filij ſimiles Patri ſunt
Plerique peiores; Pauci vero Parentibus meliores.

Filios vt plurimum eſſe peiores Patribus; & redditur Ratio. Vnde & illud quæritur an homo naturaliter ſit ad Virtutes, aut ad Vitia procliuior.

COLLOQVIVM VI.

PROVIDVS.

POSTVLAT omnino locus hic, ô Amici, vt cauſſam, rationemque reddere tentemus, ob quam Homerus ſcribere voluerit, filios vt plurimum, eſſe patre peiores. Nam ſi ratione aliqua ductus id fecit, quærenda eſt hæc ratio. Si vero experientia, quærenda etiam ratio. Cum enim ea, quæ vt plurimũ
2. Phyſ. tex. 49. fiunt, euenire naturaliter dicantur, Ariſtotele teſte, hoc ipſum quoque naturaliter fieri videretur. SITIC. Si de re hac loquendum nobis eſt, arbitror illud neceſſe eſſe, vt de probitate, & malitia prius diſtinguamus. INCLVS. Nemini dubium, Homerum hoc loco de probitate, malitiaque filiorum loquentem; intelligere probitatem moralem, quæ in virtutibus moralibus conſiſtit, ſicuti & de illa malitia intelligit, quæ à contrarijs vitijs oritur. Patet hoc ex antecedentibus, & ſubſequentibus verbis. Eſt enim Minerua, quæ loquitur cum Telemacho, laudans eum, quod Patris prudentiam ſit aſſecutus, & Virtutes illius, quibus poſſit opera perficere, quæ aggreditur, ſicut Vlyſſes quoque perficere ſolitus erat, cum tamen pauci filij ſint patribus in his virtutibus æquales, multi vero inferiores. Conſtat autem Virtu-
1. Ethic. 2 tes illas, quæ circa agenda verſantur morales eſſe, vt Ariſtoteles docuit. PROVID. Vnde igitur fiat, vt in his moralibus Virtutibus filij parentibus ſint inferiores, inueſtigandum eſt; Arbitror enim experientiam huic ſententiæ fauere, idque non ſine valida cauſſa contingere. TVTVS. Si virtutes morales natura compararentur, vt nonnulli exiſtimarunt, facile eſſet reſpõdere quæſtioni, iuxta illorum ſententiam, qui arbitrantur mundum, ceu quoddam magnum ſit animal inueteraſcere & in deterius labi, ita vt & mores

Digitized by Google

mores hominum ſemper deteriores, & vitæ tempora breuiora ſemper fiāt. ANONYM. Hæc videtur fuiſſe Sannazari opinio; qui ita cecinit in Arcadia. *Eclog 6.*

O pura fede, ò dolce vſanza vetera
Hor conoſco ben io, che'l mondo inſtabile,
Tanto peggiora più; quanto più inuetera.

Prouidus. Tamen ſicuti opinio de naturæ, & mundi ſeneſcentia, ſimilis eſt fabulæ, ita id quod dicitur virtutes, & vitia natura comparari, iamdudum fuit ab Ariſtotele reprobatum, rationibus efficaciſſimis. ANON. Ne pigeat obſecro, illas recenſere. PROVID. Potiores breuiter referam. Prima, quoniam vnuſquiſque noſtrum, æque aſſuefieri poteſt, virtutibus, atque vitijs: non poſſet autem ſi virtutes, & vitia eſſent à natura. Nihil enim aliter aſſuefieri poteſt, quam ſit à Natura conſtitutum. Non enim lapis, qui natura deorſum fertur aſſueſcet vnquam, vt ſponte ſua ſurſum tendat. Secundo. Quæ nobis à natura tribuuntur, eorū facultates prius accipimus, poſtea vtimur ijs, & exercemus. Quia enim natura videmus, ideo innata nobis eſt videndi facultas. At hoc in moralibus locum non habet; habitus enim moralium virtutum, demum poſt actiones virtuti conſentaneas acquiritur, vt & in artibus euenit. Ex eo enim, quod quis aliquoties ædificauit, factus eſt ædificandi peritus. Tertio id probat exemplo legiſlatorum, quorum ſcopus eſt ciues bonos reddere nulla, enim alia vtūtur via ad id efficiendum, quam aſſuetudine. alliciētes eos ſpe præmij, & cogentes pœnæ formidine vt rectè operentur. Sic enim ex pluribus honeſtis actionibus editis, virtus comparatur, per quam facilis redditur honeſta operatio. Si itaque Virtutes natura non acquiruntur; neque Vitia acquirentur. Eſt enim contrariorum eadem ratio. Non ergo natura fit, vt filij ſint peiores patribus. SITIC. Cum tamen id frequenter eueniat, Homero teſte, eius euentus aliqua debet eſſe cauſſa ſcitu digna. INCLVS. Nullam aliam eſſe puto, niſi quia ardua via eſt, quę ad Virtutem ducit, ſicuti plana eſt, & multiplex Via Vitij. Omnes autem nos naturæ quadam propenſione ardua declinamus, ſequimur facilia. Ratio difficultatis in Virtute adipiſcenda, euidentiſſima eſt, apud Ariſtotelem. Cum enim ſola aſſuetudine Virtus comparetur, ipſa vero in mediocritate perturbationum appetitus conſiſtat, antequam acquiratur, ſæpe cogimur perturbationes noſtras moderari. At hoc ſine dolore quodam non fit. Sæpe enim neceſſe eſt doloribus obuiam ire, nonnunquam voluptates declinare, quod nihilominus dolor eſt quidam. Ratio eſt, quoniam voluptatum blanditijs deliniti ad ea gerenda, quæ praua ſunt impellimur, & dolorum cum admouentur faces, à rectè factis deducimur. Hinc ergo fit, vt quantumuis bono patre genitus quis ſit, uix tamen æquè bonus euadat, ob hanc difficultatem, quæ iter ad Virtutem impedit. Quare nulla alia via citius id fieri poterit, quam ſi Pater (vt Plato dicebat) qui iam probus factus eſt, ſic à teneris annis filium inſtituat, ut bonis rebus lætetur, doleatq; contrarijs. Quod cum in puerili illa ætate nōniſi ſumma cum difficultate præ- *2. Ethic. 1.* *2. Ethic. 3* *2 Ethic. 9*

D 2 ſtetur,

ſtetur, nil mirum ſi & Patres ipſi ſæpenumero in filijs inſtituendis conniueant, ne dolentes filios conſpiciant. TVTVS. Non ſatis mihi hæc doctrina probatur. Si enim Pater ipſe potuit dolores pati in ſe ipſo, vt Virtutes adipiſceretur, quanto magis poterit dolores videre filiorum, quò illos probos redat? INCLVS. Falleris mi Tute. Acerbiores enim nobis videntur dolores filiorum, quam videantur ij, quos nos ipſi patimur. ANON. Hoc euidentiſſimè indicauit vir ille improbus, qui cum multa patraſſet facinora, & in Regis manus incidiſſet, acerbèque torqueretur, nunquam voluit quicquam confiteri, ſed conſtanter ſemper aſſeruit, ſe nihil mali commiſiſſe. Rex iratus, vt veritatem ex illius ore extorqueret, hoc vſus eſt ſtratagemate. Iuſſit illius facinoroſi tenellum filium apprehendi, finxitque ſe, velle ſub oculis patris eundem torquere. Quod conſpiciens pater, dolore illo uictus, quem nōdum filius perpeſſus erat, omnia ſua delicta promptè patefecit. Interrogatus, quamobrem conſtanti animo tot pœnas cum antea ſuſtuliſſet, ita facilè poſt modum uiſo filio in tormentis, omnia facinora protuliſſet: reſpondit hanc obſeruaſſe differentiam inter dolores filij, & proprios; quod hi mortui dolores videbantur ſibi; illi uero uiui; propterea quod filius ille caro erat uiua; membra uero patris mortua reputabat. Quo egregio reſponſo commotus Rex, donauit illi uitam clementiſſimè, addēs iam fuiſſe Iuſtitiæ ſatisfactum: eo quod cum mors ipſa illius delictis deberetur, ipſe iam mortuus eſſet. Quare uides ò Tute, maiores quodammodo nobis uideri filiorum dolores, illis, quos nos ipſi ſuſtinemus. SITIC. Quamplurima ſunt apud Scriptores exempla hoc ipſum confirmantia. Legimus & infeliciſſimum illum Patrem, qui una cum tribus paruis filijs in Turri incluſus eſt ut fame periret; ſæpenumero rogaſſe filios, ut illius carne ueſcerentur, quò diutius uiuerent, cum tamen ipſe quamprimum cuperet mori. Sed quam putatis rei huius cauſſam eſſe, ut magis affligantur Patres à doloribus filiorum, quam à proprijs? ANONYM. Innocentiam illam eximiam, & ſimplicitatem admirabilem, cauſſam eſſe puto. Quia.n. pueruli innocētes ſunt, et ſimpliciſſimi, ideo quicquid mali patiūtur uidētur pati immeritò. At cōſciētia malarū operationū, quas adulti oēs edidere, plures uel pauciores eſt in cauſſa, ut aduerſitates uideantur iure quodā illis accidere. Quare minimè mirum, ſi cū pater ipſe multos dolores alacriter tulerit, ut uirtutes adipiſceretur, ipſe deinde nequeat dolores ferre filiorum. PROVID. Ego hanc doctrinā minimè improbauerim; potiorem tamen cauſſam uideris mihi præterire euentus huius, ut Pater promptè omnia ſuſtineat pro uirtute acquirenda; cum uero filios ſtudet bonos reddere, facilius ſuccumbat labori. INCLVS. Quænam hæc eſt cauſſa prætermiſſa? PROVID. Quoniam facilius dolores ſuſtinentur uoluntarij, quàm ij, qui uiolenter occurrunt. Ecquis eſt ueſtrum, qui non alacriori animo dolorem illum ferat, ſi ſibi ipſi manum præcidat, quam ſi tantum leue vulnus acceperit ab alio? Quæ ab alijs ueniunt nobis mala ægerrimè feruntur; quæ à nobis ipſis faciliimè. Propterea cum quis in animum repoſuit ſuum, certòque decreuit velle virtutes comparare, nullo negotio cuncta ſuſtinebit, ut uotum conſequatur.

Digitized by Google

At cum filium erudire, & bonis ornare moribus ſtudet, animo conſiderat tenellum illum filium ignorare, quam ob cauſſam cogatur mala illa perpeti, & difficultates illas tanto cum dolore ſuperare; dumque hæc conſiderat, cognoſcit, quod puellus ille præ ignorantia cogitur iudicare hæc omnia ſibi iniuſtè, & abſque cauſſa inferri mala; Vnde neceſſe eſt, vt maiora multo ſibi videantur, quam ſi cauſſam ſciret, quæ Patri notiſſima eſt. Cumque Pater filium non minus amet quam ſe ipſum, efficitur, vt reuera idem dolor in filio conſpectus maior Patri videatur, quam ſi ipſe ſibi eundem inferret. INCLVS. Verè dicta eſt hæc cauſſa potior: Quamobrem raro eueniat, vt probus pater ſibi ſimilem in probitate filium generet, & educet. At, vt reliqua proſequar, ſi hoc in probis accidit, multo magis eueniet in illis. qui aliquo vitiorum genere ſunt inquinati: in his enim maiori cum difficultate fit, vt filij non ſint peiores patribus. Ex diuturna enim male operandi aſſuetudine non modo prauus habitus acquiritur male agendi, verum etiam pars illa, ad quam mala actio ſpectat paulatim illud contrahit temperamentum, quod ad ſimiliter agendum inclinat. Exemplo eſt iracundia, ſeu vitium illud, quod in excedente iracundia conſiſtit, quod Orgilia nuncupatur. Dum enim quis iraſcitur ſanguis ei circa cor accenditur. Et ex aſſidua huiuſmodi efferueſcentia, calidior temperies cõtrahitur in corde, qua fit, vt homo celerius, leuiorique iraſcatur de cauſſa, vt Galenus docet. Hinc etiam euenit vt qui tales ſunt natura magis ſint a teneris annis in iram procliues, & maiori cum difficultate virtutem illam conſequantur, quæ iram moderatur. Conſtat ergo, quod vbi quis aſſuetudine longa, Orgiliam contraxit, is ſi filios generet, tales gignet, qui naturaliter ſint in Orgiliam procliues, difficillimeque poſſint ab ira temperari. Oſtenſum enim eſt antea ſemen parentum deferre ſecum partium omnium proprietates, & temperamenta, eaque in filijs imprimere. Quare iracundus homo, corde affectus calido, calidum ſimiliter cor producet in filio, illumque ad iracundiam propenſum gignet. Quod de cæteris quoque vitijs dicendum venit. TVTVS. Non videntur hæc indicare, cur filius peior ſit patre in eodem vitio, ſed tantum illum ſimilem reddi patri. At nos quærimus cauſſam ob quam peior euadat. INCLVS. Hæc ipſa eſt. Cum enim ab vtero matris magnam filius ille propenſionem trahat ad patris vitia, fit vt niſi ab ineunte ætate ita contrarijs actionibus aſſueſcat, vt talem deleat propenſionem, (quod difficile admodum eſt, & ideo rarum) tantum, tamque profundum vitioſum habitum contrahat, vt ita ſuperet patrem in uitijs, quantum pater ipſe exercendo ſe in eiſdem, propriam auxit malitiam naturalem PROVID. Ego quoque hanc laudo doctrinam, ſed vellem à te, vt id oſtenderes adhuc melius, qui fiat, vt filius patre peior euadat. Nam quod dicis difficile eſſe propenſionem ſuperare veriſſimum eſt. Sed non eſt neceſſe, vt ſuperetur omnino, ſed ſufficeret ſi aliqua ex parte compeſcatur, ad hoc vt filius melior, aut minus malus ſit patre. At non videtur adeo difficile hoc eſſe, vel leui accedente patris, & educatorum cura. INCLVS. Sane quid reſpondeam non habeo. PROVID. Vis ne me addere tuæ doctrinæ, hoc ipſum, vt tandem ipſa perfecta reddatur? INCLVS. Rogo te, & obſecro.

Art. Med. c. 29. 43.

Cap. 3.

D 3

obſecro. PROVID. Dico ergo inter alia infortunia, quæ patitur filius malo patre genitus hoc ipſum fortaſſe principem locum tenere, quoniam hominem ille non habet, qui cum turbata fuerit aqua perturbationum naturalium, mittat illum in piſcinam bonæ educationis, & ſanet eum. Quem enim habebit vnquam renuente patre? At Pater vbi vitio aliquo eſt inquinatus, ſibi admodum complacet in filio eiſdem moribus, & propenſionibus affecto. Omne enim ſimile gaudet ſimili, & eius conſpectu lætatur. Solet autem malitia hominum eos excęcare, vt quæ verè praua ſunt, ideo iuſta, & honeſta cenſeantur, quia ob diuturnam aſſuetudinem illis quaſi naturalia ſunt facta. INGENIOS. Venuſte hoc ipſum quod dixiſti modo, o Prouide, indicatum fuit ab egregio illo fabulatore. Qui tale aliquid innuere volens, dixit Aquilam, amicitia contracta cum Bubone, petiſſe ſignum ab eo, quo poſſet eius filios à cæteris dignoſcere. Ne ſi aliquando in ipſos incidiſſet, dum iret venatum, incautè tanti amici progeniem perderet, & occideret, ſed ab eis abſtineret, amicitia inuiolata remanente. Tunc dicitur Bubo reſpondiſſe facillimum Aquilæ fore illos dignoſcere. eſſe enim omnium volucrum pulcherrimos. Quo ſigno dato, atque accepto, factum eſt, vt ij ipſi primi fuerint, quos Aquila deuorauit, inueniens eos deformes admodum, & turpes: ideo Aquila alacriter eos occidit, nihil minus ſuſpicata, quam ne amici filij eſſent, cum omnino à dato ſigno diſtarent. PROVID. Ita prorſus ſe res habet, & in negotio noſtro. Qui vitio aliquo affectus eſt, gaudet filio ſimili affecto vitio, & ex eo argumentum capit verè ſuum eſſe filium: propterea magis diligit, & minus corrigit, ille peior euadit. SITIC. His omnibus quæ dicta ſunt, videtur illud negotium facere quod dicit Ariſtoteles, nonnullos eſſe, qui filios procreent ad mores optimos, præclaraſque virtutes naturaliter aptos: Qui etiam nobiles iccirco appellantur. Eſt enim nobilitas teſte Ariſtotele Virtus generis, ſeu dicas familiæ. Vt enim in agris, & ijs, quæ terra
2. Rhetor. naſcuntur, ſic etiam in familijs plerunque fœtus vberior exiſtit. Et ſi bona familia fuerit, naſcuntur in ea per aliquod tempus eximij viri. Id autem non aliunde euenire putandum, niſi quia temperamenta, proprietates, propenſioneſque parentum deferuntur in filios vna cum ſemine; probique filij, probis patribus generantur, iuxta illud Pœtæ.

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Eſt in iuuencis eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Quare illud ſaltem à vobis non iure dictum eſſe videtur, homines pro-
2. Ethic. bos, vt plurimum minus probos filios generare. PROVID. Recte eſt intelligendus Ariſtoteles mi Siticuloſe. Non enim filij, qui ex nobili familia naſcuntur (ſumo hic nobilitatem pro virtute generis) abſque difficultate virtutes adipiſcantur, id enim conceſſum eſt nemini. Sed ita intelligendum, vt proborum hominum filij, minori cum labore, & difficultate

Virtutes

Virtutes conſequantur,quam faciant illi,qui ex prauis parentibus prodiere. Cum enim omnes à ſenſibus vitam auſpicemur, ſenſus autem omnes voluptatem ſequantur, voluptas autem, vt dixit Plato,ſit eſca vitiorum, *Pic. grad.* propterea fit,vt vnicuique noſtrum plus minus ve laborioſa, ſit Virtutum *pr. ca. 34.* acquiſitio. Voluptas enim quæ à teneris vnguiculis nobiſcum orta eſt, & educata fallax quidam eſt conſiliarius, qui intrinſecus nunquam ceſſat cupidinem,effœminatamque partem tentare,vt illam vitio ſubijciat,ab imperioque rationis ſubducat.Hinc ergo euenit,vt & illi,qui optimis parentibus nati ſunt, vt plurimũ tamen aliqua ratione degenerent,eo quod huic voluptati obſiſtere omnino non poſſint, cum ſit omnium perturbationum vehementiſſima, & indomita valde, vt docuit Ariſtoteles. INGEN. Si *2. Ethic.* vera ſunt hæc, dicendum ergo videretur Hominem ex ſui natura ad Vitia *3.* potius, quam ad Virtutes eſſe procliuem, quod tamen admittendum minimè videtur: ad Virtutes enim videtur eſſe procliuior. Cum enim ad imaginem Dei factus ſit, abſurdum profecto eſſet aſſerere hominem natu- *Picc. grad.* ra in malum ferri, à bono vero recedere; ita vt imaginem illam delere velle *3. cap. 6.* videatur. Præterea Natura vnumquodque in congruentem finem dirigit, At finis hominis attingitur mediantibus virtutibus, ſiue de humana fœlicitate loquamur,ſiue de ſuper naturali.Tertiò ſicuti homo ſe habet ad ſpeculatiuas ſcientias,ita & ad morales Virtutes. At vnuſquiſq; Natura ſcire deſiderat. Amplius non modo res naturales, verum & omnis ars,omniſ- *1. met. 1.* que electio bonum appetit,vt Ariſtoteles accipit in principio Nicomachiorum; at homo non natura tantum viuit, ſed inſuper arte,& electione. Appetet ergo bonum. At Vitia bona non ſunt, ſed Virtutes bonæ ſunt. TVTVS. Deſumpta ſunt hæc omnia ex Morali Philoſophia Franciſci Piccolominei, eo in loco, vbi hanc ipſam quæſtionem tractat ſit ne homo ad Virtutes, an ad Vitia procliuior. Quare & ſolutionem ab eodem traditam non deberes ignorare. SITIC. Equidem non negauerim me ex eo libro hęc deprompſiſſe argumenta;ſicuti etiam ſcio,qua ratione hæc quęſtio ſoluatur ibidem: Dicam tamen liberè non illam mihi omnino ſatisfacere. PROVID. Mihi vero placet omnino ſolutio illa,omnemque difficultatem adimit. SITIC. Tu fortaſſe poteris mihi quoque omnem ex animo ſcrupulum auellere. Vis ergo illam aliquantiſper conſideremus? PROVID. Vt lubet. SITIC. Supponit primum omnem naturæ gradum in proprium bonum ferri. Videmus enim leuia ſurſum aſcendere, grauia deorſum deſcendere. Supponit ſecundò in homine plures gradus naturæ reperiri,duos tamen præcipuè:nempe ſenſum, per quem ſimilis eſt brutis,& rationem per quam intelligentijs ſeparatis aſſimilatur. Vterque igitur gradus ex ſuppoſito proprium bonum appetit. Senſus bonum ſenſus, ratio bonum rationis. Tertio ſupponit, quod cum quæritur an homo ſit procliuior ad Virtutem,aut ad vitium, per hominem intelligere oporteat totum compoſitum,ex ambobus gradibus,ita vt homo vtroque gradu operetur. Patet hoc ex Ariſtotele dicente operationes omnes eſſe compo- *3. de ani-* ſitorum. Tandem Supponit, quod cum vterque gradus hominis in pro- *ma te 65.* *p. me t. 20*

prium bonum feratur, ſenſus quidem in voluptatem, ratio in bonum rationis, quia tamen ſenſus brutis quoque eſt communis, ideo voluptas non dicitur proprium hominis bonum. At quia ratio non modo homini ſoli inter ſublunaria conuenit, verum etiam nobilior eſt ſenſu, ideo dicimus proprium hominis bonum illud eſſe, quod appetit ratio. PROVID. Quid tibi videtur de his ſuppoſitionibus, & fundamentis? Anne aliquid culpas? SITIC. Nihil in his culpo, ſed in modo ſoluendi quæſtionem. Soluens enim Piccolomineus inquit, primo, hominem ſecundum gradum ſibi proprium, nempe rationem nullo modo in vitia eſſe procliuem, ſed ad Virtutes tantum, honeſtaſque actiones, vt conſtat ex quarto fundamento. Atque in hoc ſenſu inquit quatuor illas rationes, quas ego attuli veras eſſe, nullamque difficultatem pati. At ſi etiam de homine pro toto compoſito loquamur, inquit in hoc etiam ſenſu ſemper bonum appetere, nunquam vitium. Nam & quando voluptatem appetit, bonum appetit, nempe bonum ſenſus, ipſe vero & ſenſum continet. Demum addit homines per Naturam maximè propenſos eſſe ad bonum ſenſuum, eo quod prius incipimus viuere vitam ſenſuum. Cumque ſenſus, & voluptas nos auertant a bono mentis, & alliciant ad vitia, ideo inquit per accidens euenire, vt homo ad vitia ſit procliuis. Inquit autem ideo eſſe per accidens, quia in homine duo illi gradus coniunguntur, Ratio, & Senſus. PROVID. Non video, quid in hac doctrina ſit reprehenſione dignum. SITIC. Illud mihi reprehendendum videtur, quod ait, hominem voluptatem appetentem, per ſe appetere bonum, quia bonum ſenſus, ipſe vero ſenſum continet. Et deinde addit per accidens eſſe ad vitia procliuem. Non enim hęc duo videntur poſſe admitti ſimul. Quod etiam inquit cōiunctionem, & coalitum duorum graduum in homine cauſſam eſſe, cur per accidens dicatur in vitium homo ferri, mihi non probatur. Vtrunq; aūt oſtendo ratione. Quatenus ad primum attinet, ſi homo per ſe voluptatē appetit, & in illam fertur, ergo & per ſe appetet omne illud, quod per ſe voluptatē conſequitur. Tale aūt eſt Vitium, vt tu quoque antea confeſſus es, inquiens Voluptatem eſſe vitiorum eſcam, conſiliariumque fallacem. De ſecundo patet error. Si enim ideo homo per accidens in Vitium fertur, quia ex duobus gradibus componitūr, ratione, & ſenſu; ergo & per accidens Virtutem appetet, aut conſequetur moralem. Non enim hanc appetere poteſt aut conſequi niſi quia ex duobus gradibus componitur; cum ipſa omnium conſenſu, non in gradu rationis ſed in appetitu ſenſitiuo conſiſtat. Pręterea ſi verū eſſet Piccolominei dictū, videretur ſequi gradū rōnis, et ſenſus per accidēs cōiungi ſimul in homine. At hoc eſt abſurdū, eſſet enim homo ens quoddā per accidens, & aggregatū; non autē vnum per ſe. PROVID. Profectò non ſpernēda ſunt hęc argumenta; ſed neq; ſunt ēt tanti momēti, vt Piccolomineam doctrinā infringere vllo mō poſſint. Vt autē in reſpondendo a te ſeruatum ordinē teneam, breuiter ad primum dico, voluptatem ſenſus per ſe bonū eſſe; per accidēs aūt cauſſam eſſe vitiorū. Quare falſum eſt illud quod aſſumpſiſti vitium: ſ. per ſe voluptatem conſequi: Hoc autem vt intelligas

 animaduertas

Digitized by Google

animaduertas voluptatem dupliciter conſiderari poſſe: vno modo quatenus voluptas eſt ſenſum perficiens, atque quietans. Altero autem modo, quatenus ob ſui vehementiam rationem retrahit, & abducit à rectis operationibus. Primò modo voluptas conſideratur per ſe, & in eo ſenſu conſtat illam non includere vitium. Non enim voluptate affici per ſe vitiū eſt, ſed perfectio magis. Alioquin cum & bruta ipſa voluptate fruantur, dicēdum eſſet ipſa quoque capacia eſſe vitiorum; quod eſt abſurdum. At ſecūdo modo conſiderata voluptas cauſſa eſt vitiorum, idque per accidens, & ab extrinſeco competit ei, non ab intrinſeco, & quatenus voluptas eſt. Si enim intrinſecum voluptati eſſet, eique per ſe conueniret retrahere rationem a rebus honeſtis, in brutis quoque id fieret, quod eſt falſum. Eſt ergo per accidens, quod voluptas in homine rationem auertat à bono: quoniam ſcilicet in eo gradus ſenſuum eſt rationi coniunctus; quæ coniunctio accidentalis eſt, ratione vtriuſque gradus: neuter enim ex neceſſitate alterius ſocietatem requirit: vt patet in brutis, & in ſeparatis intelligentijs. Neque propterea ſequitur hominem per accidens etiam virtutem appetere, aut conſequi. Non enim id fit, niſi cum vterque gradus conueniunt in vnum, ſenſu ſcilicet omnino rationi obtemperante, eiuſque imperium ſeruante, at dum in vitium fertur, tunc vtitur gradu ſenſitiuo, tanquam illo, qui non modo à rationali diſtinguitur, ſed illi etiam aduerſatur: qua in re ſummoperè relucet accidentalitas coniunctionis. Quod autem vltimo loco dicebas, ſi duo illi gradus per accidens coniungerentur in homine, homo eſſet quid per accidens, nullius eſt momenti. Homo enim per ſe vtrunque continet, non tamen alteruter eorum graduum prǽcisè ſumptus, per ſe eſt in homine. Homo per ſe eſt animal rationale; non tamen animal per ſe eſt rationale. ANON. Quid ad hoc reſpondebis ò Prouide, quod cum voluptas ſenſuum à teneris nos annis inuadat, diutiuſque occupet, antequam in nobis vllus inueniatur rationis vſus, euidenter videtur concludi, nos per ſe in uitia ferri; cum eſca illa vitiorum per multum tempus in nos dominetur, omni deſtitutos rationis auxilio? PROVID. Id quoque fit per accidens. Hoc enim contingit homini, propter ſui imperfectionem, per quam efficitur ne homo ratione ſibi propria vtatur ad compeſcenda irritamenta uitiorum, niſi longo prius tranſacto tempore. Vnde non quatenus homo eſt, neque quatenus ex vtroque gradu conſtitutus id patitur, ſed ſolum quatenus imperfectionem includit. Vnde ſi æquè cito poſſet & ſenſibus uti, & ratione ſimul, proculdubio non adeo eſſet in vitia procliuis. Eſt ergo illud quoque homini accidentale, quod homo prius irritetur ad vitia; quam ad virtutes alliciatur. SITIC. Magnam videris humanæ naturæ imperfectionem adſcribere, dum ſtatuis hominem adeo imperfectum naſci; Ego potius aſſererem hanc hominis imbecillitatem cum in omnibus reperiatur, per ſe à natura intendi, non autem per accidens contingere. INCLVSVS. Hic deberes meminiſſe, illius, quod D. Auguſtinus ſcribit, corruptionem corporis, quæ grauat animam, non peccati primi eſſe cauſſam, ſed pœnā: nec caro corruptibilis animam peccatricem, ſed anima peccans fecit carnem corruptibilem eſſe, ex qua carnis corruptione conſurgunt irritamenta 14. de ciu. Dei ca. 3.

vitio-

vitiorum, & deſideria praua. Quare & peccati pœnam ſimiliter dicere poſſumus fuiſſe, quod homo tam imperfectè generetur, vt prius vitam ſen ſuum viuat, quam rationis. PROVID. O pulcherrimam doctrinam. Concludamus ergo cum Piccolomineo meo, hominem per ſe quidem ſemper in bonum ferri; ſecundum rationem quidem in virtutem, non in vitium; ſecundum ſenſum autem in voluptatem per ſe; non autem in vitium per ſe. Quemadmodum autem voluptas per accidens eſt radix vitiorum, ita etiam dicamus hominem ſecundum ſenſum ferri per accidens in vitium. Per accidẽs etiam aſſerimus euenire, vt homo prius vitam viuat ſenſuum, quam rationis; quia id fuit pœna peccati, vt dictum modo eſt. Quamuis & ſi per ſe id fieret, non tamen per ſe ferretur in vitium, ſed per accidens. Quare & hæc Homerica ſententia, quod filij ſcilicet ſint peiores parentibus, non ita eſt intelligenda, vt neceſſitatem vllam habeat, neque quod hominis natura ita ferat, & per ſe appetat; ſed ita eſt intelligenda, vt ſæpenumero ita contingat, & vt plurimum, licet illud ſit per accidens. Quod & ex rationibus ipſis, quas in illius confirmationem adduximus ſatis poteſt reddi manifeſtum. Nam quod & Patri vitioſo, vitioſus filius placeat, partim per ſe fit, partim per accidens. Per ſe quidem eſt, quatenus ſimilis eſt filius patri. omne enim ſimile gaudet naturaliter ſimili. Per accidens autem eſt, quod huiuſmodi ſimilitudo ſit in vitio repoſita, aut quod vitium filij placeat Patri. Nam neque Patris ipſius vitium eidem per ſe placet quatenus vitium eſt; ſed quia in eo voluptas quædam reperitur. At quod ea ipſa voluptas vitium ſit quoddam non per ſe illi competit, ſed per accidens. Atque ita, & de cæteris rationibus venit intelligendum, vt vnicuique illas conſideranti fieri poteſt manifeſtum.

Digitized by Google

ODYSSEÆ

Primo, verſu cxcj.

--- Et farinam medullam hominum.
--- καὶ ἄλφιτα μυελὸν ἀνδρῶν

Quid propriè ſit Alphiton. Et quamobrem ab Homero medulla hominum dicatur.

COLLOQVIVM VII.

TVTVS.

QVOD hoc loco interpretes vertunt farinam, Græcè eſt ἄλφιτον, ſeu ἄλφιτα in plurali numero. Quæ quidem dictio a vetuſtiſſimo Scholiaſte, & explanatore Didymo vertitur ἄλευρα, Aleura. Vnde conſtat illum idem facere τὰ ἄλφιτα, καὶ τὰ ἄλευρα. Quod tamen pauci recipere videntur. Plato enim τὸ ἄλφιτον inquit eſſe hordeace farinam, τὸ δὲ ἄλευρον triticeam, ſic ſcribens in 2. de Republi. ἐκ μὲν τῶν κριτῶν ἄλφιτα σκευαζόμενοι ἐκ δὲ τῶν πυρῶν ἄλευρα. Ex hordeo quidem alphita, parantes, ex tritico uero aleura. Hinc & πολυάλφιτος κριθὴ apud Theophraſtum, hordeum multam farinam reddens. Scribit vero & Marcellus in Dioſcoridem Medicos peculiariter alphita accipere pro farina hordeacea, aqua, humore ue alio macerata, quæ Polenta eſt, quod & Plinius feciſſe videtur, dicens. 18. *Nat. Hiſt. c. 7.* Antiquiſſimum in cibis hordeum, ſicut Athenienſium ritu Menãdro Autore apparet, & gladiatorum cognomine, qui hordearij vocabantur. Polentam quoque Greci non aliunde præferunt. Statim autem per totum illud caput modum docet, quo illa parabatur. Et in libro 22. multa quoque ſcribit in eandem ſententiam. Conſtat autem illum per polentam intelligere id, quod Græci ἄλφιτον vocant: nam in interpretatidis illis Dioſcoridis verbis, de paluſtri ente ita loqu tur. πᾶσαις φλεγμοναῖς καὶ ἐρυσιπέλασι, καὶ ποδάγραις ἁρμόζει καταπλασσόμενος καθ' ἑαυτόν. καὶ συν ἀλφίτῳ, ita hæc reddit. Propter quod collectionibus illinitur, & maximè podagris, & per ſe, & cum polenta. Budæus annotat ex Etymologiſte, & Dioſcoride ἄλφιτον eſſe pultem ex farina hordeacea, prius toſto hordeo, quod & Heſychium exiſtimo voluiſſe. Imò & Plinius citatis locis idem ſenſiſſe videtur. Quin & Galenus in primo de alimentorum facultatibus idem aſſeruit inquiens ex recenti hordeo, mediocriter frixo laudatiſſimam fieri polentam. Ex his

omnibus

omnibus conſtat τὸ ἄλφιτον nihil aliud eſſe, quam hordeaceam farinam, vel polentam ex hordeacea farina confectam. Tamen Galenus in libro illo, quem explanationem obſoletarum linguarum Hippocratis nuncupauit aliter videtur vocem ἄλφιτον interpretari. Inquit enim. Ἄλφιτα. Non ſolũ ex hordeis farinæ ſic vocantur. Nam in primo de morbis mulierum ἄλφιτα πυρινὰ, hoc eſt farinæ triticeæ dictum eſt; In ſecundo autem de morbis & lentium, & eruorum ſiccatorum πεφρυγμένων) ideſt torrefactorum. Omnis igitur moliti grani mediocri magnitudine fragmẽtum ἄλφιτα appellant; nam maiora fragmenta κρήμνα, hoc eſt craſſiores farinæ; minora autem ἄλευρα hoc eſt tenuiores farinæ nominantur. Quæ expoſitio multum accedere videtur ad illam Didymi veteris expoſitoris Homeri; qui dictionem ἄλφιτα, exponit per ἄλευρα. conſtat autem ἄλευρον de qualibet farina intelligi. ANONYM. Quam tandem, bone Deus, dicemus meliorem eſſe huius vocis acceptionem? Non enim video, quorſum tot interpretationes attuleris. TVTVS. Vt videremus quam ob cauſſam Homerus epitheto medullæ hominum voluerit Alphiton honeſtare. non enim id ſciri ullo modo poteſt, niſi prius innoteſcat, quid ille per alphiton intellexerit. ANON. Quid ergo illum putas intellexiſſe? TVTVS. Id ipſum quod & Galenus docuit; nempe farinam quamlibet mediocris conſiſtentiæ, non autem hordeaceam, vt primi auctores exiſtimabant. Non enim hordeaceæ farinæ Homericum epithetum conuenire vllo modo poteſt: Saltem illud eſt euidentiſſimum, epithetum illud conuenire magis τῷ ἀλφίτῳ prout omnis farinæ mediocria fragmenta ſignificat, etiam tritici; quam ſi pro ſola hordei farina, aut hordeacea polenta acciperentur. Non enim alia de cauſſa Homerus vocat farinam medullam hominum, niſi quia (vt inquit Didymus) ἄλφιτα, μυελόποια, θρέπτικα, farinæ ſunt medullificæ, & bene nutrientes, & ut alter inquit, quoniam vires corpori addunt. Ad hordeacea farina, vel quæ ex illa conficitur polenta, & panis parum omnino nutrit, ita vt
1. de ali. fac. cap. 11 minime dici poſſit hominum medulla. PROVID. Galenus ipſe ſubſcribit, inquiens Romanos milites non amplius vti voluiſſe hordeacea polenta, illius imbecillitatem damnantes. Exiguum enim alimentum corpori dat, priuatis quidem, & omni exercitatione carentibus ſatis multum, ijs autem, qui quoquomodo exercentur minus, quam ſat eſt. Scribit etiam eodem loco Galenus hordeaceos panes exiguum corpori præbere alimentum, minuſque multo alere triticeis, etiam illos, qui ex præſtantiſſimo hordeo cõficiuntur: ſtrictiſſimè vero per aluum ſubduci, quod ſimi-
7. Simpl. med. cap. de hordeo. liter magnam vim habet ad nutritionem imminuendam. Immo alibi ſcribit hordeum minus alere faba. TVTVS. Credendum ergo eſt Homerum vetuſtiſſimum ſcriptorem in eodem ſenſu intellexiſſe τὸ ἄλφιτον, quo & Hippocrates, & Galenus intellexerunt; nempe pro qualibet mediocri
Gal. 1. de alim. fac. cap 2. farina, præcipuè vero tritici: cum hoc ipſum ſemen & apud Græcos omnes, tum barbarorum plurimos, & frequentiſſimè, & ſumma cum utilitate vſurpetur. Vt hinc credendum ſit farinam illam, quam Pallas præcepit Telemacho vt aſſumeret, ſibi pro alimento ad iter peragendum, non

Digitized by Google

aliam fuiſſe, quam triticeam. Hæc enim rectè uocari poteſt medulla ho-
minum, eo quod maximè omnium vires corpori addat, vt ὁ μυελὸς τοῖς
ὀστοῖς. Hoc autem patet ex illius temperie, adamuſſim enim mediam
temperiem ſortita eſt, vt Galenus ait, atque propterea multum illa, opti-
mumque alimentum præbet. INCLVS. Plinius etiam ſcribit corpus
valde augeri ex pulte ſimplici, quæ ex farina tritici ſæpius craſſiore, ra- *3. Simpl. 11.*
rius tenuiore, & ſale, & aqua paratur. INGEN. Simili ferè cibo Hel-
uetios olim vſos fuiſſe ex Cæſaris commentarijs videtur colligi poſſe. *Lib. 22. cap 25.*
Scribit enim eos finitimis Gallis bellum illaturos, trium menſium moli-
ta cibaria ſibi quenque domo efferre, iuſſiſſe. PROVID. Forte id non *1. De bell. Gall.*
ignorabat triticeam farinam parui ponderis, & molis exiſtentem, multi
eſſe alimenti, & roboris. TVTVS. His quæ hactenus dicta ſunt adſti-
pulatur & antiquorum ſcriptorum loquendi modus; Nam per ἄλφιτα
omnia ad victum neceſſaria intelligebant: vt Ariſtophanes in nubibus,
aliquando & ſubſtantiam paternam, vt ex eodem patet. Vt ex hoc colli-
gi poſſit alphiton non ſolam hordei farinam ſignificare, ſed omnem peni-
tus, præcipue vero illam, quæ magis eſt in vſu; & cuius proprium eſt val-
de nutrire. ANONYM. In ſolens appellatio videtur hæc eſſe, qua
Homerus huiuſmodi threpticam farinam honeſtat, inquiens eſſe medul-
lam hominum. TVTVS. Proprijſſima tamen eſt. Medulla enim, vt
Galenus ait, eſt illa ſubſtantia, quæ in oſſium cauitatibus continetur, pin- *Finit. med.*
guis, ac ſenſu vagans, eſtque oſſium proprium nutrimentum, vt Galenus
docet vndecimo de vſu partium. Cum autem oſſa ſint veluti columnæ
corporis, & ſuſtentacula illius non poterat certè accomodatiori epitheto *Cap 18.*
Homerus indicare, quod farina illa valde nutriret, quam dicendo illam
eſſe medullam hominum. SITIC. Poſſet hic aliquis quærere, quam-
obrem ſolam farinam, vel quæ ex farina conficiuntur tali appellatione
donauerit, non carnes, aut aliud eduliorum genus. TVTVS. Ea forte
de cauſſa factum eſt, quoniam ipſa farina plus cæteris alimentis nutriat,
ſi rectè concoquatur. Forte etiam quia ipſi medullæ, quæ in oſſium con-
cauitatibus continetur ſit apprimè ſimilis, & familiaris, atque propterea
facilè in eius naturam tranſeat. PROVID. Hęc ratio mihi magis pla-
cet priori. Eſt enim valde conſentanea cuidam doctrinæ, quam aliquan-
do ex Doctiſſimo Aquapendente percepi Patauij dum anatomen exerce-
ret. Diſſecabat tunc temporis teſtes, multaque de ſemine diſſerebat,
quando inter alia illud quoque aſſeruit facillimum eſſe vnicuique obſer-
uare, triticeam farinam aqua ſimplici diſſolutam, ſemen ipſum colore,
ſubſtantia, & odore referre. Hoc enim ſi verum eſt, ſtatim intelligitur
non minus eandem farinam ſimilem eſſe ipſi medullæ oſſium; cum ſemen
ipſum & medulla ſint admodum inter ſe ſimilia. Propterea enim mem-
bra, quæ ſolida ſunt ſeminalia vocantur, quia generantur ex ſemine, &
nutriuntur. Ex ijſdem enim nutriuntur omnia, ex quibus conſtant. IN-
CLVSVS. Hæc fortaſſe ratio eſt, propterquam Plato in Timæo, ex re-
dundantia medullæ, quam ille ſemen appellat libidinoſum hominem fie-
ri cen-

ti cenſuit. TVTVS. Inuentum ergo hactenus eſt Pultem ex triticea farina,& aqua ſimplici, medullæ eſſe ſimillimam, & familiarem. Ex hoc autem colligitur facile illam in medullæ ſubſtantiam conuerti; ſimilium enim facilis eſt tranſmutatio. Vnde & hinc colligitur ratio illius, quod dicebatur à Plinio, ſcilicet Pulte ſimplici, quæ farina triticea,aqua,& ſale paratur,augeri corpus. Procul enim dubio augeri corpus non poteſt, non auctis oſſibus,oſſa vero non aliter poſſunt augeri cito,niſi multo, optimoque illis addito alimento,quod eſt medulla. Vnde ſi eiuſmodi Pulte compertum eſt cito corpus augeri,colligitur neceſſario illam facile in medullam oſſium abire. Ergo farina illa ex qua conficitur iure optimo medulla hominum vocabitur. INCLVS. Vtilius euaſit hoc colloquium quamprima facie exiſtimaueram.

ODYSSEÆ

Tertio, verſu lv.

Audi Neptune terram continens.

Terram & aquam vnum tantummodo globum conficere in vniuerſo. Terramque non quidem ab aqua contineri, ſed potius aquam à terra. Et quamobrem Neptunus ab Homero dicatur γαιήοχος ideſt terram continens.

COLLOQVIVM VIII.

ANONYMVS.

NEPTVNVM Deum eſſe maris fabulati ſunt Poetæ. Vnde in xv. Iliados videtur ipſe ſuccenſere Ioui, ſibi imperanti vt à bello abſtineret, veniretque ad concilium Deorum: gloriaturque ſe æquali honore dignum eſſe, ac Iupiter ipſe. Tres enim fuiſſe fratres, Saturni filios, quos peperit Rhea, Iouem, Plutonem, & ipſum Neptunum: diuiſiſſeque ſibi regna, ita vt vnuſquiſque ſuum ſortitus ſit: Neptunus quidem mare; Pluto caliginem obſcuram mortuis imperando; Iuppiter autem Cœlum. Terram autem profitebatur Neptunus communem eſſe, & indiuiſam, & ideo dicebat ſe non curare Iouis præcepta, cum nihil ille iuris habere videatur in mari, ſed ipſum quoque conueniat in ſua manere portione. Hæ ſunt Neptuni quærelæ aduerſus Iouem, vnde conſtat illum ſolo aquarum Imperio contentum eſſe. Quod cum ita ſe habeat, dignum eſt conſideratione quamobrem ferè ſemper Homerus illum vocat γαιήοχον, terram continentem. TVTVS. Non ea de cauſſa factum eſſe exiſtimo, quod ſimili epitheto voluerit Homerus indicare Neptunum Imperio præeſſe terrarũ, ſed quia forte exiſtimabat ipſum Neptuni regnum, nempe mare, terram ſuo ambitu continere. Immo Neptunus etiam Latio ſermone, ſicuti ποσειδᾶν Graio uocatus eſt, à nubendo, hoc eſt regendo, quod vt Cœlum nubes, ita mare terram tegat, vt Varroni placet. PROVID. Neque inter Philoſophos defuere, qui aquæ elementum cooperire dixerunt terram vniuerſam, aut ſaltem maximam eius portionem; ita vt aqua ſicuti ab aere circundatur, ita ipſa quoque terram ambiat. Sic Auicennas aſſerit inquiẽs. *In prima primi.* Aqua eſt corpus ſimplex, cuius naturalis ſedes eſt, vt terram ambiat, & ab aere ambiatur, ſi in ſuo naturali poſitu manſerit. Atque hoc quidem illi con-

conuenit propter illius grauitatem reſpectiuam. INCLVS. Hæc ſententia ſi vera vndequaque eſſet, iure profecto diceretur mare terram continere, terra enim omni ex parte cooperiretur aquis. At experientia conſtat non vniuerſam terram ab aqua circundari, ſed magnam eius partem aquæ ſupereminere; vnde falſa prorſus cenſenda eſt Auicennæ doctrina. PROVID. Io. Baptiſtâ Montanus Veronenſis tueri nititur Auicennam dicens aquam naturaliter quidem ambire vniuerſam terram. Quod autem terra in multis partibus ſupereemineat, id fieri ait per accidens: quia .ſ. aqua in partibus habitabilibus terræ exiccata eſt, a radijs ſolaribus valide in locis illis agentibus. Hinc euenire dicit, vt terra bene habitetur ſub vtroq; tropico, & ex vtraque parte æquatoris, eo quod in his locis exiccentur aquæ ob magnam uim aſtrorum, & Solis illud ſpatium peragrantis. At circa vtrunque polum, quia Sol illa loca nunquam occupat, nulla etiam ibi fit aquarum exiccatio, ſed occupant infinita maiora. ANONYM. Quid de Auicennæ ſententia dicendum ſit, infra fortaſſe aperiam, ſi occaſio feret; non enim reijcienda illa eſt, meo quidem iudicio; Montanus tamen fallitur in ratione reddenda cur terra ſupereemineat aquis. Non enim recte dicitur ob exiccationem aquarum terram apparere. PROVID. Cur non? ANON. Dic mihi, ſi nulla eſſet exiccatio, nonne perfectus aquæ globus circularis fieret circa terram vniuerſam ex Montani ſententia? PROVID. Maxime. ANON. Ergo ſi ille globus aquarum in quibuſdam partibus exiccatur, in quibuſdam non, neceſſe erit eundem globum in exiccationis loco ſphæricam figuram amittere, & deprimi. Nonne? PROVID. Procul dubio. ANON. Petierim ergo cauſſam, cur aquæ relictæ circa polos, ibique in cumulum eleuatæ, ſic remaneant immotæ, non autem ad areſacta loca deſcendant, iterumque terram operiant vniuerſam, licet minori reddita earum ſphera. Nemini enim dubium, quod ſuperficies aquarum non ſiccatarum ſecundum Montanum eleuatior eſt ſuperficiei terræ. Cur ergo non illæ deſcendunt, & ambiunt terram? PROVID. Dicet Montanus aerem implere locum illum exiccationis, deſcenſumque impedire. ANON. At vel cæcus ipſe, huius reſponſionis videret abſurditatem. Quis enim neſcit aerem tantæ non eſſe reſiſtentiæ ut impedire poſſit deſcenſum aquarum? Aliter ergo defendendus erit Auicenna. Nunc proſequamur ulterius inquirentes, quare Neptunus γαιήοχος dicatur. SITIC. Si vera eſſet opinio illorum, qui ſtatuunt elementum aquæ eſſe decuplo maius terra, facillimum eſſet illius epitheti rationem oſtendere. Ideo enim Neptunus diceretur terram continere, quia aqua ipſa decies contineat terram, & niſi ab aliqua cauſſa impediretur, poſſet vniuerſam terram obruere. TVTVS. Videtur huic ſententiæ Ariſtoteles ſubſcribere, in ſecundo de generatio-
Tex. 37. ne, inquiens, quam proportionem habet pars unius elementi, ad partem alterius, quæ ex ea gignitur, eandem obtinere totum elementum ad totum. Quare cum ex pugillo terræ decem fiant pugilli aquæ, videtur concludi, & aquam totam decuplo maiorem eſſe vniuerſa terra. ANON. Scio tamẽ neminem ueſtrum huic adhærere opinioni adeo fatuæ, & iam diu exploſæ, propterea ſuperuacaneum arbitror in ea confutanda diutius immorari.

TV-

Digitized by Google

TVTVS. Teſtis eſt Prouidus noſter, qui & ipſe adfuit, cum quidam auſus eſt pronunciare, ſe adeo huic opinioni adhærere, vt neminem eſſe cenſeat, qui contrarium vel leui argumento poſſit oſtendere. PROVID. Memini. Sed linquamus hoc nebulonum genus, qui nil aliud ſere dici poſſunt, niſi quod aliquando imaginati ſunt; atque eo deueniunt arrogantiæ, vt neminem ſcire quicquam arbitrentur; ipſi vero ſe ipſos ſupra alios ore proprio extollant tanquam eos, qui ſoli arcana penetrent. Si vero in aliquem incidant, qui non verbis hominum, ſed demonſtrationibus tantum, aut ſaltem rationibus validis credat, ipſi ſe detegunt omnis Logicæ, omnis Philoſophiæ ignaros. Sed quid dico ignaros? Hoſtes videntur acerrimi non bonarum litterarum modo, verum etiam omnis honeſti moris, rectæque educationis. INCLVS. In memoriam reuocaſti mihi, ò Prouide, inſulſiſſimumque illum virum, qui cum ſe eximium Philoſophum, celebremque Theologum iactaret, Mathematicum, Ethicum, omniſque ſcientiæ profeſſorem, ad omnes ita affectus erat, velut aſinus ad lyram. Cumque ad componendos hominum mores huc acceſſiſſet, auſus eſt me reprehendere, quoniam ad Academica hæc exercitia me conferrem. INGEN. Intellexi tandem, quænam illum mouerit cauſſa, ut infame hoc officium peregerit. Inuidi illi κακοὶ, qui neminem virtuti deditum uidere poſſunt, intelligentes hunc hominem maluatico vino delectari, ſingulis diebus amphora eodem vino, & prætioſiſſimo plena illum donabant: Atque hac ratione traxerunt illum ad indigniſſima quæque committenda. Sed vereor ne ora noſtra feteant, parietes hi, & marmora, dum de huiuſmodi aſinis loquimur. Tu Anonyme Doctiſſimè, quanquam abſurdiſſimam enarratam antea ſententiam aſſeras, ne graueris obſecro, ea qua volueris breuitate, illius mihi abſurditatem patefacere. ANONYM. Equidem ſi aquæ quantitas decuplo eſſet maior ipſa terra, homocentricus non eſſet aquæ globus cum terrarum orbe. INCLVS. Hoc eſt euidentiſſimum. Alioquin mundus totus, obrueretur aquis. ANONYM. Si ergo aqua tantum ſuperat terram quantitate, nec illam operit vniuerſam, neceſſe eſt, vt aquarum magna illa quantitas ſit terræ eccentrica, alicubique in cumulum eleuata; Terra enim, cum ſit grauiſſima, infimum locum occupabit, mundi totius centrum. Nonne? INCLVS. Profectò. ANONYM. Quid ergo aquam continet, ne deorſum defluat, terramque obruat vniuerſam? TVTVS. Id forte fit miraculo. ANONYM. Abſurdum eſt vbi nulla neceſſitas cogat, confugere ad miracula. INCLVS. Dicere poſſem diuerſa eſſe centra terrarum orbis, & aquei globi. Atque naturaliter, & abſque mirando fieri, vt terra ad proprium centrum tendat, aqua ſimiliter ad ſuum: & propterea non defluere. ANONYM. Non deſunt qui ita ſentiant. Tamen abſurdiſſima hæc quoque eſt opinio. Experientia enim ipſa euidentiſſimè demonſtrat non duo eſſe centra, neque duos eſſe globos terræ, & aquæ, ſed vnum tantum. In quacunque enim orbis parte aqua, vel terra demittantur, ſemper per eandem li-

Clauius Cap. 1. Sphæ. Sac. Boſc.

neam aeris deſcendent deorſum. Quod euidentiſſimum ſignum eſt iſtas ad idem ſemper centrum tendere. Si enim diuerſa haberent loca, & centra, reperiretur aliqua mundi pars, in qua videremus aquam dimiſſam ſibi aliò tendere, quàm terra faceret. Quod tamen nullubi terrarum animaduertitur. Secundo idem patet ex deliquijs Lunæ. Conſtat enim Lunam ideo deficere, quia opacum corpus in medio vniuerſi exiſtens, interponitur inter illam, & Solem, & vmbram efficit in illa. At qualis eſt figura opaci corporis impedientis lumen, talis eſt vmbra, quæ cauſſatur, vt vnicuique patet. In quocunque autem cœli loco Luna deficiat, ſemper vmbra, quæ in illa apparet rotunda eſt. Neceſſe ergo eſt, vt corpus in medio exiſtens rotundum exiſtat. At hoc non eſſet, ſi aqua, & terra diuerſos globos ſe interſecantes efficerent.

SITIC. Dicerem ego, ſi contrariam ſententiam tuerer, vmbram quæ videtur in Luna à ſola terra fieri, quæ rotunda eſt, & opaca, non autem ab aqua, quæ diaphana cum ſit, non impedit radiorum tranſitum. Ideo nihil argumentum concludere.

ANONYM. Nihil concludit oppoſitio. Quis enim non videt aquam ſi ad aerem conferatur, opacam dici poſſe? Non negauerim quidem illam diaphanam quidem eſſe, admittereque in ſe lumen; non tamen adeo diaphana eſt, ut aer ipſe; immo vmbram quandam efficit, aqua, & aer nullam: vt vnicuique licet obſeruare. Quare ſi modo quicquã concludit obiectio, illud ſaltem videremus in Luna deficiente, quod duæ eſſent in illa diſtinctæ vmbræ rotundæ. altera quidem denſa, quam terra faceret opaca; altera autem rarior, quam aquæ globus efficeret. Quæ duæ vmbræ ſimul iunctæ figuram vnam rotundam nõ efficerent vnquam; vt notum eſt. Et tamen ſemper obſeruamus vmbram apparentem in Luna non aliam habere figuram, quam circularem. SITIC. Aſſentior.

ANONYM. Addam & rationem tertiam, in eorum gratiam, qui fortaſſe huiuſmodi ſtudijs operam non dedere. Si aqua decuplo maior eſſet, quam terra, nec idem centrum haberet, nemini dubium quod extima ſuperficies aquæ, eſſet multo eleuatior ſuperficiei terræ. Fieret ergo, vt nauis exiens è portu, quocunque aſcenderet, & accedens ad portum deſcenderet. Quare velocius cæteris paribus, deſcenderet ad portum, quam aſcenderet à portu. Lignea enim cum ſit, & terrea, grauis eſt, & terræ centrum appetens. Immo nulla ratione videretur nauis extra portum poſſe quieſcere, quin ſua ſponte ad portum decurreret. Quæ omnia ſunt falſa, & contra experientiam. Poſſem & alias rationes ad idem adducere, ſed hæc ſunt ſatis. Vtinam aliquis veſtrum non arguat me, quod cauſas ipſas ex alijs auctoribus ad verbum huc tranſtulerim. TVTVS. Ego certè non arguam, cum hæc nunquam antea intellexerim. Sed quid dices ad Ariſtotelem, qui aquam manifeſtè aſſerit decuplo maiorem eſſe terra.

ANONYM. Reſponſio eſt in promptu. Non enim Ariſtoteles eo loci quicquam aliud vult, niſi elementum quodlibet ſupèrius, eiuſmodi exceſſum habiturum reſpectu inferioris, ſi totum hoc in illud mutaretur,

quem

Digitized by Google

quem habet pars reſpectu partis: ſcilicet molem decuplo maiorem. Non tamen aſſerit re ipſa talem in elementis reperiri proportionem. Quare ſatis patet neque ea ratione terram à mari contineri, quod mare ipſum decuplo ſit maius. Immo ſi accuratius velimus rem conſiderare, apparebit magis aquam à terra, quam terram ab aqua contineri. Cum enim à terra ad mare ex omni parte, & ex omnibus littoribus deſcendatur, fluminaque prono ſemper curſu in mare ipſum tendant, euidentiſſimè colligitur conuexam aquæ ſuperficiem depreſſiorem eſſe ſuperficie terræ, centroque viciniorem. Ita vt ſi circa centrum compleantur circuli aquæ, & terræ, neceſſe ſit illum ſub hoc æquali ſemper diſtantia contineri. INGEN. Id ſenſu quodammodo ſit manifeſtum. Cum enim conſtet ventos flare è regione vndique, cum hi impellunt mare, niſi huius ſuperficies depreſſior eſſet, proculdubio impellerent in aerem: qui cum minimè ictum ſuſtineat vel leui flante vento, magna fieret continentis inundatio: quod repugnat experientiæ. Neceſſe ergo eſt, vt in ſolidum impellat, quod reſiſtat, & obnitatur. Hoc autem cum ſit terra, colligitur hanc altiorem eſſe mari, Oceanumque totum, ab illa contineri. ANONYM. Vnde & illud quod diximus antea terram, & aquam vnum, & eundem globum conſtituere non de exacte rotundo eſt intelligendum, ſed de tali, in quo licet ſint nonnullæ inæqualitates, ſunt tamen ferè nullius momenti ad globi magnitudinem. PROVID. Vt video oportebit tandem aſſerere Homerum inepte vocare Neptunum *γαιήοχον*, & terram continentem, ſi potius e contra terra mare continet, & ambit. Ego certe miror Homerum hæc omnia, cum ſapientiſſimus eſſet, ignoraſſe. ANONYM. Hic duo videntur mihi dici poſſe. Vnum quidem quod terra verè ambitur vel ab aqua, vel ab aqueo: quatenus aer, proximus terræ, tanquam vapor eſt quidem, & aqua diſgregata, vt Ariſtoteles ait in primo Metheorum. Partes etiam aridæ terræ frequenter humectantur pluuijs, fluminum inundationibus, rore, & pruina. Quare verum tandem eſt aquam, cui Neptunus dicitur imperare, terram quodammodo cingere, & propterea non ſine ratione Neptunum *γαίηοχον* nuncupari. Secundo dici poteſt, Homerum ad illud reſpexiſſe, quod aquæ competeret, ſi in illo loco requieſceret, qui ſuæ ipſius naturæ exacte conuenit, nilque pateretur uiolenti, & præternaturam. Sic enim vniuerſa terra operiretur aquis, aqua contineretur ab aere extrinſecus, & aer ab igne. Elementa enim quantum ex parte ſui, hæc appetunt loca, & hoſce ſitus. Iure ergo tunc vocaretur Neptunus *γαιήοχος*, actu enim comprehenderet mare in ſe terram. PROVID. Inepte ergo nunc ita vocatur, cum non ita ſe habeant elementa. ANONYM. Etſi mare actu non contineat terram, iure tamen etiam dicitur illam continere Neptunus, propterea quod aqua ex ſui natura illum locum requirit, qui terram ambit vniuerſam. PROVID. Sudandum erit ò Anonyme, ſi id nobis ſit perſuadendum, quod nunquam extitit, neque fortaſſe exiſtet, ſi Philoſophicis rationibus ſit agendum. ANONYM. Immo Philoſophicis rationibus oſtendo aquam ex ſui natura appetere, vt vniuerſam terram ambiat. Primum illud ex ordine elementorum patet. Ta-

Philalt. 2. cali. tex. 33.

Piccol. 1. de elem. cap. 21.

Digitized by Google

lis enim eſt, vt ea ſe tangant, quæ in ſymbola aliqua qualitate conueniunt, ne moleſta naturæ ſit eorum ſocietas. Ignis ergo contingit aerem ſibi amicum in calore. Aer ergo continebit immediate aquam, non terram. Alioqui illud contineret elementum, quod ſibi utraque aduerſaretur qualitate. Qua eadem ratione conſtat neque aeris naturæ conuenire, vt immediate globum cingat ex terra, & aqua confectum. Si ergo ſolam continet aquam, hæc terram ambiet undique. Deinde nemini dubium quod elementum vnumquodque ex ſui natura ſphericam figuram appetat. Natura enim vnitatis vbique æmula, cum alijs etiam rebus rotunditatē, quæ figura eſt maximè vna tribuerit, vt animantium membris, arborū truncis, fructibus, imò & lapidibus, eandem & elementis tribuere debuit. Et potiſſimum quoniam hæc ipſa figura apprime ad reſiſtendum eſt apta, quod valde neceſſarium elementis erat, ne vnum aliud omnino corrumperet. At figura hæc ſphærica non aliter conuenire elementis naturaliter poteſt, niſi etiam illis naturaliter competat, vt vnum cingat aliud omnino, eo modo, quo diximus. Tertio. Sicuti ignis leuitas, cum excedat aeris leuitatem, ſupremum etiam locum ignis occupat, aer inferiorem; ita prorſus & terræ grauitas cum excedat aquæ grauitatem, terra iccirco infimum locum occupabit, aquæ vero locus erit ſupra terram, ne tantum deſcendat naturaliter minus graue, quantum illud, quod eſt grauiſſimum. Si ergo terra, & aqua illum locum ad vnguem tenerent, quod ſuæ naturæ competit, vniuerſa terra obrueretur aquis, aqua vero terræ ſupernataret. INCLVS. Huic ſententiæ videtur & Ariſtoteles adſtipulari, qui in ſecundo de generatione apertè vocauit ignem, & terram extrema, aerem, & aquam media. Non alia ratione id feciſſe videtur, niſi reſpectu locorum, quæ illis naturaliter conueniunt. ANONYM. Optime ſentis. Hæc itaque fuit, ò Prouide, tui Auicennæ doctrina, dicentis locum aquæ eſſe, vt circundet terram, & ab aere ambiatur, cum in ſuo ſitu naturali permanſerit, idque eſſe ob aquæ ipſius grauitatem reſpectiuam. Videbat enim non conuenire elemento exiguæ grauitatis, vt tantum infra deſcenderet, quantum illud, quod ſummam obtinuit grauitatem. Non ignorauit ergo terram ab aqua non vndique redimiri, ſed indicauit qui nam ille locus eſſet; qui aquæ competeret, ſi nihil pateretur præternaturam, in ſuoque ſitu requieſceret naturali. SITIC. Tu ergo aſſeris aquæ contingere præter naturam, quod ſit depreſſior quam terra, eundemque cum terra globum conficiat. Sicuti & non ſecundum terræ naturam fieri, quod ſit eleuatior aqua, neque tota ſubmergatur aquis. ANONYM. Aſſero id quodammodo eſſe præter horum elementorum naturam. SITIC. At nullum violentum perpetuum; hæc autem elementorum diſpoſitio in perpetuum manet. ANON. Maior illa propoſitio vera eſt de violento ſimpliciter, non de violento (vt aiunt) ſecundum quid; At talis elementorum diſpoſitio non eſt violenta primo modo, ſed ſecundo tantum. SITIC. Probandum hoc eſt; non enim ſatis intelligo. ANON. Quod dico, hoc eſt. Talis elementorum diſpoſitio etſi dicatur eſſe præternaturam elementorum, eſt tamen magnopere ſecundum naturam totius uniuerſi.

Sic

Digitized by Google

Sic enim diſpoſita elementa apprimè conducunt pro vlteriore fine, & potiore, nempe pro animalium generatione, & victu. Prætcrea neque ratione propriæ naturæ elementorum id eſt ſimpliciter violentum. SITIC. Hoc ipſum vellem oſtendi. ANON. Facile oſtenditur. Non enim terra, ſecundum totum aquis ſupereminet, ſed tantum ſecundum partem illam, quæ aquę circulum excedit, maxima autem illius pars aquis ſubmergitur, cum ipſa ſit fundus Oceani; Oceanum autem vix habet tria milliaria profunditatis, cum tamen ſemidiameter terræ contineat milliaria 350. Similiter neque aqua ſecundum ſe totam eſt inferior terra, ſed tantum ſecundum partes illas, quæ in terræ concauitatibus concluſæ; ſurſum & deorſum à terra cinguntur. Oceanus autem totus, & flumina ſubtus quidem terram habent, ſurſum verſus autem aere continentur. Adde quod cum vniuerſa moles aquarum ſemper fluat, & refluat, euenit tandem, vt aqua, quæ in cauitatibus terræ claudebatur, aliquando in apertum exeat, erumpens per fluminum origines, tandemque deſcendat in mare. Quare neque perpetua eſt aquę quies ſub terra. SITIC. Non negauerim hac aliqua ex parte ſatisfeciſſe mihi, non tamen omnino ſublata videtur eſſe difficultas. Nam vniuerſum mare eſt terra depreſſius, littoraque ex omni parte Oceano ſupereminent, ita vt ſuperficies aquarum ſi circa centrum circulum abſoluat, ſit ſub terræ ſuperficie remanſura. Hoc itaque poſito, ſic arguo. Aqua ſecundum ſe totam eſt depreſſior terra. Ergo talis ſitus eſt ſimpliciter violentus. ANON. Facilis ſolutio eſt. Nam diſtinguo antecedens. Aquam enim ſecundum ſe totam eſſe ſub terra, dupliciter poteſt intelligi, ſcilicet ſimpliciter, vel ſecundum quid. Primo modo teneret conſequentia. Secundo modo neganda eſſet. At quod mare totum ſit ſub terra conſtitutum, verum non eſt ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid. Ideo neque etiam eſt verum talem conſtitutionem eſſe ſimpliciter violentam. SITIC. Non ſatis diſtinctionem intelligo; Quid obſecro intelligis eſſe ſub terra ſimpliciter? quid eſſe ſub terra ſecundum quid? ANON. Mare eſſet ſimpliciter ſub terra, ſi in eadem linea recta a centro mundi exeunte, in qua ſola impediuntur contrarij motus ſurſum, & deorſum, terram haberet supernè. Hoc autem conſtat falſum eſſe. Si enim de mari in eadem linea loqui velimus, optimè ſe habet ſecundum naturam: cum ſubter terram habeat, aerem autem ſupernè. At ſi mare totum dicitur eſſe ſub terra, id verum eſt tantummodo in diuerſa linea; & propterea illud non eſt ſimpliciter verum. SITIC. Hæc reſponſio omnem mihi ſcrupulum adimit. INCLVS. Si terra ex ſui natura gaudet loco inferiori, appetitque contineri ſub aqua; aqua autem ex ſe locum illum appetit, qui terram ambit, & ambitur ab aere; quæ nam illa fuit cauſſa, ò Anonyme, quæ naturalem hanc diſpoſitionem varians, terram, & aquam in eundem globum coegit? ANONYM. Duplex huius cauſſa reddi ſolet; efficiens, & finalis; nam reliquæ duæ minus habent admirationis. Finis quidem fuit mundi perfectio: vt ſcilicet pararetur locus in terra, pro generatione metallorum, plantarum, pręſtantiorumque animalium, & pro eorundem conſeruatione. Sic enim neceſſe fuit, ut terræ magna pars detegeretur. De efficiente vero plurima di-

cuntur; Amplectenda tamen cæteris omiſſis illa ſententia eſt, quæ dicit in initio mundi, terram exactè rotundam extitiſſe, ita vt omnino illam ſubmergerent aquæ. Deum autem ingentes cauitates, & ſinus in illa aperuiſſe, in quibus ſe demiſerunt aquæ, terra verò ſublimior remanſit, erectis montibus, & collibus. INCLVS. Hoc indicare videntur apertiſſime Sacra Biblia; Legitur enim in Cap. primo Geneſeos, præcepiſſe Deum, vt congregarentur aquæ, quæ ſub cęlo erant in locum vnum, ita vt appareret terra; atque ita factum fuiſſe: vocaſſeque Deum congregationem aquarum maria. ANONYM. In hac ipſa ſententia videtur mihi prorſus acquieſcendum, neque confugiendum eſſe ad naturales cauſſas, vt nonnulli faciunt, dicentes huius rei cauſſam in Solis lumen, & motum referendam eſſe: qui calefaciens humidam terram vapores gignit, montes eleuat, cauitates varias parit in Terra; in quas aqua fluens effunditur, & partes nonnullas magis eleuatas terræ deſerit aridas. INCLVS. Sanè etſi hæc probabilitatem quandam præſeferant, vera tamen non ſunt; Legitur enim capite citato Geneſeos, aquas in terræ ſinus deſcendiſſe, apparuiſſeque aridam, antequam Sol, aut Luna fierent. ANON. Illud tantum videtur in illius ſententię confirmationem dici poſſe, quo Solis lumen, & motus eam vim habeat, vt tam miranda valeat efficere, ſi non eſſent facta. At hæc diſputatio non eſt præſentis loci, ſed ad aliam conſiderationem pertinet.

ODYS-

ODYSSEÆ
Tertio, verſu cxxj.

--- Si quidem tu verè
Illius filius es. admiratio me tenet aſpicientem
Profecto enim ſermones ſimiles ſunt. Neq; diceres
Virum iuniorem tam ſimilia loqui poſſe.

Confirmantur magis ex Homero, quæ de cauſſa ſimilitudinis Natorum cum Parentibus dicta ſunt in Capite Tertio.

COLLOQVIVM VIIII.

ANONYMVS.

MEMINISSE debetis ò Amici Doctiſſimi, dum nos de cauſſa ſimilitudinis Parentum, atque filiorum Philoſophatemur, pollicitum me fuiſſe vobis oſtenſurum, quid de re hac Homerus ſenſerit. Quod quidem etſi tunc temporis faciendum erat, præſtari tamen præ temporis anguſtia non potuit. Hic locus ille eſt, quem ego profiteor apertè ſatis indicare Homericam de hac ipſa re opinionem. Propterea dicerem ego hunc eundem locum poſtulare, vt aliquantulum circa ipſum immorati, Homeri venaremur de hac ipſa re ſententiam. SITIC. Hæ tuæ partes ſunt, ò Anonyme; videris enim mihi, circa rem hanc optimè omnium locutus, exactèque conſideraſſe, quid non Homerus modo, aut alij veteres, & recentiores dixerint, verum etiam quid dici in poſterum poſſit præuidiſſe. Ne ergo nos amplius angas; ſed ſtatim quid de hoc loco dicendum cenſeas enarra. ANON. Ego illud aſſero ex hoc ipſo loco, & ex illo etiã, quem aurea conſiderauimus colligi Homerum eandem cum noſtra, amplexum fuiſſe ſententiam de hac ipſa cauſſa. Tu vero quid dicis Sitibunde? SITIC. Non eſt, quod me interroges; arbitror neque quemquam noſtrorum ſodalium. Omnes enim vt uideo, tuam ſententiam audire ſummopere expetunt. ANONYM. Dicas ergo mihi. Nonne videbatur Homerus in colloquio tertio parum fidere ſimilitudini effigiei, ad hoc, vt crederet aliquem eſſe filium illius, cuius ſpeciem referret, cum

Digitized by Google

co loci Pallas, etſi ex multis cognoſcere potuerit Telemachum eſſe filium Vlyſſis, præcipue vero ex ſimilitudine oculorum, & capitis, voluerit tamen illum interrogare, & rogare, vt diceret an verè Vlyſſis filius eſſet. SITIC. Memini ita eſſe. ANONYM. At hoc loco contrarium videtur feciſſe Poeta; Prudentiſſimum Neſtorem introducens, qui vix conſpecto, auditoque Telemacho, ſtatim abſque vlla heſitatione conſtanter exclamat, illum uerè Vlyſſis filium eſſe, ex ſola ſermonum ſimilitudine, & ex Vlyſſea Prudentia in illis refulgente ipſum recognoſcens. SITIC. Verè ita ſe res habet. ANONYM. Vnde ergo fieri exiſtimabimus, ut Homerus ferè nihil faciat ſimilitudinem in facie, ad indicandum Telemachum Vlyſſis filium; ſimilitudo autem ſermonum, & Prudentia ſit illi tanquam ſignum demonſtratiuum? SITIC. Sanè neſcio quò tendas. ANONYM. Audi ergo. Diximus imaginationem parentum congreſſus tempore factam, habere vim quandam pro effigie effingenda, non tamen omnem: cum multa ſint, in quibus filij patribus ſunt ſimiles, quæ tamen efficere haud potuit imaginatio. Huiuſmodi autem erant ea omnia, quæ per propriam ſpeciem non cognoſcebantur, vt paruæ, occultæque cicatrices, maiorum iam defunctorum effigies, inſuper & morum, & præcipue prauorum, propenſionumque naturas, partium morbos, occultarum particularum proprietates, & temperamenta; quæ quidem temperamenta nullo modo mutare poterat imaginatio. Inter hæc igitur numeranda eſt & ſimilitudo ſermonum. Hæc enim cum ex occultarum multarum partium temperamento procedat, nullo modo videtur fieri poſſe ab imaginatione. Eadem enim uox, & idem loquendi modus eandem laryngis, neruorumque mouentium conſtitutionem requirit; Cumque cerebrum & cor ad ſermones efformandos valde concurrant tãquam illa membra, quorum diuerſa natura cauſſa eſt diuerſitatis affectuum, & perturbationum, à quibus variari ſermones conſueuerunt, (aliter enim de eadem re prudens loquitur, aliter iracundus, & imprudens) neceſſe erit vt ad ſimilitudinem ſermonum efficiendam, ſimilitudo etiam horum membrorum concurrat in temperamento. At quanam ratione (obſecro) cordis, aut cerebri temperamentum mutabitur ab imaginatione illius hominis, qui ne quidem nouit, quid ſit temperamentum? Hæ igitur in huiuſmodi particulis ſimilitudines, non aliunde prouenire poſſunt, quam à natura partium generantium; vt ibi oſtendimus. Quamobrem cum quis ſe alicuius filium facit, eique in his rebus ſimilis exiſtit, pro certo habendum eſt illum non decipi; concurrente cum externa fama ſimilitudine, illa quæ ab alio prouenire non poteſt, quam ab eo, qui creditur pater. Quomodo autem id fiat, dictum fuit in colloquio tertio. Propterea Homerus hoc loco rectè facit Neſtorem minimè hæſitantem, quia Telemachus ſit filius Vlyſſis, videns illum ualde Vlyſſi ſimilem in ſermonibus, & prudentia, ſimulque profitentem ſe eiuſdem filium eſſe. At vero Minerua ſuperius videbatur parum adhibere fidei ſimilitudini illi, quæ in facie, & oculis conſiſtebat; idque etiam rectè ſecundum noſtram opinionem. Vniuſcuiuſque enim hominis, quantumuis rudis, imaginatio

apta

Digitized by Google

apta eſt ad concipiendam propriam ſpeciem effigiei alterius hominis ſemel viſi; ſicut & colorum omnium,& figurarum. Talis igitur ſpecies, & imago cum ſemine delata poteſt eſſe formatricis facultatis exemplar in illa effingenda parte, cuius eſt imago, vt dicebamus. At cum in omnibus externis corporis partibus deceptio illa contingere poſſit ob imaginationem alicuius parentum, vt natus filius in parte aliqua ſimilis ſit alteri, qui nihil ad generationem contulit; id certe magnopere euenire aptum eſt in facie, & præcipue in oculis. Hæ enim partes maximè omnium diliguntur,& deſiderantur ab amantibus, atque propterea fere ſemper conſiderantur, & habentur in mente. Quæ cauſſa fuit, ne Homerus Mineruam fecerit credẽtem quod Telemachus filius eſſet Vlyſſis, licet videret illum valde ſimilem in pulchris oculis,& capite. P R O V I D. Non modo dicendum eſt Homeri eandem fuiſſe cum tua ſententiam de re huiuſcemodi, ô Anonyme; verum etiam aperte confitendum veritatem ipſam hactenus fere omnes latuiſſe. T V T V S. Incluſe, modo dixit mihi in aurem Io. Iacobus, filius noſtri hoſpitis, te expectari à nobilibus quibuſdam viris, qui modo ex equis deſcẽdentes, in domum tuam ſe contulerunt. A N O N Y M. Ego quoq; cogor hodie, quamprimum ad domum meam reuerti. SITIC. Ergo diſcedamus omnes. I N G E N. Colloquium hoc tantum habuit iucunditatis, quantum & breuitatis obtinuit. Diſcedamus.

ODIS-

ODYSSEÆ

Tertio, verſu cxlij.

--- Volebat ſanè
Populum detinere, & facere ſacras Hecatombas.
Vt Palladis vehementem iram placaret
Stultus: neq; iſtud nouerat ſe nõ perſuaſurum eſſe
Non.n.ſtatim Deorũ vertitur mens ſempiternorũ.

Voluntatem Diuinam ſtatuere non poſſe oppoſitum illius, quod antea ſtatuit; nullamque in ea reperiri ſucceſſionem.

COLLOQVIVM X.

INCLVSVS.

ETſi illud, quod Græce νόος, ſeu νοῦς dicitur, Latinè propriè ſit mens, Viri doctiſſimi, ſeu Animus, qui cum ſubſtantia quædam ſit à materia libera, duabus prædita eſt pręclariſſimis facultatibus, abſque organo corporeo operantibus, Intellectu, & Voluntate, conſtat tamen ſæpenumero apud Philoſophos latius ſumi, prout ſcilicet ipſum Intellectum ſignificat, qui Græce διάνοια dicitur; aliquando pro ſententia, nonnunquam pro corde, conſilio, Voluntate etiam, & cogitatione. At quanquam adeo patens ſit huius vocis ſignificatio, conſtat tamen euidentiſſime hoc loco ſumi ab Homero pro Voluntate ipſa: aſſerente Deorum Voluntatem immutabilem eſſe. ita vt non poſſit oppoſitum velle illius, quod aliquando voluit. PROVID. Haud mihi videtur hoc loco id Homerus aſſerere, quod Voluntas Deorum ſit immutabilis, ſed quod ſtatim non mutetur; ita vt aſſerere videatur mutari illã quidem, ſed longo temporis ſpacio. INCLVS. Scio te iocari ò Prouide, id tamen æquiſſimo animo fero. Non ſum neſcius, te optimè intelligere Homerum illud aſſerere Voluntatem Deorum non mutari eo modo, quo ſolet aliqua Voluntas mutari, & mens mortalium; Quæ cum mutatur in inſtanti mutatur, & vt græce dicitur. ἄιψα. At voluntas Dei, vel vt ille Poeticè inquit, Deorum, non tali ſubijcitur ἄιψα mutationi, ſed prorſus eſt immutabilis.

Digitized by Google

bilis. SITIC. Putas-ne Ethnicum Poetam, fidei lumine deſtitutum tantum videre potuiſſe, ut cognoſceret Dei uoluntatem immutabilem eſſe? INCLVS. Quid ni? SITIC. Multo magis ergo illud cognouiſſe potuit Deum uoluntate prædirum eſse, INCLVS. Proculdubio. SITIC. Si Voluntatem cognouit in Deo, ergo & Intellectum. INCLVS. Nemini dubium. SITIC. Eia oſtendas nobis quibus rationibus ille potuerit ad tantam ueritatem penetrare. INCLVS. Tu quoque derides me, ò Siticuloſe? SITIC. Abſit quod te derideam. Vnde tibi hæc ſubrepſit ſuſpicio? INCLVS. Nonne tu oſtendiſti antea Deum eſſe primam efficientem cauſſam, omnino independentem, à nullo factam, ſed a ſe exiſtentem, & neceſſario exiſtentem, eamque vnam eſſe tantummodo, non plures, & ex conſequenti cæteras omnes ab illa dependere, & regi? SITIC. Oſtendi. INCLVS. Ex hoc illud primum euidentiſſimè colligitur Deum agere per intellectum. Non enim vnquam reperire eſt, quod mouens per intellectum dependeat, & regatur ab eo, quod mouet abſque intellectu. Contrarium tamen ſæpe animaduertimus, vt quæ ſine intellectu moueant, gubernentur, & regantur ab intelligente; vt in Mechanicis patet. Cum igitur multa inueniantur, quæ per intellectum agunt, omnia autem ex hypotheſi ſint Deo ſubordinata tanquam primo, & principali agenti, neceſſe erit ipſum quoque per intellectum agere. SITIC. Iam video, quantum mihi ſint profutura hæc colloquia. Mihi credas Incluſe, quod tam pulchrum corrolarium nondum videram in doctrina mea. INCLVS. Hac eadem ratione conſtat Deum agere Voluntariè. Nam niſi ageret per voluntatem, ageret ex neceſſitate, & ex conſequenti eodem ſemper modo, quantum ex parte ſui. At abſurdum profecto eſſet aſſerere tot agentia per liberam Voluntatem, cuiuſmodi ſunt homines, ab vno primo dependere, per neceſſitatem agente. INGEN. Immo idipſum oſtēditur, dummodo ſupponamus Deum agere per ſe. PROVID. Quid ni agat per ſe, cum ſit agens omnium primum? Omnis enim cauſſa per accidens, poſterior eſt aliqua cauſſa per ſe, vt docuit Ariſtoteles. INGEN. Ex hoc ergo colligo Deum agere Voluntariè. Etenim omne agens per naturam, ſeu ex neceſſitate, quatenus ad hanc agendi neceſſitatem pertinet, non aliter agit, quam ſi non agat propter finem. Dicitur autem per ſe agere, & propter finem, propterea quod ab vno agente dependet intelligente, & non errante; ab eoque dirigitur in finem. Si ergo Deus ſtatuatur agens naturale, ſequetur ſtatim illum non agere per ſe, neq; propter finem, cum non habeat ſuperius, à quo dirigatur in finem. At ſupponebamus illum per ſe agere. SITIC. Optimè. INCLVS. Sic ergo potuit Homerus cognoſcere Deum intelligere, & velle idque rationibus naturalibus. Quod autem Dei Voluntas ſit immutabilis, ſimiliter potuit intelligere. Siquidem nullo modo voluntas aliqua mutari poteſt, ita vt oppoſitum velit illius, quod antea voluit, niſi nouum volendi actum eliciendo, priori deſtinente. At lumine naturali cognoſcimus hos actus voluntatis, qui volitiones à Theologis dicuntur, in Deo, nihil aliud eſſe, niſi ipſum Deum: ſequitur ergo, quod & illud naturaliter cognoſcamus, volitionem Dei, nullam poſſe deſinere, aut mutari; Deus enim ipſe nunquam

Colleq. 5.

D. Tho. 1. cont. gent. cap. 44.

2. Phyſ. te. 66. 67.

Sco. p. diſt. 2. q. 2.

quam poteſt non eſſe. ANONYM. Quomodo probabis ratione naturali, quod Dei voluntas ſit ipſe Deus ? INCLVS. Nonne monſtratum fuit antea Deum exiſtere neceſſariò; & ita neceſſario exiſtere, vt ipſe ſolus ſit neceſſe eſſe, neque aliud præter illum neceſſario exiſtat? ANON. Monſtratum. INCLVS. Quicquid ergo inuentum fuerit, quod ipſum quoque neceſſario exiſtat, erit vnum, & idem cum primo, nempe cum Deo ipſo, ne plura ſimul abſurde concedantur. ANONYM. Profectò. INCLVS. Animaduerte ergo. Cum Deus agat propter finem, conſtat aliquem dandum eſſe in rebus finem, qui in vlteriorem finem non referatur, ne detur progreſſus infinitus in cauſſis finalibus. Hic ergo primus finis erit neceſſe eſſe; cauſſa enim finalis eſt ſimpliciter prima, vt docuit Auicenna; ideo enim efficiens agit, quia finem amat, non è contra. Efficiens autem cum ſit prior forma, & hæc ſit prior materia (cauſſalitas enim materiæ eſt ſuſtinere formam, vt exercet officium formæ) ſequitur vt dicebam, quod finis ſit abſolutè prima cauſſa; & Primus; finis prima omnium, & independens omnino, & ex conſequenti neceſſario exiſtens. Nonne? ANONYM. Prorſus, ſed non video, quò tendas. INCLVS. Audi. Iam ergo habemus quod primus hic finis erit idem cum primo agente, nempe cum ipſo Deo; ne duo concedantur neceſſe eſſe. ANONYM. Habemus. INCLVS. At ſi vlterius conſideremus, inueniemus, quod & ipſa cauſſalitas primi finis, omnino incauſſabilis erit, & neceſſaria penitus. Non enim habere poteſt cauſſam efficientem, cum ſit prior qualibet cauſſalitate. Si vero efficientem non habet, neque finalem habebit. ANON. Quomodo hoc probabis? INCLVS. Quia finalis cauſſa non aliter cauſſat, niſi quatenus metaphoricè mouet efficientem ad agendum, ideo quatenus efficiens illius deſiderio mouetur. Vnde nihil dependet aliter à cauſſa finali, niſi quia ab efficiente productũ eſt finem ipſum amante, & appetente. Cauſſalitas ergo primi finis caret efficiente cauſſa, & finali. At quod has duas cauſſas non habet, neque poſteriores habebit nempe materiam & formam. quod enim caret priori, carebit & poſteriori. Sequitur ergo tandem vt ipſa cauſſalitas primi finis à nullo ſit cauſſata. Quod autem tale eſt, id à ſe ipſo exiſtit, vt antea probabat Siticuloſus noſter, eſtque neceſſe eſſe. Concludendum ergo quod ipſa quoque primi finis cauſſalitas ſit idem cum Deo. ANON. Non hoc illud erat, quod oſtendendum ſumpſiſti ò Incluſe, ſed probare debebas Volitionem Dei idem eſſe cum Deo; tu vero illud probaſti de cauſſalitate finis. INCLVS. Nullus commiſſus eſt error. Nam Primi finis cauſſalitas ipſa eſt Volitio Dei. Quare Volitio ipſa Deus erit. ANON. Quomodo oſtendes cauſſalitatem primi finis eſſe Volitionem Dei. INCLVS. Scotus id probat hoc pacto. Quia Cauſſalitas primi finis nil aliud eſt, niſi finem appeti ab efficiente, ita vt efficiens ob talem appetitum agat, vt finem conſequatur. At vero finem appeti à Voluntate primi efficientis, & hanc Voluntatem appetere finem ipſum ſunt realiter idem. Sequitur ergo vt ipſa Dei appetitio, ſeu Volitio finis ſit idem cum Deo. PROVID. Pulcherrima certè ratio. INCLVS. Hinc ſequitur intellectionem etiam Dei idem eſſe cum ip

Ariſtot. 2. Metaph. c. 2.
6. metap.
Tôt. 5. metap. cap. 2. q. 1.
Scot. de pr. princ. cap. 2.
In 1. diſt. 2 q. 1.

Deo.

Deo. Cum enim nihil per voluntatem appetatur, niſi prius cognitum fuerit ab Intellectu, ſi Dei volitio eſt idem cum Deo, neceſſe eſt vt & intellectio eiuſdem ſit eadem cum ipſo. Eſt enim intellectio quodammodo Deo propinquior volitione, eo quod ſui natura volitionem precedit. PROVID. Hucuſque videtur & Ariſtoteles perueniſſe, ſtatuens ipſe quoque intellectionem Dei idem eſſe cum Deo. In duodecimo enim Metaphyſicorum de ipſo Deo verba faciens, & ſciens illum eſſe rerum omnium perfectiſſimū, prius de illo ſtatuit, quod actu intelligat, ne ſimilis ſit dormienti. Cum itaque intelligat, duorum alterum erit concedendum, vel quod ipſa intellectio ſit accidens quoddam additum Deo, & deſtinctum ab eo; vel quod ſit ipſa Dei ſubſtantia, & Deus. At primum dici non poteſt, inquit Ariſtoteles. Non enim tunc Deus optima eſſet ſubſtantia per intellectionem, cum tamen propter ipſam intellectionem præſtantiſſima ſubſtātia cenſeatur. Erit ergo Intellectio Dei, Deus. Præterea idem docet hoc pacto. Si intellectus Dei non eſſet ipſa intellectio, eſſet potentia quædam intellectiua, potens exire in actum ſecundum ab ipſa diſtinctum realiter. At cum perpetuo intelligat, perpetuoque actum à ſe diſtinctum producat, laborioſa eſſet Deo huiuſmodi continuatio exeundi in actum à ſe diſtinctum. Si ergo huiuſmodi abſurdum velimus euitare, ſtatuere, inquit oportet ipſum actum ſecundum, ſeu intellectionem Græce *νόησιν* idem eſſe cum Deo. Sic enim citra vllum laborem intelliget perpetuo; quemadmodum etiam homini laborioſum non eſt hominem eſſe, propterea quod eius ſubſtantia, & eſſentia conſiſtat in eo, quod ſit homo. Quare concludit Ariſtoteles Deum eſſe intellectionem, & intellectionem Dei eſſe intellectionis intellectionem. INCLVS. Ita prorſus & veritas docet. Sed iam tempus eſt ò Amici, vt nouus eligatur Princeps, iam enim tempus meo Principatui præſtitutum tranſactum eſt. Polydore, inſcripta ne ſunt Academicorum nomina in ſchedulis diſtinctè. POLYDORVS. Inſcripta ſunt. INCLVS. Eia complicentur ſchedulæ, & proijciantur in pileum, vt ſors mittatur, & nouus Princeps exeat. Aduoca Io. Iacobum filium Hoſpitis noſtri, vt educat ſortem.

Vide fili mi. Mitte manum tuam in pileum hunc, & accipe vnam ex illis Schedulis, quæ in eo continentur. Da mihi hanc modo. PROVIDVS PRINCEPS ERIT.

ODYS-

ODYSSEÆ

Tertio, verſu lxxxij.

--- Octauo anno veni
Cyprum, Phœnicem, & Aegyptios oberrans
Aethiopesque adij, & Sidonios, & Erembos
Et lybiam, vbi agni protinus cornuti ſunt
Ter enim pariunt oues per annum perfectum
Ibi neque herus indiget, neque Paſtor
Caſei, & carnium, neque dulcis lactis,
Sed ſemper præbẽt per totũ annum lac mulgendũ.

Quamobrem in Libya agni ſtatim corniferi generentur; terque pariant oues. Et de media Zona felici habitatione nonnulla dicuntur.

COLLOQVIVM XI.

PROVIDVS.

NON Eſt omnino ſpernendum illud, quod hoc loco dicitur ab Homero in Libya agnos ſtatim ac nati ſunt cornigeros cerni, cum in his noſtris regionibus id minime fiat. Quin & Ariſtoteles tanquam rem quandam mirabilem hoc ipſum attulit in octauo de Hiſtoria animalium, vbi ſic inquit. In Aphrica arietes ſtatim cornigeri generantur, nec ſolum mares, vt Homerus ſcribit, ſed etiam fœminæ. Contra in Ponto per prouinciã Scythiam nullis cornua enaſcuntur. Quod autem ſecundo loco dicitur ab Homero, oues ter in anno parere, non minorem videtur habere difficultatem. Nam præterquam, quod apud nos ad ſummum bis in anno cõcipiunt, cum quinque menſibus ferãt; accedit quod & Ariſtoteles adſcribit magnæ cęli clementiæ, & copiæ pabuli, quod bis in anno pariant. In ſexto enim de Hiſtoria Animalium, ſic ait. Ferunt quinq; menſibus tum oues, tum capræ. Vnde fit, vt locis nonnullis, quibus cęli clementia, & copia pabuli eſt, bis pariant.

pariant. Aut ergo falſum eſt, quod Homerus ait, ter in Libya oues parere, aut decipitur Ariſtoteles. SITIC. Quatenus ad illud pertinet, in quo conueniunt Homerus, & Ariſtoteles, non caret ratione probabili. Cum enim animalium cornua excrementum quoddam ſiccum ſint, & terreum, euidētiſſimum eſt illa à calore produci, valide concoquente, vt ex Ariſtotele colligitur, & experientia ipſa confirmat, cum non cernantur enaſci, niſi prius per tempus aliquod animalia ipſa reddita ſint ſicciora, calorque eorum robuſtior factus fuerit. *2. de gen. anim. 4.* TVTVS. Experientia ſanè confirmat inter animalia cornigera, ea citius cornua proferre, quæ calidiora fuerint, & ſicciora. SITIC. Optimè ſentis. At oues ipſę multo ſunt natura calidiores in Aphrica, & Libya, quam in his noſtris regionibus. Magna enim pars Aphricæ, & Libyæ intra torridam Zonam continetur, inter Cancri Tropicum & Æquatorem. Quę regiones cum calidiores ſint, in ijs etiam Animalia calidiora fiunt, & ſicciora. *Philalt. 2. Cęli.* Quare minimè mirum videri debet, in illis partibus arietes, & agnos ſtatim atque editi ſunt, cornutos conſpici. PROVID. Circa primum optimè mihi videris Philoſophari. Optarem vt quid de ſecundo ſentias in medium ſtatim proferres; An ſcilicet oues in Libya ter in anno parere poſſint, & ſi poſſunt, quæ ſit huius euentus cauſſa. SITIC. Quid refert hæc inutilia conſideraſſe? An neſcis Aulum Gellium, in Noctibus Atticis huiuſmodi conſiderationem irridere, vt pote illam, quæ & ſi ſpeciem habeat doctrinæ, omni tamen careat vtilitate, & delectatione? *li. 14. c. 6.* PROVID. Quid de illius vtilitate dicam nō habeo, niſi dicam illud, quod & Clauius aliquando protulit à ſuggeſto, reddens cauſſam, quamobrem tam pauci Arithmeticæ ſcientiæ operam nauarent; quia inutilis eſt, inquit, non enim gignit panem. At de iucunditate huius contemplationis illud apertè profiteor videri mihi iucundiſſimum ſcire cauſſam rari huius euentus. Vnde in pręſentia valere Gellium dico. Nam & ſi magnæ vir ſit ille auctoritatis, magnæ erat & Homerus, & Ariſtoteles, qui ambo non ſunt dedignati de huiuſcemodi materijs tractare. Cumque inter ſe diſſentiant, vt indicaui, ſaltem illud cōſideratione digniſſimum videtur, quis nam eorum rectius ſenſerit. SITIC. Perſuaſiſti ſanè. Quid ergo dicemus in hac controuerſia? PROVID. Sanè nihil mirum, ſi Ariſtoteles non crediderit fieri poſſe, vt oues ter in annū pariant. Etenim huiuſmodi frequentia pariendi non aliunde prouenit, quam à robore caloris innati, quod animalia ipſa ab illa regione recipiunt; quæ in torrida eſt Zona vltra cancri Tropicum. *2. meteor. cap. 5.* At Ariſtoteles nihil illius ſpacij habitari poſſe credidit, quod intra ſolſtitiorum orbes continetur: Propterea quod Sol ſemper in eo tractu ſub orbita ſigniferi decurrit, et capita eorum incolarum obſidet, ſemper prope verticem exiſtens; alicubi etiam bis illum tangens in anno, vt ſub æquatore æſtum excitat intolerabilem. Propterea fabulam fortaſſe eſſe exiſtimauit, quod Homerus hoc loco tradidit, de ouium partu. Tamen quia iamdiu error Ariſtotelis patuit, cum certiſſimum ſit partem illam totam, quæ inter vtrumque Tropicū continetur incoli, & feliciſſimè ab indigentis, nulliuſque roboris ſunt argumenta, quæ contrarium aſtruunt, vt infra dicetur, non erit quod plura de Ariſtotelica ſententia dicamus. Homerus certè ex hoc vno loco manifeſtè

ſtè

ſte conſpicitur non ignoraſſe mediam Zonam habitari, cum & Libyam nouerit, eoque dicat Menelaum profectum eſſe, qui etiam illud de eiuſdē regionis felicitate narrauit, quod ter in ea pariant oues; quod certe non aliunde prouenire poteſt, quam ex eiuſdem regionis natura, inſitoque calore. INGENIOS. Hinc ergo manifeſte patet error eorum, qui arbitrantur ante Ariſtotelis tempora, immo & ante Columbi Ligeris hominis nauigationem ignotas omnino fuiſſe partes illas, opinionemque illam perſtitiſſe ſemper mediam illam Zonam, & meridionalem plagam ab hominibus occupari minime poſſe: Videmus enim hoc in loco euidentiſſimè fuiſſe olim ante priſcorum, Homerique ætatem regionem illam perluſtratam. Sed quā putatis ò Amici radicem fuiſſe opinionis illius, quod regiones illæ minimè incolerentur? TVTVS. Fortaſſe quoniam longa erant itinera, & exigui lucri, atque difficilia; propterea mortales aliquando deſtiterunt Oceanum meridionale trāſmigrare; Hinc ergo cum increbuiſſet deſuetudo nauigandi, erupit rumor, qui inficiabatur partem illam incoli. PROVID. Neceſſe prorſus eſt, ita factum eſſe. Tametſi Alexandri Magni temporibus ſuſpicio non exigua eſſet, de incolis alterius hemiſphærij. TVTVS. Quin etiam Herodoto narrāte a Dario miſſos fuiſſe ferunt, qui vltra ſinum Heſpericum enauigarunt Oceanum mare. Et Heraclidus Ponticus teſtatus eſt Magum circumluſtraſſe meridionale pelagus. PROVID. Verumenimuero non ſuſtulit horum Hiſtoria opinionem veterem, quæ mediam Zonam ob æſtū non habitari, ſed defici hominibus tradidit. INCLVS. Libenter audirem, qua ratione illud ſibi perſuaſerint veteres, & quomodo rationes illæ ſoluantur. PROVID. Audies ex me parum infra. Nunc ſuppoſito partem illā incoli, vellem vt inueſtigaremus an rationem habeat naturalem, id quod Homerus dicit in Libya oues ter parere. INCLVS. Quid videtur tibi de ea re? PROVID. Mihi ſane ita videtur iure fieri, vt ſi vllubi terrarum oues ter pariant, id in media Zona fiat, vbi & aer, & animalia cūcta multò ſunt, quam in aliis regionibus calidiora, & ſicciora. Nam etſi immoderatę omnes intemperaturæ animalium ſterilitatem pariunt, frigida quidem & humida genituram extinguendo, calida autem nimis & ſicca ob defectum alimenti, & quia ſemen fit toſto ſimile, atque ob ſiccitatem extendi minimè poteſt, quod maximè neceſſarium eſt ad conceptionem, vt docuerunt Hip. & Galenus, ita vt hinc liceat argumentari non omnia animalia in torrida illa Zona fœcundiora fieri, eo quod à nimio calore, & ſiccitate mediocris illa temperatura corrumpatur, quæ maximè omnium eſt fœcunda; Ouibus tamen contrarium accidit, quia in illa calidiori regione optimam illam adipiſcuntur naturam, fœcunditatis parentem, calidam ſcilicet, non tamen ſiccam admodum. Cum enim oues frigidæ, & humidæ ſint, & excremētis redundantes crudis, & humidis valde, vt ſexcentis in locis colligi ex Galeno poteſt, euenit, vt in media illa regione calidiores fiant, humiditas inſuper, & excrementorum copia conſumatur. Quare fiet, vt & ſemen fœcundius habeant, minuſque ferant, fœtu à calore robuſtiori citius ad maturitatem perducto. Quare ſicuti hic quinque menſibus ferunt, ibi quatuor tantum, aut minori etiam tempore geſtabunt. INCLVS. Hæc fortaſse etiam

Philalth. 2. cęli.

5.aph.62. & 63. & in comm.

8.meth.2. 2.ſim.20. 3.alimen fac.2.

cauſsa

Digitized by Google

cauſſa eſt, propter quam etſi ouium vita ad annos decem extendatur, magna ex parte ad pauciores, oues tamen Æthiopicæ ad duodecim, & tredecim annos uitam agant, vt Ariſtoteles tradidit. Quemadmodum enim in excrementorum crudorum copia calor citò ſuffocatur, ita è conuerſo in eorundem penuria diutius conſeruatur, vitamque reddit longiorem. *6. Hiſt. Ani. c. 19.*

PROVID. Ipſa profectò eſt ratio. INCLVS. Rogo te ne amplius differas, id quod mihi pollicitus es. PROVID. Quid pollicitus ſum? INCLVS. Aperire mihi, & enodare illud, quod huic tua doctrinæ negotium facit: nempe id quod dicebant ueteres, mediam hanc mundi Zonam torridam eſſe, neque ab hominibus habitari poſſe.

PROVID. Hoc negotium nullum facit. Iam enim vnicuique notum fecerunt Hiſpanorum, Luſitanorumque nauigationes huiuſmodi Zonam rectè, commodèque ab indigenis incoli, & aſſuetis, licet fortaſſe aduenis primo occurſu non ſit illius habitatio facilis futura.

INGENIOS. Rectè addidiſti, Fortaſsè, ô Prouide. Non enim deſunt viri alioqui celeberrimi, qui tradidere mundi partem illam, quæ in ſphæra eſt omnino recta, habetque vtrumque Polum in Horizonte, perpendiculariter æquatori ſubiecta, temperatiſſimam eſſe, aptiſſimèque reſpondere humanæ naturæ, quinimo ibi Paradyſum terreſtrem eſſe. Sic Iſidorus in Primo Ethimolog. ſic Campanus Aſtronomus celebris; in compendio ſuo. Vtcunque tamen hoc ſe habeat, ſatis eſt, partem illam, quæ inter vtrunque Tropicum ſita eſt, habitari ab hominibus.

INCLVS. Ego quoque iſtud credo. Sed videre vellem quantum roboris habeant argumenta illa, quibus adducti veteres mediam Zonam habitari poſſe negabant. PROVID. Audi ergo. Illi primum in duas ſectas diuiſi ſunt. Alij quidem Zonam torridam ſtatuentes graduum 47. ſcilicet ſpatium omne inter vtrunque tropicum, non tamen totũ illud inhabitabile eſſe aſſeuerant, imò fatentur partem eius incoli, vſque ad Meroem inſulam Nili, citra autem ad æquinoctialem peruſtam eſſe regionem, vſque ad alterum meridionalem parallelum, e regione oppoſitum Meroe vrbi. Quod quidem ſpatium graduum fere eſt 32. cum dimidio. Quamobrem iſti ab vtroque tropico verſus æquatorem ſtatuunt habitari terram per ſpatium graduum 7. cum dimidio ex utraque parte. Quidam adhuc coarctant ſpatium vtrinque graduum vndecim, ita vt torrida Zona ex utraque parte contineat gradus 25. Alij etiam magis illam contrahunt. Verum horum omnium ſententia facile refellitur. Propterea quod ſi Meroe incolitur, nec actus impedit, eadem ratione & vſque ad æquatorem erit habitatio. Siquidem eadem eſt in vtroque loco caloris uis, quod adhuc planius fiet, vbi contra ſecundam ſectam quam ſecutus eſt Ariſtoteles diſputauerimus. Cenſuit itaque ille Philoſophus totum illud ſpatium, quod inter vtrunque circulum Solſtitiorum interiacet, incoli non poſſe, quia nimius ibi æſtus adſit, quem animalia ferre minimè poſſint. In huius opinionis confirmationem, quædam adducuntur argumenta, quæ etſi ad improbandam totius illius ſpatij habitationem affe- *Philalt. loco citato.*

Digitized by Google

runtur eorum tamen uis, & efficacia in eo potiſſimum uidetur occupari, quod ſub æquatore degere nullo modo animalia poſſint, præ nimio æſtu. Quare ſi illud oſtendero eiuſmodi rationes nihil poſſe ad auferendam hominum uitam ſub æquinoctiali, multo minus id conficient de cæteris partibus in latitudine ſolſtitiorum contentis. INCLVS. Eia recenſeas hæc argumenta. PROVID. Aſſumunt primum tanquam certum & indubitatum calorem, & æſtum in qualibet regione quinque de cauſſis gigni. Primò, per acceſſum Solis ad noſtrum verticem; Secundo; eiuſdem ſupra Horizontem mora. Tertio, imbrium defectu: humiditas enim calorem retundit. Quarto. Ventorum refrigerantium priuatione; nempe borealium: hi enim æſtum mitigant. Quinto ſi in regione illa nulli ſint amnes irrigui, quibus mortales poſſint immoderato calori ſuccurrere. Hæc quidem æſtum faciunt contraria gelu. Receſſus Solis à Zenithe; mora ſub Horizonte. Imbrium copia. Ventorum frigidorum abundantia. Fluminumque multa, & copioſa irrigatio. At, inquiunt, priores cauſſæ æſtum concitantes validæ ſunt ſub æquatore; nulla refrigerantium ferè adeſt. Ergo regio illa præ nimio æſtu non poterit incoli. Minorem propoſitionem probant facile de prima, & ſecunda cauſſa. Quoniam bis in anno, ſub æquatore Sol per verticem tranſit, & nunquam ab eo recedit magis, quam grad. 23. cum dimidio. Quare ferè ſemper eorum obſidet capita, & ita æſtum concitat intolerabilem. Eadem ratione ſtatuunt plus eo loci Solem immorari ſuper incolarum capita, quam in vlla alia mundi parte. De cæteris cauſſis id putant ſatis eſſe manifeſtum. amnes non fluere ob Solis ariditatē, & imbrium defectum. Imbres deficere priuatione humidorum vaporum, qui eleuantur de terra. Ventos eò non pertingere boreales ob longam diſtantiam à polo.

INCLVS. Validiſſimæ videntur mihi hæ rationes, & argumenta.

PROVID. Nihil tamen conficiunt. Primum quidem non ſatis recte videtur ſeparari prima caloris cauſſa à ſecunda. Nam etſi non negauerim eo maiorem in terra calorem concitari, quo propius Sol accedit ad verticem. Videmus enim cum Sol eſt in tropico Cancri, quo tempore radij ferè perpendiculariter deſcendunt, & in ſe ipſos reflectuntur, aerem æſtuare. Præcipua tamen cauſſa eximij illius caloris non ipſe ſimplex eſt acceſſus Solis ad verticem, ſed mora ſuper verticem. Tunc enim cum ab æquatore declinet per gradus 23. cum dimidio, efficitur ut minorem conficiat circulum, tardiuſque moueatur, quam cum reperitur in æquinoctiali. Vnuſquiſque enim circulus circulationem ſuam conficit ſpatio horarum 24. quare quanto eſt minor, tanto mouetur tardius. Accedit quod tunc temporis diutius moratur ſuper terram, minimum latet ſub illa, ferè enim horas 17. Hemiſphærum illuminat. Quando vero ſub Horizonte deſcendit, vix tranſit circulum crepuſculorum; quo fit, ut uel in noctis umbilico noſter Hemiſphærus non omnino ſit Solari lumine deſtitutus. Adde, quod eo tempore Sol per plures dies videtur in eodem loco conſiſtere, idemque itēr conficere, quod valde calorem auget.

Cum

Cum enim tropicum non pertranſeat, ſed cum illum attigerit conuertatur retrorſum (propterea tropicus vocatur ille circulus) euenit vt poſtremi dies in quibus accedebat, & primi in quibus recedit eiuſdem longitudinis eſſe videantur, Solque per eundem parallelum circumuolui. Nam etſi in longitudine ſemper gradum ferè acquirat in Zodiaco, latitudinem tamen parum vel nihil mutet.

INCLVS. Quorſum hæc? PROVID. Quia ex illis patet non adeo vehementes eſſe cauſſas caloris ſub æquatore. Ibi enim nullum horum euenit, etſi Sol ſuper hominum capita vertatur, bis in anno. Cum enim illud fiat cum Sol eſt in initio Arietis, vel Libræ, & in circulo Æquatoris, efficitur vt cito tranſeat, & declinet à vertice, cum eodem die, tum diuerſis. Eodem die quidem, quoniam cum ſit in æquatore, qui maximus eſt circulus, citiſſime, tranſit, ob circuli magnitudinem, quem 24. horarum ſpatio cogitur abſoluere. Cumque tunc temporis multum acquirat Sol in latitudine, poſtero die locum ſenſibiliter mutat, multumque recedit à vertice, quare neque tanti caloris eſt cauſſa. Accedit tertio ad æſtum illum contemperandum, quod ibi perpetuum eſt æquinoctium. Quare frigus noctis æſtum diei retundit; tantum enim poteſt Solis receſſus ad refrigerandum, quantum potuit acceſſus ad calefaciendum. Inſuper tantum refrigerat mora Solis ſub Horizonte, quantum calefacit ea quæ ſupra Horizontem fiebat. Tandem illud maximè poteſt calorem in ea regione minuere, quod eandem viam, quam Sol ſupra Horizontem peregit, eandem inquam peragit ſub Horizonte. ita vt in media nocte incolę illi in centro ſint nocturnæ pyramidis, Sole quammaxime recedente, quod tunc potiſſimum accidit, cum æquatorem percurrit. Quare quod aduerſarij dicebant Solem ibi maiorem moram trahere ſuper hominum capita nullius eſt momenti. Nam maiorem etiam trahit longiſſimè ab illis. Et etiam perpetuo talem noctem facit, quæ diei æquè reſiſtit, illiuſque calorem contemperat, contra quam nobis accidat; quibus cum Sol accedit maximè, longiſſimumque diem facit, noctu minimè recedit, illamque reddit breuiſſimam. Quod autem in ea regione nunquam Sol à vertice diſcedat plus grad. 23. cum dimidio, & hyemem minimè faciat, hoc etiam nullius eſt momenti. Ibi enim cum eſt in Tropicis magis ab eorum diſtat vertice, quam à nobis cum eſt in Tropico Cancri. Ibi enim diſtat grad. 23. m. 30. hic autem grad. 21. m. 30. Et tamen non eſt mortalis habitatio in tam exigua nocte, minimoque Solis receſſu, multo minus erit ibi, ubi perpetuum eſt æquinoctium Hinc & illud patet præter omnem rationem aduerſarios aſſerere regiones illas fluminibus, & imbribus omnino deſtitui, propter ſiccitatem eximiam. Adde quod auctoritate Eratoſthenis, & Polybij mediam plagam imbribus irrigari confirmatur. Arbitrantur enim auctores illi temperatiſſimam illam eſſe.

SITIC. Scio & in tabulis Ptolemæi videri poſſe amnes, & fluuios nonnullos eſſe in tractu Libyæ, plures in Aſiatico proceſſu.

PROVID. Sed nolo nos à ratione, ad experientiam, aut auctoritatem tranſire. Sufficiat nobis nullam eſſe rationem illam, qua imbres,

& flumina ibi reperiri negatur. Addo quod Eteſias, à Septentrionalibus illuc conuolare nubes adigit. INCLVS. At illi negant omnino ventos boreales eò poſſe pertingere. PROVID. Nulla tamen ratione negant. Quod enim dicunt de magna diſtantia, ridiculum eſt. Si enim ad nos perueniunt venti meridionales, quare non & Septentrionales ad mediam Zonam peruenient? INCLVS. Sane ita res habet. Mihi gratiſſimum fuit hæc audiuiſſe. non enim vnquam antea tam exactè rem hanc intellexeram. PROVID. Si accuratius rem hanc uidere cupis Philaltheum legas in ſecundo de Cęlo, in particulari digreſſione, huic tractationi dicata. INCLVS. Neque huic labori parcam.

ODYSSEÆ

Quarto, Verſu cij.

Interdum quidem mentem luctu oblector, interdum rurſus.
Quieſco. Breuis vero ſatietas moleſti luctus.

Et infra Verſu 192.

- - - - - Non enim ego
Delector flens poſt cœnam. Sed cum Aurora
Erit mane genita, nihil moleſtè fero
Flere eum, qui mortuus fuerit, & fatum ſit conſequutus.

Fletum aliquando mentem oblectare; & vnde id fiat, oſtenditur cur mane magis delectet, quam cœna tranſacta.

COLLOQVIVM XII.

INGENIOSVS.

NON ignoro ò Amici Doctiſſimi Didymum explanatorem antiquiſſimum Homeri verbũ τέρπομαι, quod in verſu 92. continetur, ita exponere, vt ſignificet πληροῦμαι. Ita vt illud, quod interpres vertit, delector luctu, ſecundum Didymum intelligendum ſit, impleor luctu; Tamen quidquid ſit de Didymi expoſitione conſtat verbum τέρπομαι propriè idem ſignificare, quod, delector, Latinè. Conſtat etiam homines doloribus, & moeroribus affectos, ſæpenumero conſolatione quadam affici ſi lugeant, animumque quodammodo exhilarari, vt hac ratione damnandus nullo modo ſit interpres noſter. PROVID. Vix credibile eſt in luctu, qui mœroris, & melancholiæ eſt effectus, aliquam reperiri poſſe delectationem. SITIC. Nonne apud Ouidium legiſti aliquando, quod.

Eſt

Eſt quædam flere voluptas,
Expletur lachrymis, egeritúrque dolor?

PROVID. Eſt igitur huius rei cauſſa inquirenda. INGENIOS. Propterea iuſſi ego vt lector noſter hic quieſceret, quia locus iſte aliquam requi- 4. Triſt.
rere conſiderationem mihi videbatur. Quam ergo exiſtimabis ò Princeps Eleg. 3.
eſſe huius tam mirandi effectus cauſſam? PROVID. Ingenioſe, vt video, tu illam excogitaſti, qui etiam annotaſti duo loca in Homero; Quid ergo nos amplius angis, neque ſtatim illam profers? INGENIOS. Dicam ergo, quid mihi dicendum uideatur. Memini me aliquando legiſſe apud Io. Baptiſtam Perſonam, in Commentario illo, quod animi mores corporis temperiem ſequantur, triſtitiam, gaudium, melancholiam, cæteroſque omnes animi affectus, non à cauſſis extrinſecis modo, verum & ab intrinſecis concitari. Sic quidem non modo mors amicorum, aut facultatum iactura triſtitiam pariat, verum etiam abſque huiuſmodi cauſſis videmus illam concitari, ſi tantum humor aliquis, aut vapor melancholicus in cerebro contineatur. Lætitiam non modo fauſtum nuncium affert, verum & vini potio, ſanguiſque bonus intus affluens. Illud præterea conſtat diuturnam melancholiam ab extrinſeca cauſſa concitatam, ſæpe melancholiam morbum parere, quod nulla alia ratione videtur poſſe efficere, niſi generatione melancholici excrementi. Quod ſi triſtitia ſui diuturnitate excrementum melancholicum gignit, certè non tanta eget diuturnitate, vt vapores producat melancholicos. Quid tibi videtur ò Prouide, de hac doctrina? PROVID. Illam ſummopere laudo, videtur enim illa mihi nullo modo recedere à Principijs Ariſtotelis, atque Galeni. Non video tamen quorſum hæc attuleris. INGEN Ex his eluceſcit allati Problematis cauſſa. Qui enim graui aliqua, diuturnaque cauſa mœrore affectus eſt, vtpote ob patris, aut matris mortem, quæ mala non ita cito delet obliuio, hic iam non à cauſſa tantum affligitur extrinſeca, ſed etiam ab intrinſeca. Vix enim fieri poteſt vt multa genita iam non ſit vaporum melancholicorum copia, quæ ſurſum in caput elata, ibique male cogitatricem vexans, triſtitiam ipſa quoque adaugeat. Hic itaque vapor luctu, & lachrymis exprimitur foras, eo modo, quo ſupra ego ipſe dicebam. Non Colloq. 4.
ſolum enim cerebrum ab hac noxia materia exoneratur ea ratione per luctum, quod glandula oculorum per lachrymas propriam humiditatem deponentes, reliquam, quę in cerebro redundat alliciunt, verum etiam, quoniam genitis ex attritione lachrymarum humidis vaporibus, ſurſumque tendentibus ob leuitatem, neceſſe eſt, vt craſſior, grauiorque melancholica exhalatio, quæ prius cerebrum occupabat, deorſum tendat, cedens ſubtiliori, atque leuiori. Hinc itaque fit, vt exonerato capite à materia illa moleſta, triſtitiam adaugente, nos videamur conſolari, & exhilarari, animaduertentes triſtitiæ cauſſam imminui. TVTVS. Equidem hæc ipſa eſt, & non alia huius Problematis ratio. INGENIOS. Non ergo mirum ſi Menelaus poſt reditum à Troia capta domi ſedens, animoque re-

Digitized by Google

uoluens,quot magni viri,in illo bello occubuiſſent, tantum eo profecti,ut in redimenda Helena ipſi ferrent opem , tali iam confectus erat triſtitia,vt flendo oblectaret animum. SITIC. Poſtquam adeo docte de hac ipſa quam quærebamus cauſſa te audiui differentem, rogabo te,vt dicas mihi. Quamobrem Piſiſtratus Neſtoris filius aſſerat,ſe non delectari fletu,ab aſſumpta cena, ſed potius in aurora,vt in verſibus patet, quos ſecundo loco annotaſti. INGENIOS. Sane luctus poſt cęnam eſt vndique moleſtus, & vix fieri poteſt,vt vllam nobis conſolationem afferat, niſi fortaſſe quis pręriſu,quem pocula concitauerint,effundat lachrymas. Sed de his modo lachrymis non loquimur. Euenit igitur,ab aſſumpta cęna,vt viſcera omnia & cerebrum, calidis, humidiſque vaporibus ab epoto vino ſublatis perfundantur, quam quidem perfuſionem læti affectus animi conſequi ſolent. Vnde ſi modo vna cum lachrymis cerebrum ſuaui illa exhalatione exoneretur,id non ſine moleſtia fiet. Sit enim euacuatio moleſti fiebat cum delectatione, & iucunditate, ita euacuatio iucundi & delectabilis cum moleſtia fiet. Quod enim calidi, humidique vapores iucunditatem afferant iam antea Perſona Hoſpes noſter oſtendit. Accedit & illud,quod auctis à cęna ſpiritibus,fuſo ſanguine, exhilarataque anima,vix quis poſſit præ triſtitia lachrymari, niſi forte grauis aliqua, vehemenſque cauſſa accedat,quod certe moleſtiſſimum eſſet. At in Aurora, homines, qui veterem ob cauſſam mœrore ſunt affecti, fletu delectari ſolent. Tunc enim concocto cibo, ceſſanteque omni interna lætitiæ cauſſa, denuo ſe promit cauſſa vetus afflictionis,cerebrumque tunc indiget euacatione non modo vaporum illorũ, melancholicorum, quos illuc triſtitia demandauit, verum & excrementorum eorum quæ præcedens concoctio in illo congeſſit. Tunc ergo à lachrymarum effuſione cerebro exonerato, euenit ut homines exhilarentur. PROVID. Hinc illud colligitur corrolarium non ſemper in pueris ſiſtendum eſſe fletum, neque cum ſine cauſſa plorant. Sępenumero nanque credendum eſt illos perſeuerare plorando,propterea quod luctus illis aliquam afferre iucunditatem videatur. Nec ſine ratione. Cum enim voraciſſimi ſint, caput, & uniuerſum corpus craſſis implent excrementis,ſero, & vaporibus, quibus à luctu imminutis,ipſi pueri,ſibi melius habere videntur,ſicuti & re vera melius habent. INGEN. Ego quoque ita cenſeo.

Cõm. quod animi mores.

ODYS-

O D I S S E Æ

Quarto, verſu ccxviij.

Ibi tum alia excogitauit Helena Ioue genita
Protinus nanque in vinum miſit Pharmacum, vnde bibebant
Nepenthes, i. abſq. dolore faciẽs, & ira, malorũ obliuionẽ inducẽs
Qui illud deglutierit, poſtquam crateri mixtum erit.
Non poterit profundere vnquam lachrymas
Neque ſi ei mortui fuerint, materque, paterque.
Neque ſi ei coram fratrem, aut charum filium
Ferro trucidarent, ipſe vero oculis videret.

Quid ſit medicamentum Nepenthes, & qua ratione tam mirabiles effectus producat.

COLLOQVIVM XIII.

TVTVS.

QVID vobis videtur, Amici, de tam mirando Pharmaco, quale hic nobis pingit Homerus? ANONYM. Ego certe ſuſpicor fabulam hanc eſſe poeticam; Vix enim adduci poſſum ut credam, tantæ virtutis reperiri poſſe medicamentum vllum, quantæ Homerus aſſerit. TVTVS. Et tamen ſi vlla fides habenda eſt Hiſtoricis eximiæ famæ, prorſus credendum eſt, tale aliquod medicamentum reperiri.

ANONYM. Qui ſunt Hiſtorici illi, qui de huiuſmodi re loquuntur? TVTVS. Paulus Iouius, in libro illo, quem de rebus Turcicis in ſcripſit, In vita Selimi Turcarum Imperatoris, qui ad Imperium ſcelerosa via peruenit Anno Domini MDXII. hæc habet verba. Porro conſueuerat Selimus (vt ex Sereniſſimo Griti Venetiarum Duce accepimus) nonnunquam edere ſemen quoddam Turcis notum, quod rerum ſeriarum, & moleſtarum memoriam hominibus adimit, eoſque liberos, ac iucundos per aliquod horas efficit. Id quod ipſe efficiebat, ne profundius grauioribus cogitationibus inhæreſceret, ſed ad oblectandum animum aliquod temporis ſpacium haberet. Hæc Iouius. Quæ quidem à veritate non abeſſe, tanti Herois, quantus Andreas Gritius extitit, auctoritas, ſatis comprobat. Id ergo ſemen forte Nepenthes erat illud, de quo

hic loquitur Homerus. INCLVS. Ex hæc ergo breuicula Hiſtoria, poſſumus, & illud colligere, ineptè nonnullos arbitrari, quod medicamentum illud Helenæ, nil aliud fuerit, niſi illa iucunda narratio, qua mœrorem illa diſcuſſit. Fruſtra enim locum hunc in elligunt metaphoricè, cum abſque metaphoris intelligi poſſit. TVTVS. Certe decipiuntur. Sed quidnam illud fuerit pharmacum hactenus uidetur incertum, ita ut dici poſſit omnino ignorari. SITIC. Sunt qui dicant illud eſſe Bugloſſam, fortaſſe moti Galeni Auctoritate, qui de Bugloſſa verba faciens inquit, Bugloſſam calidæ, humidæque eſſe temperaturæ. Itaque vinis iniectam, lætitiæ, & hilaritatis cauſſam creditam
6. Simpl. eſſe. Quibus verbis putant Galenum indicaſſe Bugloſſam illud fuiſſe
medicam. Nepenthes, de quo illud Homerus cecinit, vino potum curas omnes hominibus adimere.

TVTVS. Facile refellitur hæc ſententia. Quanquam enim negandum non eſt Bugloſſam cum calidę, humidæque ſit temperaturę inſuper & cordi ſit amica, vim habere exhilarandi animum: conſtat tamen non tantam ei uim ineſſe, vt mirificos illos effectos, quos de Nepenthe ſuo Homerus decantat producere poſſit. ANONYM. Ego aliter ſentio; probabiliorem enim puto eorum opinionem, qui hoc Nepenthes Helenium eſſe putant, ipſius Helenę nomine prædicatum, quod & νεκτάριον
Lib. 5. cap. 44. appellari ſcribit Dioſcorides. Vnde νεκταρίτης οἶνος, vinum ex nectarin, ſiue Helenio præparatum. Sic & Plinius aſſerit, inquiens. Inuenitur & vi-
Lib. 14. cap. 16. num Nectarites, & herba, quam alij Helenium, alij Medicam, alij ſymphytum, alij Ideam, & Oreſtion, alij Nectaream vocant. Quod quidem vltimum nomen ea fortaſſe de cauſſa ſortitum eſt Helenium; quia cum hominibus omnes curas, & moleſtias adimat, quiddam videatur habere Diuini; Deus enim longe eſt a doloribus omnibus & curis. PROVID. At quod neque Helenium ſit illud Nepenthes Homeri, Braſauolus videtur
De ſimpl. medic. perſuadere, immo poeticum figmentum facit, quod hoc loco ſcribitur ab Homero. Nam & ipſe recipiens Helenium à nonnullis credi illud Homeri ἄχολον pharmacum, inquit ſe nunquam illud expertum fuiſſe, & ſi ſexcenties comederit, ita vt fabulam hanc poeticam eſſe exiſtimet. TVTVS. Errauit tamen mea ſententia Braſſauolus, in eo, quod omnes Helenij ſpecies ſub vna confudit; quam inquit in Ferrarienſibus montibus notiſſimã, & frequentiſſimam eſſe: cum tamen plures reperiantur Helenij ſpecies, neq; omnes oriantur in Italia. PROVID. Hoc nihil ad rem noſtram, ſufficit Helenium non eſſe Nepenthes Homeri, quod Braſſauolus docuit. TVTVS. Immo ſpecies eſt quædam Helenij, non tamen illa, de qua locutus
Lib. 1. ca. 27. eſt Braſſauolus. PROVID. Quænam ergo? TVTVS. Animaduertendum, tres ſolere Helenij ſpecies afferri. Duas Dioſcorides attulit, tertiam Theophraſtus. Prima quidem ſpecies à Dioſcoride relata planta eſt
6. Simpl. vulgaris notitiæ, & in Italia frequentiſſima, de qua Galenus loquens
medicam. ait, eius radicem maximè vtilem eſſe, non primo ſtatim occurſu ex calfacientem; Et proinde dicendam non eſſe calidam, & ſiccam exactè,

ceu

Digitized by Google

ceu piper tum atrum,tum candidum,ſed cum recrementitio humore. Quā proinde inquit valere ad expectorandos craſſos, viſcidoſque humores, ad ſanandoſq; morbos a frigidis, humidiſque excrementis ortos. Quæ ſit eius figura ſatis patet apud Dioſcoridem. Altera de qua loquitur Dioſcorides Helenij ſpecies, illa eſt,cuius inuentorem Crateuam facit,quæ in Ægypto gignitur,ita vt Ægyptia dici poſſit. Herba eſt cubitalibus ramis, ſerpilli modo per humum repentibus, folijs lenticulæ circa ramos, ſed longioribus, crebriſque, radice pallida, digiti minoris craſſitudine per ima tenui, ſupernè craſſiore,cortice nigro. Naſcitur in maritimis,collibuſque,De hac Matthiolus inquit in Italia illam nō prouenire,neque ad nos deferri.Quod quidem non abeſſe à veritate ſatis comprobant illi,qui nuperrimè, & dili- *Lib 7. ca. 39.* gentiſſimè omnium Plantarum Hiſtoriam tractarunt. Huius enim Helenij figuram oculis ſubijcere volentes,tanquam illud nunquam viderint,pictu ram quandam afferunt, Dicentes Helenium Ægyptium a Crateua relatum tali picturæ potius, quam alteri plantæ aſſimilari quoſdam exiſtumaſſe. INGEN. Hic certè loquendi modus ſatis apertè confirmat viros illos doctiſſimos aut nunquam,aut raro admodum huiuſmodi plantam vidiſſe,cū quicquid de illius figura in medium afferunt, ex aliorum referant opinione. TVTVS. Credendum ergo eſt tale Helenium non in Italia modo, ſed neque in Europa deferri,niſi rarò admodum; naſci vero nunquam. Tertia Helenij ſpecies, quam Theophraſtus retulit, eſt Helenium φρυγανῶδες; quod odoratum Theophraſti communiter nuncupatur. Hoc nihil aliud eſt quam genuinum Marum, Herba odorata multum, & quæ Amaracum admodum odore ſuperat,valdeque redolet Galeno teſte. Quod ſi cui videa- *1. de anti.* tur minus noſtrati Maro congruere,ſaltem non reſpuat, inquit Petrus Pęna Syriacam, quæ gratiſſimo, & vegeto eſt odore,immo & facie tota maioranam præfert, aut origanum, ſed gracilioribus,non breuioribus pedalibus, & ſeſquipedalibus ſarmentis, minoribus capitulis,& folijs, etiam decimū fermè annum, ex quo Venetijs Aleppo Syriæ ſe habuiſſe ille affirmat odoris fragrantiam retinentibus. Vnde conſtat hoc tertium Helenium Theophraſti,ab Ægyptio Crateuæ non parum differre, quod hoc quidem nō ita multum odoris obtineat,illud vero ſit odoratum multum. PROVID. Quam putas harum trium ſpecierum Nepenthes eſſe? TVTVS. Prima quidem Dioſcoridis non eſt. Hæc enim vt Braſſauolus annotauit,nullam vim habet triſtitiam,& iram hominibus adimendi.Immo acre cum ſit Helenium illud,Galeno teſte,iram potius adaugebit irritando cor ipſum,ſpi- *5. de compoſ.medic.* rituſque, & ſanguinem accendendo. Neque illud Theophraſti eſſe poteſt; *2 genera. 2.* propterea quod illius facultas Auctore Dioſcoride, ſubadſtrictoria ſit, & modice calfaciens.Cum tamen ea,quæ lætitiam ſolent concitare,id præſtēt *li.3.c.42.* relaxando, ſanguinemque fundendo,calore,& humiditate.SITIC.Fortaſſe diceret aliquis effectus illos,quos de Nepenthe Homerus prædicat,a tota ſubſtantia prouenire,non ab euidenti aliqua qualitate medicamenti.Vnde nullius momenti rationes eſſent illę, quæ modo adductæ ſunt,ad indicandum primam,neque tertiam Helenij ſpeciem Nepenthes non eſſe.TVTVS.Eſto quod Nepenthes hæc præſtat tota,vt aiunt,ſubſtantia,illud ſal-

tem

tem non abſque temeritate aliqua dicitur quod hoc vel illud Helenium talem dicatur vim habere, cum contrarijs præditum ſit qualitatibus; potiſſimum autem, quia inter Helenij ſpecies reperire eſt aliquam, cuius qualitates aptæ ſunt adiuuare effectus illos. PROVID. Quænam ergo hæc erit ſpecies? certè ſecunda. Nonne? TVTVS. Ipſa profecto. Idq; non leui aliqua ratione puto me tibi perſuaſurum. Primum quidem ſecunda illa Helenij ſpecies Ægyptia dicitur, quod primæ, neque tertiæ conceditur; ſola enim ſecunda in Ægypto prouenit. At ex Homero conſtat Helenæ Nepenthes ex Ægypto delatum fuiſſe; ſubdit enim,

Talia Iouis filia habebat Pharmaca vtilia
Bona; quæ illi Polydamna præbuit Thonis vxor,
Aegyptia, quæ plurima producit fertilis terra
Pharmaca; plurima quidem ſalubria mixta, multa lethalia.

Ex quibus conſtat, illud quoque quod crateri miſcuit hoſpitum Nepenthes in Aegyptia terra productum fuiſſe. INCLVS. Nunc mihi in mentem
Libro 25. venit quidam Plinij locus, in quo hoc ipſum ille quoque dicit. Legamus
cap. 2. locum. Homerus (inquit) primus doctrinarum, & antiquitatis parens gloriã herbarum Aegypto tribuit, cum etiam quæ rigatur Aegyptus illa non eſſet, poſtea fluminis limo inuecta. Herbas certè Aegyptias a regis vxore traditas ſuæ Helenæ plurimas narrat; ac nobile illud nepenthes obliuionem triſtitiæ, veniamque afferens, & ab Helena vtique omnibus mortalibus propinandum. Antea vero dixerat Helenium e lachrymis Helenæ naſci creditũ,
Lib. 21. ca. & ideo in Helena inſula laudatiſſimum prouenire. Et alibi ait, eidem He-
10. lenio in vino poto attribui effectum illum hilaritatis, quẽ Nepenthes illud
Libro 21. habuit prædicatum ab Homero, quod triſtitia omnis aboleatur. Succi eſſe
cap 21. prædulcis; Prodeſſe orthopnoicis, radicem eius in aqua ieiunis potam. Si ergo Helenium aliquod eſt Nepenthes certe nõ aliud erit quam Ægyptiũ.
Pandect. TVTVS. Serapion, referente Mattheo Syluatico, aſſerit in Babylone (hoc
cap. 237. autem eſt in Ægypto, vt aſſerit Strabo li. 17.) Helenium quoddam eſſe tam miris virtutibus præditum, vt mœrorem omnem, & triſtitiam auferat cum vino potum, illiuſque dicit eſſe imaginis, quam ſupra ex Diſcoride retulimus, calidumque & humidum inquit eſſe. Si ergo volumus ad nomen illius reſpicere, quæ Nepenthes propinabat, hæc cum fuerit Helena, aliquod ex Helenijs illud erit. Si ad locum ex quo dicitur illud Helena tranſtuliſſe, Ægyptium erit. Si ad illius qualitates, quibus id efficere potuit, erit illud ipſum; non modo Scriptorum auctoritate id confirmante, verum etiam ratione. Calidum enim, & humidum illud eſſe Serapion ait; Plinius vero inquit radicem eius eſſe prædulcem, quod idem eſt. Dulcia enim omnia ca-
4. Simpl. lida quidem ſunt, humida etiam plus minus ve, Galeno auctore. At dulciũ
cap. 19. calor non immodice calorem noſtrum exuperat, ſed velut aqua calida ſuo
4. Simpl. contactu voluptati eſt, fundendo laxandoque partes, vt Galenus docebat;
cap 9. ita dulcia quoque intus aſſumpta eaſdem in internis partibus alterationes parere apta ſunt; vnde cor ipſum laxant, ſanguinem fundunt, & ſpiritus, cũ-

que

que ſint amica naturæ augent hæc omnia, & potiſſimum ſi cum vino ſumantur. At cum hæc fiunt, & præcipuè ſi repentè fiat, iam conſtat lætitiam ſuboriri, nulla externa cauſſa concurrente. INGEN. Sane ſi verum eſt Helenium hoc prodeſſe orthopnoicis, vt dicebat Plinius, neceſſe erit vt cor quoque laxet, & ſanguinem fundat, & ſpiritus, calore, & humiditate. TVTVS. Hęc autem, quæ dixi, non in eum ſenſum accipi velim, vt credam a huius pharmaci temperie, tam mirandos effectus prouenire; immo cenſeo vna cum temperamento hoc, ſubſtantię quoque familiaritatem concurrere, ſed illud tantum volui indicare, hoc Helenium verius dici Nepenthes, quam vllum aliud, eo quod illius qualitates primæ, & ſecundæ, non modo effectui, qui de illo prædicatur non aduerſentur, vt in aliis Helenij ſpeciebus contingebat, ſed potius auxilientur non parum. SITIC. Quid modo nobis prodeſt, hęc de huiuſmodi pharmaco diſſeruiſſe, quãdo hodie ignota eſt omnino hæc herba, præſertim apud nos; Id ſaltem Valerius Cordus teſtatur, & experientia confirmat. Si enim quis illa potiretur, id vniuerſæ Italiæ notum eſſet, ob effectus admirabilem præſtantiam, & nobilitatem. *In. 1. Dioſc. cap. 27.* PROVID. Hòc ego nunquam conceſſerim. Dum enim ego eſſem Patauij, Bernardinus Petrella, bonæ memoriæ, qui tunc Logicam è prima ſede interpretabatur, oſtendit mihi radiculam quandam, eiuſdem prorſus figuræ, magnitudinis, & coloris, qualis deſcribitur à Crateua, quam dicebat ſe à Melchiore Guilandino recepiſſe, qui parum antea vitam cum morte commutauerat. Et quia admodum me amabat optimus ille ſenex, videbatque me plus ſolito melancholicum, coegit me præcibus, vt tantillum illius radicis in puluerem redactę biberem cum vino, quod ipſe efferri iuſſerat. Mirabile dictu; Epoto vino illo, tranſactaque horæ circiter octaua parte, continere me non potui, quin domo exirem, Ceram autem domi ſuæ) totumq; ferè Patauium circuirem ita lætus, vt quicunque me videbat, putaret ebriũ eſſe, ſicuti poſtea multi mihi retulerunt. Cumque hæc poſtmodum ego illi narraſſem, ſubridens reſpondit, hoc fuiſſe illius pulueris effectum, quam ille mihi vna cum vino bibendam tradidit. Dicebatque Helenij genus quoddam eſſe, quod ex Ægypto delatum fuerat. Vnde minimè dubito quin illud ipſum fuerit Nepenthes, de quo hactenus locuti ſumus. TVTVS. Credendum prorſus.

ODYS-

ODYSSEÆ
Quarto, verſu ccxxx.

Medicus vero vnuiſquiſque peritus ſupra omnes Homines.

Medicinam proprie ſcientiam non eſſe, non acquiri tamen ſine præ exiſtentibus præſtantioribus ſcientijs. Optimum medicum iurè dici ab Homero ſcientem ſupra omnes homines.

COLLOQVIVM XIIII.

PROVIDVS.

POSTVLAT Omnino locus hic, ò Amici, poſtulat & Hoſpitis noſtri liberalitas, ut hic aliqua dicamus de Nobiliſſimæ Artis Medicæ præſtantia, & dignitate, quam tanti feciſſe videtur Sapientiſſimus Homerus noſter, & Parens doctrinarum vt non hoc loco tantum ipſam ſummis laudibus efferat, verum & alibi veritus non ſit appellare Medicum, hominem æqualem Deo. Sic enim in quarto Iliados Machaonem vocauit inquiens.

Hic autem in medijs aſtitit, æqualis Deo vir
Statim autem ex cingulo bene compacto extraxit ſagittam.

SITICVLOSVS. Quam gratũ erit mihi tales viros de re hac differentes audire. Ego nunquam, quod ſciam, quempiam legi, aut audiui de Medicinæ præſtantia loquentem vno excepto Io. Baptiſta Poſſeuino, Mantuano, in ſuo Dialogo Honoris, qui potius videtur mihi medicos deridere, vilique in loco collocare. Immo ipſe quoque videtur Homeri auctoritate ſtatuere, totam medici peritiam, & excellentiam conſiſtere. *Lib. 4.*

In curar piaghe, & Medicar ferite.

Ideo Medicinam omnibus fere facultatibus, immo & arti militari inferiorem facit, in nulloque ferè prætio habendam cenſet. INCLVS. Locus eſt Homeri in xi. Iliados, vbi ſic habet.

Medicus enim vir dignus præ multis alijs,
Sagittaſque præcidere, & mitigantia medicamenta
Spargere..

Quem

Quem fortaſſe locum Poſſeuinus Italico illo carmine ſignificauit. Tamē non ſine malignitate quadam videtur mihi illa Homeri loca omiſiſſe, in quibus antiquus, ille ſapiens ſtatuit Medicum hominem cæteris ſapientia præcellere, & Deo æqualem facere; afferre autem illum tantummodo, in quo non ita multa de Medicinæ laudibus dicuntur. ANON. Certè imperitiam,& in medicos maleuolentiam non mediocrem ita detexit. PROVID. Quid dicemus de toto illo libro ſuo? quid excogitari magis impium, magiſque à recta Philoſophia alienum. Nonne ibi ſumpſit comprobandum ſingulare certamen(vulgo Duello) quod iuſtum, ſanctum, iudicium Dei impiè vocat? Sed relinquamus hunc hominem;eruditiſſimus enim vir Io. Baptiſta Suſius libro de Iniuſtitia ſingularis certaminis abundè illius viri imperitiam,& arrogantiam demonſtrauit, oſtendens eum non Philoſophū eſſe, ſed videri velle. Nunc Homeri dictionem hanc proſequamur, in qua medicum ſtatuit ſapientia cæteris hominibus antecellere. Videamus qua ratione oſtendi iſtud poſſit. ANONYM. Si nos velimus Didymi expoſitoris dictionem conſiderare, non ita multum medicis fauet hic locus. Hic enim exponēs dictiones illas(ἰήτρος δ' ἕκαστος, (Medicus vnuſquiſque)ait. ἕκαστος τῶν ἐκεῖθι ἰατρῶν ὑπὲρ τοὺς ἄλλους ἐστὶν, ἐπεὶ Παιήονος ἀπόγονοί εἰσι. ideſt. Vnuſquiſque medicus eorum.ſ.qui ibi ſunt(ideſt in Ægypto)ſupra omnes alios homines exiſtit ſapiens quoniam illi à Pæone originem ducunt. Conferret ergo Homerus hoc loco medicos Ægyptios cum hominibus aliarum nationum, dicens illos excellere, quia à Pæone deſcendunt. INCLVS. Violenta nimis eſt hæc expoſitio. Conſtat enim Homerum conferre medicos cum aliȷs hominibus,qui medici non ſunt; non autem Ægyptios,cum iȷs,qui aliarum ſunt regionum. PROVID. Immo,& ſi admittatur,non per eum ſtabit,quin Homerus vnumquenque medicum ſtatuat cęteris omnibus ſapientiorem. ANON. Non video talem conſequentiam. PROVID. Statuit Didymus Medicos Ægyptios,cæteris,qui Ægyptiȷ non ſunt ſapientia præcellere. Nonne? ANON. Ita. PROVID. At in Agypto non deerant Rhetores,Poetæ,Aſtrologi,Philoſophi,aliȷque ſapientes viri, cur hos omnes ſubticēs ſolos Medicinæ profeſſores nominauit, dicens hos eſſe aliȷs hominibus ſapientiores. Certè id altera duarum cauſſarum factū fuit. Vel quia exiſtimabat Medicam facultatem cæteris ſcientiȷs cognitione, & dignitate præcellere, (quod illum negaturum ſuppono) aut quoniam Ægyptiȷ illi medici non in medicina tantum excellebant, ſed & in cęteris quoque ſcientiȷs & facultatibus. ANON. Hoc veriſimile magis videtur. PROVID. At ſi verum hoc eſt, cur eoſdem homines ab aliqua alia facultate non denominauit,vt ab Aſtrologia Aſtrologos,aut à Philoſophia Philoſophos?dicens Aſtrologos, aut Philoſophos Ægyptios eſſe omnibus hominibus ſapientiores? Reſponde queſo Anonyme? ANON. Non aliud ſuccurrit,niſi fortaſſe dicam,ea de cauſſa factū eſſe, quia non omnes Aſtrologi Ægyptiȷ Medici eſſent, non omnes Philoſophi medici, non omnes Geometræ medici, ſed tamen omnes medici eſſent & Aſtrologi, & Philoſophi,& Geometræ. PROVID. Rectiſſimè. At vnde hoc eueniebat? Non aliunde certè mi Anonyme,niſi quia & in Ægypto illi,qui Medicinæ operam

tam dabant, erantque illi penitus addicti, cæteras etiam facultates, celebrioresque ſcientias addiſcebant, vt Medicinam recte, & inculpatè exercerent. Vnde illos exiſtimandum eſt credidiſſe, quod reliquæ facultates, & ſcientiæ, non parum Medicinæ conferrent, ita vt ex illarum ſocietate, & Medica cognitio certior, & operatio perfectior euaderet. Hoc autem tranſit in ipſius Medicæ facultatis dignitatem, & exiſtimationem, quod ſcilicet eiuſmodi facultas illa ſit ad cuius perfectionem, perfectumque exercitium reliquæ ſcientiæ omnes, aut ſaltem præſtantiores aliquid conferant, ita vt ſine illis præexiſtentibus acquiri nunquam poſſit. SITIC. Hac ratione videris è Prouide, ſtatuere Philoſophiam, cæteraſque præſtantiores ſcientias in Medicinam tanquam in finem referri, eidemque ſubalternari. Cauene in hoc abſurdum incidas. PROVID. Caue ne putes idem eſſe Philoſophiam, aut aliam ſcientiam Medicinæ ſubalternari; & Medicinam non acquiri ſine præexiſtente Philoſophia, aliiſque ſcientiis. SITIC. Mihi idem videntur. PROVID. Ergo dicemus & formas naturales rerum, quæ ſunt ſubſtantiæ referri in accidentales, & artificioſas, quia hæ nunquam introduci in materiam poſſunt, niſi præexiſtente forma ſubſtantiali. Caue ne in hoc abſurdum incidas. SITIC. Cautior profecto ero in poſterum in arguendo Principe meo. Interea tam ſuaui fructu potiar, quem peperit imprudentia mea. INCLVS. Quid tibi videtur ò Prouide, de illa altera Didymi expoſitione, quam ſubdit inquiens. γράφεται δὲ περὶ πάντων φαρμακευτῶν, οὐ γὰρ παντες ἴσασι πάντα? PROVID. Quis non videt abſurditatem expoſitionis huius? Homerus inquit περὶ πάντων ἀνθρωπων. Didymus exponit περὶ πάντιον φαρμακευτῶν. Violentiſſima expoſitio. Dicamus liberè Homerum hoc loco ſtatuere Medicum (intellige perfectum, quique meritò ſuſtineat nomen Medici) ſupra omnes homines eſſe ſcientem (id enim propriè indicat dictio ἐπιστάμενος) & doctiorem. Illud autem conſideremus quantum veritatis contineat hæc Homerica ſententia. INCLVS. Sane duo ſunt, in illis verſibus, quæ difficultatem non mediocrem faciunt. Primum quidem dictio ἐπιστάμενος, ideſt ſciens; ſecundum id quod addit περὶ πάντων ἀνθρώπων, ſupra omnes homines. Niſi hæc duo rectè declarentur, non arbitror locum hunc rectè intelligi poſſe. PROVID. Eia quid moramur? INGEN. Ego non video, quæ difficultas eſſe poſſit in dictione ἐπιστάμενος. INCLVS. Si Homerus medicos ſcientes vocat, ergo & Medicinam ſcientiam appellabit. INGEN. Quid ni? INCLVS. Attamen ſcientia non eſt. Eſt enim euidens apud Ariſtotelem differentia inter ſcientiam, & Artem,
6. Et hic. quod ſub ſcientiam cadunt ea tantummodo, quę neceſſaria ſunt, & æterna;
c.3.'& 4. & Ars eſt eorum, quæ aliter euenire poſſunt, & ſunt contingentia. Et alibi
2.meta.1. dicit, quod finis ſcientiæ eſt veritas, ideo cognitio veritatis, finis autem Artis eſt opus; ideo actio aliqua, aut actionis effectus, derelictus poſt ipſam. Quæ ſi vera ſunt, conſtat Medicinam artem eſſe, non ſcientiam. Verſatur enim illa circa corpus humanum, quatenus eſt ſubiectum mutationibus, & poteſt aliter ſe habere; habetque medicina pro fine valetudinem; quæ valetudo non eſt veritas, ſed opus medici, remanens poſt actionem; ita vt non
Cap.3. modo ars dicenda ſit, ſed ars factiua; vt & Galenus ſentit in libro de Con-

ſtitutione

ſtitutione Artis medicæ. Hanc eandem ſententiam & Ariſt. confirmauit, di- 1. Ethic. 1.
cens valetudinem eſſe finem medicinæ; ſic illam conſtituens artem. Hippo-
crates etiã in libro Legislatorio ſtatim vocat Medicinam Artem, inquiens,
Medicina Ars cunctis profecto Artibus præſtat. Galenus etiam ipſe apertè
facit Medicinam artem, non ſcientiam, non modo in citato loco, ſed & ali-
bi ſæpe. Inquit enim finem eius non eſſe veritatis contemplationem, ſed a-
ctionem, & opus. Omnis enim propoſitio non docens vel pręſagire, vel cu-
rare ſophiſtica eſt in medicina, & à medicina aliena, vt patet in 1. Epide-
miorum. Et alibi habet hæc verba. Voco autem ſophiſtica, quæ nihil ad
melius curandum conferunt. Auctor etiam Introductorij, qui Galeno teſte, 1. Prorr.
Herodotus fuit ſic ait. Aberrant qui Medicinam eſſe ſcientiam autumant. com 32.
Scientia enim eſt conueniens, firma, & à ratione non declinans notitia. Ea 1. ſect.
vero neque apud Philoſophos eſt, præſertim cum rerum naturas inquirũt. com 31.
Multo ſane minus in re medica, immo ne omnino quidem ad homines ve-
nit. Hanc eandem ſententiam tuetur Valleſius eo argumento, quod Medi- In artic.
cina ſit de rebus, quę aliter poſſunt euenire, non poteſt medicina ſanitatem med. c. 1.
omnibus reſtituere. Sic Valleriola in primo locorum communium, ſic Tur-
riſanus in Artem medicam cap. 1. Sic alij complures ſtatuũt eo potiſſimum
argumento ducti, quod Hippocr. libro de flatibus inquit Medicinam eſſe Cap. 2. &
πρόσθεσιν καὶ ἀφέρεσιν, additionem & ſubtractionem. Additionem quidem 7.
deficientium, ſubtractionem redundantium. Quam Medicinæ definitionẽ
Gal. in xi. methodi amplectitur, & comprobat. Ex illa vero colligitur Me-
dicinam ſcientiam non eſſe, ſed Artem. Si ergo Ars eſt Medicina, non ſcien
tia, non videtur recte Homerus appellaſſe Medicos ἐπισταμένους. Scire
enim illud quod definitur ab Ariſt. quod ſit rem per cauſſam cognoſcere,
Græcè ἐπίστασθαι dicitur. Quare Medici ἐπιστάμενοι rectè non dicentur.
INGEN. Ego aliter ſentio; putoque rectè vocaſſe medicos ἐπισταμένους, 1. Poſt. 10.
ſcientes, quia ipſe nouerit Medicinam ſcientiam verè eſſe. Sane Ariſtoteles
in 6. Ethic. non raro medicinam numerat inter ſcientias. Galenus etiam di- Ad Tra-
cit illam ſcientiam eſſe ſalubrium, & inſalubrium. Herophilus etiam ita ſib. cap. 8.
definire illam ſolebat, quod eſſet ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neu-
trorum. Nec deeſt ratio in confirmationem. Primo quia nunquam quis me-
dicus euadet, niſi intelligat, quæ ſit humani corporis cõſtitutio, ideo quod
illud non vnumquid ſimplex ſit, aut ex atomis conflatum, ſed ex quatuor
elementis conſtitutum. Neceſſe inſuper eſt, vt ſciat quæ, quotque ſint homi
nis facultates, & functiones, harumque differentiæ; quæque ſit ipſius diffe
rentię, & varietatis cauſſa. Hoc enim ignorato, nunquam cognoſcet quomo
do, aut à qua cauſſa functio, aut operatio lædatur. Niſi autem hoc intelli-
gat quomodo morbos curabit, qui cauſſæ ſunt læſæ actionis? Amplius co-
gnoſcere oportet, qua ratione morbus tollatur; at hoc requirit notitiam in-
dicationis, quæ eſt per contraria. At hæc omnia ſub ſcientiam cadunt, ſunt-
que res neceſſariæ, & æternæ. Quare medicina dici ſciẽtia debet. INCLVS.
Erras Ingenioſe. Nam medicinæ illa pars, de qua loqui videris, quæque in
affectuum cognitione verſatur, & per ſigna procedit (quæ ideo σημειωτικὴ
dicitur) coniecturalis eſt prorſus, non autem propriè ſcientia; ſigna enim
nonnunquam

Digitized by Google

nonnunquam fallunt. I N G E N. Deciperis tu ò Incluſe.Hoc enim tantum monſtrat Medici defectum non Medicinæ.Equidem vnuſquiſque morbus propria habet ſigna quibus ab omni alio diſtinguitur, & neceſſario illum conſequuntur tanquam propria paſſio,per quæ etiam conſequentia neceſſaria à poſteriori cognoſci poteſt.At hęc ſigna non dignoſcuntur à Medico, non alia de cauſſa,niſi ob imbecillitatem intellectus noſtri,cuius illa eſt natura vt ea,quæ vel minimæ entitatis ſunt,vel etiam maximæ, & perfectiſſimæ difficillimè intelligat ob commercium, quod habet intimum cum ſenſibus.Non tamen hinc ſequitur quod non adſit,& de huiuſmodi ſignis, & eorum cauſſis vera ſcientia,quæ alia non erit,niſi medicina. T V T V S. Simili argumento probat Hippocrates Medicinam d ri;& ſi nonnulli conualeſcant, qui tamen medicis vſi non ſunt, aut ſi vſi ſunt, illis tamen non paruerunt. INGEN. Optimè dicis. Adeſt enim ipſa doctrina,licet Medici illi eam non intelligant. Sed aliud addo argumentum ad principale propoſitum,& eſt huiuſmodi.Medicina ſubalternatur Philoſophiæ Naturali. At Philoſophia Naturalis eſt ſcientia.Ergo & Medicina ſcientia erit.Quid dicis ad hoc Argumentum Incluſe. INCLVS. Ego nego maiorem. INGENIOS. At illa eſt Ariſtotelis, qui ſtatuit Philoſophum prima cognoſcere principia ſanitatis,& morbi,& deſinere in ea,quę ſunt Medicinę. Medicos autem ſuam incipere doctrinam ab ijs,quæ ſunt Philoſophica.Vnde colligitur Medicinam Philoſophiæ ſubalternari.INCLVS. Apparet equidem, quodammodo. At vellem adhuc euidentius comprobari, Medicinam reſpectu Philoſophiæ conditiones habere ſcientiæ ſubalternatę. I N G E N. Quænam ſunt illæ conditiones. INCLVS. Duas habere debet conditiones illa ſcientia,quę alteri eſt ſubalternata.Prima,quod ſubiectum ſubalternatæ contineri debet ſub ſubiecto ſubalternantis. Ideo Perſpectiua, cuius ſubiectum eſt linea viſualis verè dicitur ſubalternari Geometriæ,cuius ſubiectum eſt linea abſolutè.At linea viſualis,continetur ſub linea abſolutè ſumpta. Altera eſt, quod principia ſcientiæ ſubalternatæ non ſunt per ſe nota, ſed demonſtrari poſſunt per ſcientiam ſubalternantem.Veluti perſpectiua multa ſupponit,quorum declaratio petenda eſt à Geometra. I N G E N. Et ego affero vtroq; horum duorum modorum Medicinam ſubalternari Philoſophiæ Naturali. Primo quidem modo, quoniam corpus humanũ,quod eſt Medicinæ ſubiectum continetur ſub corpore naturali. quod eſt ſubiectum Philoſophię Naturalis. Secundo etiam modo videtur ſubalternari, per ea, quę dixit Ariſtoteles Medicinam ſcilicet incipere à Philoſophia. Quod vidit & Auicenna dicens Medicum ipſum ſupponere exiſtentiam elementorum; hęc autem probare quod ſint non eſſe Medici, ſed alterius, nempe Philoſophi. INCLVS. Certe non ſpernenda hęc argumenta; neque ſatis ſcio in quam partem huius controuerſię concedam. S I T I C. Ego ita puto hanc controuerſiam dirimendam. Ars,& ſcientia ſumi poſſunt vel latius,vel preſſius.Quomodo ſumantur preſſius,dictum eſt ſupra.Latius autem ſumuntur prout idem ſignificant. Artis enim nomen ad contemplatorias etiam ſcientias ſe extendit,Galeno teſte,qui & Aſtrologiam,& naturalem ſcientiam ſub nomine Artis comprehendit,quę tamen contemplatiuæ ſunt

2. Metaphys. ca. 1.

De Priſ. Medicina.

De ſenſu & ſenſ. cap. 1.

Pererius libro 1. de Philoſophia c. 16.

Pererius 2. de Nat. Phil. ca. 4.

De conſt. art. 2.

ſunt ſcientiæ. At ſcientiæ etiam nomen ſumitur, prout & artem ſignificat, cuius finis eſt actio vel opus, vt videre eſt apud Ariſtotelem dicentem omnem ſcientiam vel eſſe contemplatiuam, vel actiuam, vel factiuam. Dico ergo, quod Medicina eſt Ars, & Scientia lato modo. At ſi preſſe non ita ſumantur, tunc diſtinguam de Medicina. Nam ſi de parte illa loquamur, quæ Theoretice vocatur, hanc eſſe ſcientiam aſſero. verſatur enim hæc circa cognitionem rerum neceſſariarum, cuiuſmodi ſunt cauſſæ rerum naturalium, & præternaturalium, methodique vniuerſales tam curandorum morborum, quam conſeruandæ ſanitatis. Hæc enim omnia compræhendit pars ipſa Theorica. At ſi de Practica loquamur, hanc dicere oportet artem eſſe. Verſatur enim circa particularia contingentia, & eius finis eſt actio, vel opus. Hæc conficit particularium morborum medicamenta, Hæc dignoſcit ex tactu pulſuum differentias, hæc denique verſatur circa particularia corpora, morbos, cauſſas, habetque pro fine Socratis ſanitatē, non Hominis. PROVID. Solutio primo aſpectu probabilis, non tamen bona. Nam etſi id quod dicitur Scientiam & Artem lato modo ſumi poſſe, concedi poteſt; Medicinam tamen diuidi in Theoricam, & Practicam non ſatis probatur Elegantioribus Medicis. Aut enim tota doctrina eſt Theorica, & contemplatiua, aut tota Practica & Ars. Cum enim à fine ſumatur Doctrinæ denominatio, & unius doctrinæ ſit unus finis, neceſſe erit quamlibet doctrinam ſcientiam eſſe tantummodo, aut artem tantum; prout illius finis erit veritatis contemplatio, vel actio eſt opus. SITIC. Fortaſſe dici poſſet ex vtroque habitu ſcientiæ ſcilicet & Artis Medicinam conſtitui, aut doctrinam aliam vnam. PROVID. Neque hoc dici poteſt. Doctrinarum enim diſtinctio à fine deſumitur, & vnius doctrinæ vnus tantum eſt finis vltimus. Si ergo ex ſcientia, & Arte poſſet conſtitui doctrina vna tertia, ſequeretur quod habitus Intellectus ſpeculatiui, nempe ſciētia, & habitus intellectus Practici, nempe Ars in vnum coaleſcerent habitum. Peterem ergo a quo fine hic habitus ſuam ſortitus eſſet vnitatem; aut certe a cognitione veritatis, atque ita totus eſſet ſcientia, fruſtraque componeretur ex Arte; aut eſſet actio, uel opus; atque ita totus eſſet Ars; fruſtraque conſtitueretur ex ſcientia; eſſet enim illi extrinſeca. Vno verbo ſcientia, & Ars eſſentialiter differunt; neque una poteſt eſſe pars alterius. ANONYM. Ego meliorem puto Alexandri Aphrodiſæi ſolutionem; ſtatuit enim Medicinam ſecundum ſe conſideratam, & primario certam eſſe, firmam, & immutabilem, & ideo ſcientiam. Dum autem cum materia commercium habet, ſua firmitate ſpoliatur, & efficitur Ars. Sed id euenit illi ſecundario, & ex accidenti, ideo ſecundum accidens eſt Ars, ſecundum ſe conſiderata ſcientia eſt. Quod enim contraria contrarijs curentur, & plethorico febrienti cum virtute robuſta ſanguis mittendus ſit, hoc æternæ veritatis eſt & infallibilis. At quod ut hæc Petro eueniant contingens eſt non perpetuum. Ideo Medicina in vniuerſali ſpectata ſcientia eſt, applicita ægro fit Ars. Hæc ſolutio etiam Auerroi probatur, nec non & Doctiſſimo Thomæ à Veiga, qui ſic ait.

6. Metap. cap. 1.

2. Proble. in proœmio

Digitized by Google

5. Met. c. ait. Et ſicuti Dialectici ſeparant Logicam in docentem, quam concedunt
2. in Art. eſſe ſcientiam, & vtentem, quam fatemur Artem eſſe, non ſecus de Medi-
med. c. 2. cina ſtatui poteſt. PROVID. Neque hæc ſolutio mihi valde probatur.
Omnes enim illæ vniuerſales propoſitiones,& methodi,quas in medium
adduxiſti licet vniuerſales ſint, neceſſariæ, atque veritatis æternæ, opus
tamen ipſum proxime reſpiciunt, pertinentque ad intellectum practicum
non ad contemplatiuum.Propterea earum cognitio non proprie dici ſcien-
tia meretur. Non enim illarum finis eſt cognitio veritatis, ſed eſt opera-
tio, vel opus; ſuntque ab auctoribus inuentæ,& ad diſciplinam redactæ,
1. Metaf. quatenus diriguntur ad opus. Erunt ergo & illæ doctrinę Practicæ, licet
cap. 3. ſint vniuerſales, & certæ; quare Artis potius nomen merentur. Cum igi-
tur illarum finis ſit operatio; operatio autem fiat circa ſingularia, ideo
fit, vt quamuis vniuerſaliter tradantur, in materia tamen particulari, &
contingenti verſentur, eaque tractent, quæ aliter poſſunt euenire. SITIC.
Quomodo ergo tandem dirimemus hanc controuerſiam?

PROVID. Dicam quod ſentio. Puto dicendum cum Valleſio, Fe-
rerio, alijſque multis, totam Medicinam Practicam eſſe, & Artem, non
ſcientiam, contemplatiuam, ea de cauſſa quoniam finis illius vltimus eſt
operatio, nempe curare appoſitè ad ſanandum. aut ſi mauis cum alijs ſen-
tire,finis medicinæ eſt opus,nempe ſanitas, permanens poſt Medici actio-
Cap. 3. nem. Sic potius videtur ſentire Galenus libro de conſtit. Artis, reponens
Medicinam inter Artes factiuas, quæ relinquunt opus, non inter actiuas,
quarum opus non remanet, vt Ars ſaltandi. SITIC. At quomodo Home-
rum noſtrum tuebimur aſſerentem Medicos ſcientes eſſe? Hoc enim di-
cendi modo viſus eſt innuere,Medicinam ſcientiam eſſe; quod tamen im-
probaſti. PROVID. Docebo, quomodo ſit intelligendus, Poeta noſter,ſi
prius argumenta in contrarium ſoluero. INGEN. Hoc ipſum optabā ego.
PROVID. Quod ergo dicebatur primo Ariſtotelem, & Galenum appel-
lare Medicinam ſcientiam,facile ſoluitur. Scientia enim eſt lato modo,nō
propriè. INGEN. Nonne multa conſiderat ſcientificè, quæque ſunt æter-
næ veritatis? nec poſſunt aliter ſe habere? PROVID. Iam reſponſum eſt
antea, ſed melius etiam reſpondebo. Dico ergo hæc eſſe in duplici diffe-
rentia. Sunt enim aliqua, quæ proximè reſpiciunt opus, & ratione opera-
tionis ſunt ab Auctoribus inuenta, cuiuſmodi ſunt vniuerſales methodi
tuendæ ſanitatis,morbique curandi. Hæ ſcientiæ quidem dici poſſunt la-
to modo,actiuæ ſcilicet, ut illas Ariſtoteles vocat,non tamen ſunt propriè
ſcientiæ,quia finis illarum vltimus veritas non eſt,ſed operatio.Sunt ergo
Artes propriè. Sunt alia,quę Medicina cōſiderat,quorum cognitio propriè
ſcientia eſt,habetque pro fine veritatem, neque vllum habet reſpectum a-
Perer. 2. ctualem, vel aptitudinalem ad opus, niſi omnino ab extrinſeco, nempe à
de princ. voluntate cognoſcentis. Talis eſt ſcientia,quam Medicus habet de Natu-
cap. 4. ra Corporis Humani,de facultatibus,de operationibus,earundemque dif-
ferentijs, deque alijs huiuſmodi. Hanc proculdubio ſcientiam eſſe fa-
teor, cuius finis eſt cognitio veritatis. Quod ſi Medicus ea vtitur ad ſa-

nitatem

nitatem conſeruandam, aut ad morbos curandos, hoc accidit ſcientiæ ipſi, totumque pendet ab hominum uoluntate. SITIC. Videris hac ratione ſtatuere ſcientiam illam eſſe Medicinæ partem. PROVID. Nullo modo id aſſero, ſed illam totam Phyſicam dico, & partem naturalis ſcientiæ; ſicuti & doctrina animalium, & ſiquis apis, aut formicæ naturam diligentius inueſtigaret, ea ipſa doctrina non ſecus pars eſſet ſcientiæ de Natura. Quod ſi abſque tali ſcientia nemo poteſt bonus euadere Medicus, non ex eo oritur, quia talis ſcientia ſit pars Medicinæ, ſed quia ſupponitur à medicina. Ea enim eſt nobilitas, & præſtantia artis Medicæ, vt à ſolo Philoſopho acquiri poſſit. Non quod Philoſophia in Medicinam referatur, ſed quia Medicina Ars eſt adeo præſtans, atque Diuina, quæ Philoſophiã præexigat tanquam illam, ſine qua non poſſit addiſci. Accomodatum eſt exemplum formarum artificialium omnium. Non enim illæ reperiuntur niſi in naturali corpore. Et tamen forma corporis naturalis, non refertur in formam artificialem, neque eſt pars illius; immo eſt quid diſtinctum atque nobilius, vt vnicuique patet. Dicebatur tertio Medicinam ſubalternari Philoſophiæ, & ideo ſcientiam eſſe. Sunt qui negant conſequentiam, dicentes quod & Artes ipſæ poſſunt ſcientijs ſubalternari. Tamen negatur & antecedens. Quod ſi Ariſtoteles inquit Philoſophum cognoſcere principia ſanitatis, & morbi, ego quoque conceſſerim, id enim munus Philoſophi eſt, nam & Medici hęc cognoſcentes, id faciunt, quatenus Philoſophi ſunt. Quod autem inquit Philoſophum deſinere in ea, quæ ſunt Medici, Medicum autem incipere ab ijs, quæ ſunt de Natura, id ita eſt intelligendum, quod eędem propoſitiones & a Philoſopho, & à Medico tractantur, vt ſunt, quæ de elementis, de temperamentis, de facultatibus naturalibus, de functionibus traduntur. Quæ quidem à Philoſopho vſque ad cognitionem tractantur; à Medico vero eatenus conſiderantur, vt ad medendum ſunt neceſſariæ. Hic tamen reſpectus illis omnino extrinſecus eſt, & accidentalis. Medicus enim ſupponens rerũ naturaliũ cognitionem, quæ traditur à Philoſophia, vtitur illa ad medendum, licet ipſa non ad operationem ſui natura referatur; ſed id habet extrinſecus ab artifice, eo quod ſine illa nullo modo mederi rectè poſſet. INCLVS. Mihi ſummopere placet hæc doctrina. Ex ea etiam conſtat ineptè Pererium ſtatuere Medicos Philoſophiã aſciuiſſe ſibi, vt Medicinam nobiliorẽ redderent, ex illius adiectione. Non.n.illam ſibi aſciuerunt, ſed Ars ipſa, quam priſci illi ſapientiſſimi excogitarunt eiuſmodi eſt, vt in Philoſophia fun- 2. d. Prin.
detur, hãcque in operationem quodammodo dirigat. Quod ſi Medici, qui cap. 4.
Philoſophiæ operam dedere ſe Phyſicos, & Medicos vocant, non alia ratione id faciunt, niſi ut hac ipſa appellatione ſignificent ſe iure Medicos vocari, eo quod & Philoſophiam adepti ſint, quæ à Medicina ſupponitur: quod quidem Empirici minimè faciunt, & illi omnes, qui indigne Medicam Artẽ profitentur. PROVID. Rectiſſimè ſentis meo iudicio. INGEN. Nunc mihi in mentem venit & argumentum aliud, quo ex hominum vſu videtur apertè comprobari Medicinam ex ſui natura Philoſophiam præſupponere. PROVID. Quodnam hoc eſt argumentum? INGEN. Quod

Digitized by Google

videmus in Publicis Gymnaſijs, in quibus ille potiorem locum occupat, qui præſtantiorem facultatem profitetur, Medicinæ profeſſores anteire illis, qui Philoſophiam docent. Non enim id fit, quia Medicina ſit præſtātior Philoſophia Naturali; illa enim Ars eſt, hæc ſcientia: neque quia Medici illi Philoſophi etiam ſunt; nam etſi Theologus eſſet eorum aliquis, nō tamen Theologis anteiret; neceſſe ergo eſt, ut id ea de cauſſa fiat, quia cum Medicinam profiteantur & doceant neceſſe eſt illos quoque eſſe Philoſophos. Quia tamen non ſequitur eoſdem eſſe Theologos, ideo videmus eos, etiam ſi Theologi ſint, Theologiæ tamen profeſſoribus cedere. PROVID. Optimum argumētum. Non.n.abſque graui aliqua ratione ille ordo ita ſit à ſapientibus illis viris conſtitutus. Quod autem vltimo loco dicebatur Medicinā ſubalternari Philoſophiæ, eo quod illas conditiones obtineat, quas ſubalternata ſciētia debet habere, facile ſoluitur. Illæ.n.conditiones ſupponunt utranq; doctrinam eiuſdem eſſe generis, non diuerſi; non enim debet earum altera ars eſſe, altera ſcientia; ſed vtraque ſcientia, aut vtraque ars. At hic aliter euenit; vt iam patuit. Vides ne Siticuloſe quomodo iam intelligendus ſit Homerus dicens Medicum ſcientem eſſe, ἰατρὸς ἐπιστάμενος? Non enim dicit Medicinam in abſtracto ſcientiam eſſe; ſed medicum eſſe ſcientē; quod valde differt. Nā etſi medicina ſecundū ſe cōſiderata propriè ſcientia nō ſit, optimus tñ Medicus non erit, qui etiā Philoſophus non exiſtat. TVTVS. Hoc ipſum nemini me legiſſe apud Athenæū quodā in loco, qui excidit memoria. PROVID. Locus eſt in lib. tertio Deipnoſophiſt. Videtur ne vobis ſatisfactū primæ illi difficultati, quæ in illa dictione ἐπιστάμενος, conſiſtebat? INCLVS. Mihi ſane uidetur: Immo & cæteri omnes mecum vna ſentiunt, quantum ex nutibus eorum mihi licet colligere. Quid modo de altera parte dicemus; in qua Homerus apertè ſtatuit Medicum omnes homines ſcientia præcellere? Non enim videtur adeo extollenda Medici Perſona, propter Philoſophiam neceſſario requiſitam, ut hinc dicatur ſupra omnes homines conſtitui;

PROVID. Sane non modo Philoſophia Naturalis neceſſaria ei eſt, qui Medicus futurus ſit, verum etiam requiruntur & aliæ prope omnes præſtantiores ſcientiæ, & facultates, ad hoc ut quis optimus Medicus euadat; ita ut dicere poſſimus nullam eſſe facultatem, nullamue doctrinam, quæ tot requirat ſcientias præexiſtentes. Atque hanc puto cauſſam eſſe, cur ſapientiſſimus Homerus hanc protulerit ſententiam, quod Medicus vnus cæteros omnes homines ſapientia ſuperet.

SITIC. Eia recenſeas haſce facultates, quæ adeo ſunt ad Nobilem hanc Artem neceſſariæ. PROVID. De Philoſophia Naturali, quæ circa corpus generabile, & corruptibile uerſatur ſatis dictum. At Aſtronomia quātū ſit Medico neceſſaria abūde Hippocrates demōſtrauit libro de aere, locis, & aquis. Hæc ſyderum docet ortus, & occaſus, tū Coſmicos, tū Heliacos, ex quibus cognoſcitur qualis annus futurus ſit. At uero, quia cum anni temporalibus animalium etiā corpora, & temperamenta mutantur, propterea ſequitur, ut per Aſtronomiā Medicus prænideat quę uictus rō, aut quæ cautio ſit adhibenda ne homines a futura conſtitutione in aliquē mor

Digitized by Google

bum deducantur. Quod ſi Aſtronomia Medico neceſſaria eſt, ergo & Geometria, & Arithmetica non minus neceſſariæ erunt; cum Aſtronomiā pręcedant. INGEN. Dicerem ego vlterius Geometriam ipſam per ſe multū ad medicinam conferre, ad cognoſcendos partium ſitus, poſitiones, ordinemque membrorum omnium, ad eaque ipſa reparanda, quando vitiantur. PROVID. Hoc ipſum docuit & Hippocrates in Epiſtola ad Theſſalum. Quo etiam loco docet & Arithmeticam ipſam per ſe valde vtilē eſſe ad nobilem hanc artem adipiſcendam, & exercendam propterea quod ſæpenumero proportionibus vtitur Arithmeticis Medicus non in conficiendis modo medicamentorum formulis, miſcendiſque pharmacis alterantibus, atque purgantibus, verum etiam in obſeruandis, prænoſcendiſque febrium circuitibus, & mutationibus irrationalibus morborum, criſibus quoque, & inconſtantijs. Propterea eodem loco Hippocrates filium Theſſalū obnixe hortatur, vt ſummo ſtudio ad has facultates ediſcendas ſe conferat, ſi optimus Medicus cupit euadere. Coſmographia quantum ſit Medico neceſſaria non eſt, quod ego hic pluribus oſtendam cum ſatis illud pręſtiterit Hippocrates in libro de aere, locis, & aquis. Quid dicam de nobiliſſima Philoſophia de moribus? nōne ipſa quoque ferè neceſſaria eſt Medico, ſicut & ipſa Rhetorica? INCLVS. Ad quid agendum conferunt hæ facultates? PROVID. Ad ſedandas animi perturbationes, quæ humores, & ſpiritus conturbando, & agitando, corpus alterant ſæpenumero, & vires deijciunt. Sunt enim hæ perturbationes morborum animi propria ſymptomata, & hæc ipſa ſymptomata ſuos morbos augent, eo quod anima, & corpus morbos proprios in ſe mutuo transfundant. SITIC. Profectò ita res habet, & tamen tam pauci Medici huic Philoſophiæ dant operam; ſicut neque Rhetoricæ. Noſtis omnes nobiliſſimam illam mulierem, quæ ſingulis annis, immo ferè ſemper quodam laborabat morbo; quem Hoſpes noſter ex eo prouenire dicebat, quia nimis eſſet illa iracunda. Remedia iccirco per os aſſumpta, aut extrinſecus illinita nihil proficiebant, eo quod cauſſa morbi non auferebatur, excellens in iram propenſio. Hoſpes noſter ſua dexteritate, & eloquentia, abſque tot potionibus ita illam curauit, vt Habitum induxerit, per quem illa nullo labore iram moderatur; atque ita integra fruitur ſanitate. Hoc certè Medicus ille præſtitit, medio Rhetorices, Moraliſque Philoſophiæ; quas facultates, quia cæteri Medici ignorabant, propterea nunquam mulierem illam potuerunt in priſtinam ſanitatem reſtituere. PROVID. De Logica quid attinet dicere? cum ad omnes penitus ſcientias, & facultates ſit neceſſaria. Poſſem etiam aliqua de nobiliorum Linguarum, vt Græcæ, atque Latinæ neceſſitate ſubijcere, ſed deſino, eo quod illarum vtilitas accidentaria potius ſit, quam eſſentialis. Quid ergo vobis videtur de Artis Medicæ præſtantia? Nōne ſumma cum ratione Homerus ſtatuit Medicum ſupra omnes homines eſſe ſcientem, cū nemo optimus Medicus eſſe non poſſit, niſi qui & Philoſophus fuerit Naturalis, Moralis, Aſtronomus, Geometra, Arithmeticus, Coſmographus, Rhetoricus, Logicus, vno verbo, omni ingenua facultate præditus? ANONYM. Hoc idipſum vidit proculdubio & Ariſtoteles, qui ſummopere

Galen. lib. quod opti. med ſit & Philoſ.

Et de cuiuſq; animæ pecc noti- tia, & cura.

Valleſ. 6. contr. in Proœmio.

difficile eſſe ſtatuit Medici nomen verè obtinere;nō alia (vt ſentio) ratione motus,niſi quia perarduum eſſe videbat tot facultates, & ſcientias nanciſci, quot ad Medicam exiſtimationem dignè ſuſtinendam requirebantur. TVTVS. Non negauerim Artem Medicam nobiliſſimam eſſe,ſed conſtanter aſſero paucos eſſe Medicos, qui illius nobilitatem agnoſcant;quia neq; illam conſequuntur. SITIC. Nonne poſſunt illam cognoſcere, & tamen non conſequi? TVTVS. Non arbitror. Nam illius nobilitas in tam varia cognitione conſiſtit. PROVIDVS. Ita profectò. Qui enim omnia illa non nouit,licet ſe Medicum profiteatur, cognoſcere non poterit,quantum eorū cognitio ad propriam Artem conducere poſſit.

O D I S S E Æ

Quarto, verſu ccxxxv.

Porro Deus alterum poſt alterum
Iuppiter bonumque,malumque dat; Poteſt enim omnia.

Agitur de Dei Omnipotentia. Et oſtenditur poſſe Homines illam cognoſcere lumine Naturali.

COLLOQVIVM XV.

SITICVLOSVS.

QVANTO diutius in Homeri verſor lectione, tanto magis admiror illius viri ingenium,atque Sapiētiam. Quod enim ille Dei Vnitatem, Æternitatem, Immobilitatemque cognouerit,fidei lumine deſtitutus, equidem mirabile eſt. Et tamen ea omnia cognouit, vt in præcedentibus colloquijs patuit. At quod & illius omnipotentiam uiderit, vt certè ex hoc loco colligitur, vbi aſſerit Iouem (ſic Deum verum denotans) omnia poſſe; id certè videtur omnem admirationem excedere. ANONYM. Putas ne Siticuloſe, hominis ingenium eo poſſe peruenire, vt Dei omnipotentiam agnoſcat? SITIC. Puto certè; Immo ex ijs,quæ de Deo ſuperioribus colloquij tradita ſunt,idipſum deduci poteſt.

ANONYM. Obſecro te, vt ex ijſdem antea traditis Dei omnipotentiam oſtendas. Præterquam enim, quod hoc quoque addiſcam; ea ipſa etiam, quæ antea ſunt tradita de Deo,fient fortaſſe euidentiora, memoriæque adhærebunt firmius.

SITIC.

SITIC. Libentiſſime faciam. Verum antequam incipio, notare oportebit, hanc dictionem, (omnipotentia) dupliciter ſumi poſſe. Vel prout omne genus potentiæ complectitur, etiam paſſiuæ; vel prout illas tantum comprehendit, quæ perfectionem dicunt, cuiuſmodi eſt actiua potentia, quæ propria eſt efficientis. Primo modo erroneum eſt dicere Deum Omnipotentem: non enim in Deo vlla eſt potentia paſſiua. De ſecundo ergo modo ego loquar, oſtendamque Deum in ſe complecti potentiam omnem productiuam: ita tamen vt nomine productiuæ intelligamus etiam oppoſitam deſtructiuam. Hoc itaque modo ſumpta Omnipotentia, videtur triplicem acceptionem habere poſſe. Prima quidem, quod Deus ita dicatur Omnipotens, vt in omnia, quæ ſunt, actiuam ſuam potentiam effundat. ANONYM. In hoc ergo ſenſu idem erit omnipotens, quod in omnia potens. SITIC. Optimè. Secunda acceptio erit, ſi omnipotens dicatur illud, quod omnem gradum, qui cogitari poteſt de illa ſua actiua potentia obtinet. Quod idem eſt, ac ſi dicamus potentiam actiuam Dei eſſe in vigore infinitam, omnemque poſſibilem intenſionis gradum obtinere. ANONYM. Hoc modo ſi ignis eſſet infinitè calidus, & ſiccus, dici poſſet eſſe omnipotens in calore. Scot. quol. quæſt. 7. Fonſ. 5. Met. cap. 1. q. 6.

SITIC. Proculdubio. Tertio modo, inquit Scotus accipitur omnipotentia propriè, prout omnipotens dicitur ille, qui poteſt omnem effectum immediate producere, abſque concurſu alterius cauſſæ inferioris, dummodo effectus ille contradictionem non includat. Atque de hoc tertio modo loquendi, non omnes conueniunt Theologi in eo, quod ratione naturali oſtendi de Deo poſſit, alijs id concedentibus, negantibus alijs, De cæteris duobus omnipotentiæ modis conſentiunt omnes, quod ratione naturali cognoſci poſſint in Deo eſſe.

ANONYM. Tu uero, quid dicis? SITIC. Ego cum D. Thoma ſentio tertium quoque modum omnipotentiæ oſtendi poſſe de Deo, idque naturali ratione. ANONYM. Eia ne moreris amplius. Id mihi de tribus omnibus modis oſtendas ſigillatim. SITIC. Quod Deus primo modo ſit omnipotens, patet ex colloquio quinto; in quo oſtendebatur Deum primam eſſe cauſſam effectiuam, primamque finalem, omnino independentem ab alia effectiua, aut finali. Ex quo ſequebatur illum poſſe eſſe à ſe; & ideo eſſe, & neceſſario. Oſtenſum præterea eſt hanc ipſam cauſſam vnicam eſſe, neque poſſe ſociam habere, non enim poſſunt duo eſſe entia independentia omnino, & neceſſaria. Si igitur hæc vera ſunt, conſtat omnia, quæ ſunt, præter hanc ipſam cauſſam, quæ Deus eſt, ab illa dependere effectiuè, recipereque illius influxum. Nam ſi datur aliquid, quod ab illa non dependeat, neque illius recipiat influxum; id vel erit omnino independens, & ineffectibile, vel infinita habebit ſuperiora à quibus dependebit: quæ ambo ſunt abſurdiſſima vt patuit. Conſtat ergo Deum, qui eſt cauſſa efficiens prima & independens, influere in omnia, quæ exiſtunt; atque ita eſſe primo modo omnipotentem. Quod autem & ſecundo modo ſit omnipotens, ſcilicet quod virtus illius ſit intenſionis infinitæ, ex eo colligitur, quia eſt neceſſe eſſe, ita vt nunquam non extiterit, neque vn-

Digitized by Google

quam ſit deſiturus. Ex hac enim infinita duratione Dei, Ariſtoteles optimè colligit infinitatem intenſiuam virtutis, hac ratione, quia cum ſit æternus
8. Phy 78 poteſt infinita producere ex parte ſui; puta infinitas circulationes cœlorum, aut homines infinitos. Totam enim illam vim producendi infinita, ſimul continet, & in illo infinita effecta virtute continentur. Quare virtus illa erit intenſiuè infinita. Confirmatur ratio. Nam quod poteſt in plura perfectius eſt eo quod in pauciora tantum poteſt. Qui enim ferre poteſt duo pondera, duplum virtutis habet eo, qui pondus tantum feret. Qui autem quatuor ferre poteſt pondera, quadruplum habebit, & ita conſequenter. Sic id quod plura poteſt efficere plus habebit effectiuæ potentiæ illo, quod pauciora tantum. Ergo ſi uim habeat efficiendi infinita, infinitæ erit potentiæ. ANONYM. Debilis admodum videtur eſſe mihi huiuſmodi ratio. Nam & intelligentia ex parte ſui mouere poteſt tempore infinito, cũ ſit immortalis; & ſol concurrere poteſt ad infinitas numero generationes ſucceſſiuè, quia eſt incorruptibilis; non tamen quis dicat Solem, aut Intelligentias eſſe vigoris infiniti. SITIC. Soluit hanc difficultatem optimè
8. Phyſ. 58 q. 8. Toletus, dicens non eſſe eandem rationem de Deo, & de Sole, vel Intelligentijs. Hæc enim non ſunt à ſe, nec à ſe ipſis ſuam virtutem habent, ſed à prima cauſſa, vt antea dicebatur. Deus autem ex ſe eſt, & à ſe ſuam virtutem habet. Quare etiam ſi intelligentiæ durent infinito tempore, & infinitè moueant, non tamen id faciunt ſine prima cauſſa conſeruante, & in illas influente. Et ideo primæ potius cauſſæ illas conſeruantis, atque mouentis virtus inferetur infinita; non autem rerum ipſarum conſeruatarum, & recipientium influxum. ANON. Optimè. INCLVS. Alia etiam ratione, videtur mihi peccare diſcurſus Ariſtotelis. Si enim Deus eſt virtutis infinitæ, nil poterit ſuæ actioni reſiſtere. Si autem vim habet efficiendi infinita effecta, hæcque in illo virtute continentur, ſequeretur eum poſſe ea omnia ſimul efficere. Hoc tamen conſtat eſſe falſum. Non enim poſſunt infinita ſimul exiſtere. SITIC. Optime reſpondet Scotus, inquiens nihil minus concludi infinitam Dei virtutem etiam ſi non poſſint ſimul in-
In p. d. 2. q. 2. finita produci, propterea quod hæc repugnantia non ex parte Dei ſe tenet, ſed ex parte effectus; quia ſcilicet non poſſunt infinita actu ſimul exiſtere. Accomodato exemplo rem ille declarat. Si quid vim habeat producendi album, & nigrum, etſi non poſſit illa ſimul efficere, erit tamen perfectius eo, quod album tãtum, vel nigrum tantũ poteſt efficere. Quod enim vtrunque ſimul non producat, id prouenit ex parte effectuũ, qui cum ſint contrarij ſimul exiſtere non poſſunt, nõ ex parte producentis; hoc.n. quantum ex ſe eſt ſimul aptum eſt & ad album, & ad nigrum producendum. Quare nobilius erit vtroque illorũ, quæ in vnum tantũ poſſunt. Sic & in re præſenti. PROVID. Dic mihi Siticuloſe. Si quis rñderet ad hanc rõnem Ariſtotelis hoc pacto, concludere quidẽ illam intentum poſſe, ſi cauſſa illa prima, quæ Deus eſt, ponatur cauſſa totalis omnium effectuum (quod.n. eſt cauſſa totalis plurium, nobilius certè eſt illo, quod pauciorum) at ſi nõ ſit totalis nõ concludere; Non eſſe autem totalem ſecundũ Philoſophos probari poteſt, quoniam requirit cauſſas inferiores, quibus cum poſſit generare,

Digitized by Google

nerare, & mouere. Si quis inquam ita res reſponderet, qua via tu Ariſtotelis diſcurſum cõfirmares? INGEN. Ego ſcirem hanc reſponſionem refellere. Non enim per eam tollitur, quin cauſſa ipſa prima non ſit æque perfecta, cum ſit prima tantum, ac ſi eſſet totalis, & completa, potens immediate omnia producere. PROVID. Quid ni? INGEN. Quia cauſſæ ſecundæ non requiruntur, vt perfectionem addant in cauſſando, ſed vt imperfectionem, idque ſecundum Philoſophos. Dicunt enim quod cauſſa prima cum ſit nobiliſſima, & agat ex neceſſitate, non poſſet ſola imperfectum producere, præ ſui nobilitate, & propterea requirit ſecundas imperfectas, ad effectus imperfectos producendos. Immo dicunt, quod quicquid habent perfectionis cauſſæ ſecundæ, id habent à prima, à qua vim recipiunt cauſſandi. Vnde concluditur ſecundum viam Philoſophorum totam perfectionem ſecundarum cauſſarum eminentius in prima contineri. SITIC. Optima certè doctrina, atque veriſſima, eo excepto, quod prima cauſſa agat ex neceſſitate. INGEN. Id ergo aſſerui ex mente Philoſophorum, vt Philoſophi reſponſionẽ, Philoſophica Auctoritate refellerem. Nam & ego non ignoro Deum agere liberè. PROVID. Si quis tamen obſtinate negaret in prima cauſſa perfectiones ſecundarum eminenter contineri, quid ad hunc opponeres? SITIC. Nihil minus concludam infinitatem Potentiæ Dei. Quicquid enim ſit de prima illa cauſſa conſtat illam diuerſo modo cõcurrere ad effectum, quam inferiores faciant. Quicunque ergo ſit cauſſandi modus illius, patet illam perfectiorem fore, ſi plura poſſit ſuo modo cauſſare, quam ſi pauciora: & ex conſequenti infinitæ fore virtutis, ſi infinita valeat efficere. PROVID. Hoc tollit omnem difficultatem. SITIC. Ex ijs ergo quæ dicta ſunt patet rationem Ariſtotelicam optime quidem de Deo concludere omnipotentiam ſecundo modo; non tamen tertio, ita vt immediate poſſit quemlibet effectum non implicantem contradictionem producere; omnique rei poſſibili exiſtentiam largiri; atque adeo vt Socratem, qui craſtina die à parentibus generabitur ipſe Deus nunc abſque alterius cauſſæ concurſu producere poſſit. Hoc genus omnipotentiæ non poſſe naturali ratione de Deo demonſtrari, ſed ſola fide teneri videtur Scotus aſſerere, ea de cauſſa quoniam & ſi conſtet primam cauſſam eſſe inferioribus omnibus perfectiorẽ, nulla tamen ratio naturalis probare videtur, quod cauſſa prima producere poſſit effectus cauſſarum ſecundarum ſine illis, cum ſecundum viam Philoſophorum cauſſæ ſecundę ſint neceſſarię ob imperfectionem effectus, vt antea dictum eſt. Pręterea quia Philoſophi non potuerunt vnquam intelligere ex nihilo aliquid fieri poſſe. Vnde in tali Philoſophia oſtendi non poteſt Deum adeo omnipotentem eſſe, vt quicquam poſſit producere abſque omni alia cauſſa, quia ſaltem materialem requirit. Sed hæc non ſunt tanti momenti, vt cogere nos poſſint quin aliter ſentiamus. Nam quatenus ad primum pertinet, illud certè aliquid concluderet ſi Deus ageret ex neceſſitate Naturæ. Sic enim cum ſit Nobiliſſimum omnium, ſi ageret ad vltimum potentiæ neceſſariò, produceret nobiliſſimum illum effectum, quem poteſt. At non ita ſe res habet. Immo oſtenſum antea eſt, idque ratione naturali, Deum agere per voluntatem. Quare poterit & perfectiorem, & imperfectiorem

Scot loco citato.

In p. diſt. 42.

Colloq. 9.

Digitized by Google

perfectiorem effectum producere, prout ſua voluntas ferat. ANONYM.
Quid dices ad alterum illud axioma Philoſophorum, ex nihilo nihil fie-
ri? Poteris ne naturali aliqua ratione monſtrare Deum vim habere creandi
aliquid ex nihilo? Tantam ne veterum inſcitiam oſtendes, vt videre non
potuerint, hoc ipſum ſuum axioma, naturali rationi repugnare? SITIC.
Illud principium veriſſimum eſt, naturaliter loquendo; nulla enim vis cor
poris naturalis poteſt ex nihilo aliquid facere; ſed Soli Deo id competit.
Quare ſi oſtendero naturali ratione Deum vim habere creandi ex nihilo, &
nihil aliud præter Deum poſſe creare, nihil erit impedimento, quin dica-
mus veteres Philoſophos intelligere potuiſſe principium illud eo modo,
quo nunc diximus; Saltem illud manifeſtiſſimum erit Deum cognoſci ab
hominibus naturaliter poſſe omnipotentem tertio modo. Si enim ex nihilo
poteſt lapidem facere, eodem modo & equum, & hominem faciet. & iterũ
poterit omnia, quæ creauit ad nihilum redigere Eadem enim vis eſt, qua
aliquid fit ex nihilo, & qua ad nihilum redigitur. Quod ſi ex nihilo poteſt
Deus lapidem facere, eadem ratione poterit & ex lapide hominem, & ex
homine lapidem, aut equum efficere. Et vno verbo ex omnibus omnia, &
ex nihilo omnia & rurſum ex omnibus nihil; ita vt omnino ſit omnipotẽs.
ANONYM. Hæc quidem omnia ſequuntur, poſito, quod naturali ratione
oſtendi poſſit Deum poſſe creare. Id nondum oſtendiſti. Hoc opus, hic la-
P.p.q.44. bor. SITIC. Audi ergo Diuum Thomam oſtendentem naturali ratione non
artic.5.2. modo Deum poſſe creare, verum etiam omnia quæ ſunt præter Deum, ab
cont.gent. ipſo eſſe creata. Si enim Deus prima eſt omnium cauſſa effectiua, ſequitur
cap.16. omnia ab illo pendere effectiuè. Nonne? ANON. Prorſus. SITIC. Ergo ab
illo omnia ſunt facta. ANONYM. Concedo. Sed non creata. SITIC. Sane
aut ſunt creata, aut facta ex aliquo, vt ex materia præexiſtente. ANONYM.
Dicam hoc ſecundum. SITIC. Hęc ipſa ergo materia, vel Deus eſt ipſe, vel
aliquid à Deo diuerſum. Non quidem erit Deus materia. Non enim mate-
ria principium eſt actiuum. Vnde efficiens, & materia in idem non poſſunt
2.Phyſ.18 incidere, vt teſtatur Ariſtoteles. Et præterea Deus eſſet imperfectior lapi-
de, ſi lapis ex Deo tanquam ex materia factus eſſet. ANON. Fruſtra labo-
ras in hoc. Patet Deum non eſſe materiam. SITIC. Erit ergo materia aliquid
à Deo diuerſum, & ex conſequenti pendebit ab eo effectiuè, eritque ab illo
facta. Quęram ergo rurſus an ex alia ſit facta. Non eſt autem eundum in in-
finitum in cauſſis. Quare tandem eo res deuoluetur, Deum materiam creaſ-
ſe; & ita omnia. ANON. Optimè profecto. At quomodo probabis Deum
ſolum poſſe creare? Hoc enim oſtendendum relinquitur. SITIC. Probabo,
quoniam nulla cauſſa limitata, & particularis, poteſt vniuerſaliſſimum ef-
fectum producere, ſed id debet ſoli vniuerſaliſſimæ conuenire. Effectus
2.Phyſ.38 enim debent ſuis cauſſis proportionatè reſpondere, vt docuit Ariſtoteles.
At ipſum eſſe eſt effectus vniuerſaliſſimus, vt patet. Eius ergo cauſſa effi-
ciens vniuerſaliſſima erit. At in creatione producitur eſſe ſimpliciter, quia
D.Tho.2. nihil præſupponitur. Ergo ſola cauſſa vniuerſaliſſima, nempe prima crea-
cont.gent. bit. Confirmatur ratio, quoniam in omni generatione naturali, quæ mate-
cap.21. riam præſupponit, non fit ens ſimpliciter, ſed ſolum hoc ens particulare,

vt homo,equus. Ens autem erat,antequam illud fieret;exiſtebat enim materia.INCLVS.Optime certè monſtraſti creaturam nullam poſſe creare,vt cauſſa principalis.At dicas obſecro,poteſt ne vt inſtrumentum ſeruire Deo in creatione?SITIC.Non poteſt. Nam ſi Deus per creaturam creare poſſet, nullam haberet amplius actionem ita ſibi propriam, quam non poſſet creaturæ communicare Hoc autem conſequens indignum eſt Diuina excellentia. INCLVS. Quamobrem indignum ? SITIC. Quia inter creaturas ſunt Fonſeca 5.
nonnullæ ita perfectæ , vt earum opera ne diuina quidem virtute poſſunt met. ca 2.
imperfectioribus communicari,ne inſtrumentaliter quidem; Multo magis quæſtio. 8.
dicendum erit Deo tribuendam eſſe actionem aliquam , cuius nullo modo creatura ſit capax. ſect. 3.
INCLVS. Quænam ſunt illa opera creaturarum,quæ alteri creaturæ communicari non poſſunt? SITIC.Aſpectus, & intelligentia,quæ nullo modo beſtiæ,aut lapidi poſſunt conuenire. Quomodo enim lapis videre poſſit vnquam;aut canis intelligere ? INCLVS. Pulcherrima certè doctrina . Sed dicere adhúc aliquis poſſet non deeſſe & alias actiones,præter creationem,quæ propriæ eſſent Dei ipſius.ita vt nulla ratio cogat , quin ſaltem inſtrumentaliter illa creaturæ concedatur . SITIC. Id gratis dicitur. Neque aſſignabis vnquam actionem aliquam vna excepta creatione , quam Deus non exerceat vel per creaturas tantum , vt ſunt ambulare, videre, cęteræque vitales actiones; atque finitæ; quæ ab intrinſeco viuentis principio procedunt neceſſario;vel per creaturas,& per ſe ſolum, vt calefacere,illuminare,& ſimiles. At ſola creatio ab hominibus cognita eſt , quæ ſoli Deo conueniat . Principium ergo illud ex nihilo nihil fit ſummè verum eſt naturaliter loquendo;at ſi de Deo loquamur,minime verum ; idque naturali ratione cognoſcitur . Veriſſimile ergo eſt Homerum noſtrum hanc cognouiſſe Dei omnipotentiam ; quod ſatis patet ex carminibus ante citatis. Immo non deſunt viri alioqui præſtantiſſimi,& in Ariſtotelica doctrina exercitatiſſimi ; qui Ariſtotelem quoque ipſum aſſerunt cognouiſse creationem,Deumque fuiſſe rerum omnium creatorem:vt ſunt D.Thomas, Scotus,Thomas de Argent. Heruæus, Auerroes,& Alexander Aphrodiſæus.INCLVS. O quàm libenter audirem te de hac quoque horum virorum doctrina diſſerentem . Sed cogor diſcedere, & rogare te,ne id facias me abſente. Vereor enim ne id quod ſemel præſtiteris,graueris præſtare denuò. SITIC. Non deerit occaſio de hac re diſſerendi ; antequam ad Odyſseæ finem perueniamus .

Digitized by Google

ODYSSEÆ

Quarto, verſu cccxxxj.

Hunc autem valde ſuſpirans allocutus eſt flauus Menelaus.

De Suſpirijs, eorumque cauſis agitur: Deque ijs animi affectibus, quos ſolent indicare; & Quamobrem Suſpiria ſigna dicantur Amoris.

COLLOQVIVM XVI.

INCLVSVS.

BENE Habet quod Anonymus non adeſt. PROVID. Quid ita? INCLVS. Si enim adeſſet, ſcio, me cogeret, vt de ſuſpirijs aliqua diſſererem. Ego vero loquendi occaſionem fugio. PROVID. Cur ita ſuſpicaris Anonymum te coacturũ? INCLVS. Quia id ego me facturum pollicitus ſum, cum primum ſe ſe occaſio offerret in hac Academia. Nunc autem ſe obtulit in hoc verſu. PROVID. Quęnam te cauſſa mouit, vt hoc illi promitteres? INCLVS. Ridicula quædam cauſſa. Deambulabamus in foro, aderatque nobiſcum Nobilis Iuuenis N. quem vos omnes ſcitis amore captum eſſe pulcherrimæ, honeſtiſſimæque adoleſcentis, N. Nunc Anonymus obſeruauit grauiter, frequenterque ſuſpirantem. Tandem illum indignabundè de ſuſpirij cauſſa interrogans, Quid tam frequenter ſuſpiras, inquit? At ego, An neſcis illum amarè perditè? Ignoro ſanè, inquit. Quænam hæc eſt tam formoſa puella, quæ potuit hunc tantum fœminarum hoſtem ſuperare? Modo illam videbis prætereuntem, inquam: Videram enim ego illam egredientem domo. Cumque præterijſſet iam, nõ mirabor amplius, inquit Anonymus, ſi te obſeruauero ſuſpirantem, ſcio enim hoc eſſe amantium proprium. PROVID. Non errabat Anonymus. Nouerca apud Apuleium ſui priuigni amore flagrans, legitur inter amoris ſigna ſuſpiratu cruciari. Pan quoque apud eundem Pſychem amore captam ex aſſiduo ſuſpiratu coniecit. SITIC. Horatius etiam inquit. Amantes languor, & ſilentium arguit.

A latere petitus imo ſpiritus. Inuitus ſuſpirans.

INGEN. Addam ego quoque Torquati Taſſi carmina, in hanc ſententiam.

16. Hieruſal. Liber.

Mal amor ſi naſconde à te ſouente
Deſioſa e chiedea, del mio Signore.
Veggendo i ſegni tu d'inferma mente

Erminia,

Erminia, mi diceſti, ardi d'Amore?
Io tel negai, ma vn mio ſoſpiro ardente
Fù più verace teſtimon del core.

TVTVS. Mirrha etiam amore capta Patris,quotieſcunque illum videbat,ſuſpirans pateſaciebat Amorem.

Myrrha patre audito ſuſpiria duxit ab imo
Pectore. Ouid. 10. Metamor.

PROVID.Ideo non inepte dicitur Tuſſim,& Amorem latere non poſſe. Sed ſequere Incluſe inceptam narrationem. INCLVS. Confitebatur Anonymus ſuſpiria inter alia, quæ ſignificant, Amoris eſſe ſignum euidentiſſimum; ignorare tamen dicebat quæ nam eſſet rei huius cauſſa, vt amantes tam frequenti ſuſpiratu crucientur. Tunc ego reſpondi, atque ſpopondi me de re hac acturum hoc loco,vbi primum ſe ſe obtuliſſet occaſio.PROVID.Id ergo præſtabis hodie,me ita præcipiente. INCLVS. Non poſſum non parere Principi. Vt autem non modo allati problematis ratio innoteſcat, verum etiam appareat quanta cum ratione Homerus hoc loco introducat ſuſpirantem Menelaum,bona veſtra venia,altius rem repetam, & aliqua breuiter commemorabo, licet non ignorem, ea ipſa à paucis ignorari. Dico itaque ſuſpirium eſſe non aliud,quam reſpirationem magnam,& raram,quæ ſcilicet per longa fit interualla. Et ideo aliqua de cauſis reſpirationis breuiter dicam.Has Galenus tres eſſe dicit.Efficientem,quæ facultas eſt animalis thoracem mouens. Materialem, ſeu mauis inſtrumentalem,& hæc eſt thorax:& finalem,quę eſt conſeruatio inſiti,vitaliſque caloris.Formalis in hoc negotio nullius eſt momenti.Facultas itaque animalis mouet thoracem,cum hoc ſimul pulmo mouetur,ad huius autem motum vbi diſtenditur ſequitur aeris inſpiratio;vbi conſtringitur exſpiratio. At hic motus inſpirationis, & exaſpirationis perpetuo fit in animali, vt calor vitalis cordis conſeruetur,qui alioqui citiſſimè iret perditum,ni ab inſpirato aere refrigeraretur:& rurſum ſuffocatione periret,niſi per expirationem fuligines excernerentur,quæ continuò generantur.Si ergo facultas bene ſe habuerit, thorax,& muſculi illi rectè pareant,minimè renitentes, innatus autem calor ſeruauerit modum,tunc ſecundum naturæ legem animal reſpirat. Si vero quid ex eis vitiatum fuerit, iuxta læſionis modum, reſpiratio etiam impeditur. Et quia multis modis vitiantur illæ cauſſæ, multifariam etiam contingit reſpirationem lædi. Nos hic cauſſam reſpirationis illius quærimus, quæ magna eſt,& rara, fitque per longa interualla,& ſuſpirium dicitur.Magnam igitur reſpirationem facere ſolent valida facultas, & adaucta indigentia refrigerandi; adde & organi mollities, per quam facile obtemperat motrici facultati. Facultas quidem valida validè thoracem extendit;calor adauctus magnam aeris frigidi quantitatem expoſtulat,quę nonniſi magna inſpiratione attrahitur intro;Thorax etiam,qui facile dilatatur, valde conducit ad reſpirationis magnitudinem.Hę itaque cauſſæ ſi omnes ſimul

1. De diff. reſp.4.

ſimul concurrant maximam efficient reſpirationem; deficiente aliqua, ipſa etiam reſpiratio plus minus ue augebitur, iuxta cauſſarum varietatem. Suſpirium igitur cum ſit magna quædam reſpiratio ab aliqua dictarum triũ cauſſarum fiet,aut à pluribus. At vero quoniam ſuſpirium non tantum eſt magna reſpiratio, ſed etiam rara (illum enim dicimus ſuſpirare, qui cum prius leuiter reſpiraret, poſtea magnam, validamq; reſpirationem edidit) ideo conſtat non ſolam facultatis vim,& conſtantiam eſſe ſuſpirij cauſſam. Hæc enim quantum ex parte ſui,eodem modo mouebit, ſi eodem modo ſe habeat:non autem poteſt hanc reſpirationem leuem facere, immediate ſequentem validam, & magnam. TVTVS. Nonne dicere poſſemus tunc ſuſpiria fieri,cum facultas roboratur? INCLVS. Nullo modo.Non enim facultas ex imbecilla reddi valida poteſt;tam exiguo temporis ſpatio, quantum inter duas reſpirationes interſit. Qua eadem ratione neque ſola thoracis conſtitutio cauſſare ſuſpiria poteſt. TVTVS. Veriſſimum. INCLVS. Relinquitur ergo vt dicamus vtilitatem reſpirandi,nempe indigentiam refrigerandi potiorem eſſe ſuſpirij cauſſam,vt pote quę cito mutari poſſit ſecundum magis,& minus. SITIC. Scilicet ita intelligis: tunc hominem ſuſpirare,cum innatus cordis calor auctus fuerit,ita vt maiori indigeat refrigeratione,& ventilatione. INCLVSVS. Ita prorſus, ſed cum hac additione,quod huiuſmodi caloris incrementum tale eſſe debet, vt vnica magna inſpiratione, & expiratione tollatur; & ſuſpirio peracto nulla amplius remaneat talis refrigerandi indigentia. SITIC. Quænam igitur erit illa cauſſa, quæ hoc modo cordis calorem mutare queat? INCLVS. Hanc Galenus docet inquiens eſſe quicquid facit vt homo minus aeris inſpiret, quam neceſſitas poſtulet refrigerandi; ita vt innatus calor non ſufficienter refrigeretur. Tunc enim accidit, vt cum minutæ vices ſpirandi non ſufficiant,ad cor rectè refrigerandum tandem homo vna ampliori reſpiratione cogatur illarum defectum ſupplere. SITIC. At quænam tandem hæc eſt cauſſa quæ facit vt minus homo reſpiret,quam oporteat? INCLVS. Intenta rei alicuius cogitatio. Vbi enim quis attentè aliquid conſiderat, vt contingit omnibus,qui litteris dant operã, aut aliqua cordis anguſtia præmuntur,vniuerſas animæ facultates cognoſcitrices,ad rem,quæ conſideratur, conuertit. Atque ita fit, vt anima ab eiuſmodi obiecto diſtracta minus animaduertat refrigerandi indigentiam, & ex conſequenti officij ſui quodammodo obliuiſcatur,pigre,& lentè thoracem mouens. Cor igitur cum per intentionem pectoris aerem non capiat, quò plene ventilari, refrigerarique poſſit, ne ſtranguletur, animam ad deſertum officium reuocat, & vt copiam frigidi aeris capiat,quod vices minutę ſpirandi eſſent facturæ,vna ampliori reſpiratione ſubminiſtrat,vt & Galenus docuit.Suſpiratio itaque in Vniuerſum ſignum habetur angoris, vel anguſtiæ cordis, animique in aliqua vehementi cogitatione occupati,& immerſi, quod quidem ob multas, variaſque animi perturbationes ſolet euenire. TVTVS. Non ergo ſolum Amorem indicant ſuſpiria, vt dicebatur. INCLVS. Certè hoc nolui vnquam aſſerere, ſed Amorem magis,quam aliam perturbationem à ſuſpirijs indicari ſtatuo,Ratio autem huius eſt,quia amor ipſe quædam eſt

2. De diff. reſp. 5.

adeo

Digitized by Google

adeo vehemens perturbatio, vt duplici ſaltem modo ſoleat calorem intus augere, & ſuſpirationem parere. Primum quidem huius Amoris vis, & vehementia ex eo perſpicitur, quod illi qui illo detinentur, cæci dicũtur euadere; nec immeritò. Efficit enim Amor ille laſciuus, vt Amantes prop[illegible] commoda deſpiciant, pericula negligant, nequicquam timeant mala, infamiam nihil curent, dummodo re amata potiantur; adeo ſunt illi addicti. Quare nihil mirum ſi tantopere cum ſint in rem amatam intenti, animus eorum parum vel nihil propriam cordis indigentiam obſeruet: quæ erat potiſſima cauſſa ſuſpirationis. PROVID. De huius laſciui amoris vehementia non ſine ratione illud intelligi poſſe crediderim, quod habetur in conuiuio Platonis, licet non ignorem in alium ſenſum trahi. Inquit eo loci Plato Amorem magnum eſſe Dæmonem, nedum ob vehementiam & vires eius, verum etiam quia caput eſt, & Princeps omnium Dæmonum, hoc eſt humanarum perturbationum, quæ ſunt quaſi interni hominum Dæmones. Quamuis hæc poſtrema verba magis de amore in communi intelligantur, quam de laſciuo. INCLVS. At non ob dictam cauſſam modo ſuſpiria parit Amor, verum & accedit altera, ob quam fiunt Amantibus frequentiora ſuſpiria. Ea vero eſt, quoniam qui amant frequentiſſimè ad amatam mulierem animum conuertunt, quod dum fit ſpiritus quoque & ſanguis externas partes relinquentes colliguntur circa præcordia, atque ita calore adaucto, & quaſi ſuffocato, fit, vt copioſiori, largiorique indigeat aeris inſpiratione. Indigentia ergo multa exiſtente, anima vero ob vehementiam cogitationis valide diſtracta, & ſui oblita muneris fit, vt frequentiſſimè cogatur homo ſuſpirare, vt indigentiæ ſatisfaciat. INGENIO. Talem euentum, & ſpirituum retractionem ad cor, dum Amaſia improuiſo conſpicitur, mirabili ſimilitudine, & iucundiſſima Metaphora declarauit noſter. Petrarcha, elegantiſſimis hiſce carminibus.

Quando giunge per gli occhi al cor profundo
L'imagin Donna, ogn'altra indi ſi parte,
E le virtù, che l'anima comparte
Laſcian le membra quaſi immobil pondo.

INCLVS. Egregie profecto. PROVID. Sepenumero obſeruaui eos qui repentino aliquo timore afficiuntur, ſtatim grauiter ſuſpirare. Id prouenire debet ab huiuſmodi recurſu ſanguinis, & ſpirituum ad cor. INCLVS. Non ab alia certè cauſſa id prouenit. At amantes à duabus cauſſis id patiuntur, & propterea frequentius ſuſpirant. Primum quidem Amor calorem circa cor adauget eo modo, quo nunc dicebatur: Et præterea quoniam vehementiſſima eſt paſſio valde deſtrahit animam, totamque conuertit ad rei amatæ contemplationem; ita vt parum ſentiens cordis neceſſitatem munus ſuum fermè deſerat reſpirandi. SITIC. De Menelao quid dicemus, qui hoc loco dicitur grauiter ſuſpiraſſe? Amabat ne ille quoque, an timebat? an potius alicui cogitationi valde intentus

tus erat. INCLVS. Non ſine ratione dicerem omnes dictas cauſſas concurriſſe ad ſuſpiria Menelai, adeo videtur Homerus omnia ſumma cum ratione ſcripſiſſe. Amabat enim ſummopere Menelaus Vlyſſem, ſic cogentibus eum beneficijs, quæ ab Vlyſſe acceperat. Dicitur autem grauiter ſuſpiraſſe, poſtquam audiuit Telemachi narrationem, qua patefecit ei, quot, quantaque damna Proci inferrent domui Vlyſſis, eo abſente, omnia diſſipantes; Penelopen ipſam cogentes vt filium Telemachum deſerens, alicui ipſorum nuberet; aliaque infinita patrantes mala. Vnde Menelaus nonniſi ſumma cum attentione poterat illi narrationi aures porrigere, in qua de rebus amici filius Telemachus ſermonem habebat. Ecce attentionem diſtrahentem animam. Narrabantur mala, quæ patiebatur domus Vlyſſis, & pericula maxima vitæ, facultatum, & honoris. Ecce cauſſas timoris, iræ, & doloris ingentis; à quibus ſolet ſanguis ad viſcera confluere, ibique accendi. Nec deerat Amor, quo Menelaus Vlyſſem proſequebatur. Nil itaque mirum ſi omnibus hiſce cauſis concurrentibus, Menelaus à valido, ingentique ſuſpirio ſuam reſponſionem fuerit auſpicatus. Hæc ſunt quæ dixiſse volui de hac ipſa materia. Quæ ſi vobis fortaſſe vulgaria magis videantur, quàm quæ in tam nobili conſeſſu recenſeri mereantur, rogo uos, & obſecro, ne cauſſam in leuitatem vllam meam referatis; conſiderantes me coactum ab Imperante Principe, cui non parere nefas, onus hoc loquendi ſuſtinuiſse. Iam enim edixi me inuitè locuturum. PROVID. Suauiſſimum mihi uiſum eſt hoc colloquium.

ODYSSEÆ

Quarto, verſu ccclxxxiij.

- - - - Dij vero omnia ſciunt.

Deum omnia cognoſcere, quæ fuerunt, quæ ſunt, quæ erunt, oſtenditur ratione Naturali.

COLLOQVIVM XVII.

ANONYMVS.

MAGNA profectò ſententia hæc eſt, quam modo protulit Homerus, aſſerens Deos (ſic Deum verum intelligens) omnia ſcire. Si enim omnia ſciunt, ergo non præſentia modo, ſed præterita quoque, & futura. Magna inquam eſt hæc ſententia, ea de cauſſa, quoniam vix credibile eſt hominē Ethnicum tantam veritatem vidiſſe; & tamen illam vidit.

TVTVS. Mihi certè impoſſibile videtur. Quomodo enim poteſt homo mentis acie penetrare, quod Deus ea etiam cognoſcat, quæ nondum ſunt? aut fortaſſe non erunt, vt contingentia? Hoc certè mihi nullo modo videtur fieri poſſe.

ANONYM. Et tamen ex ijs, quæ in ſuperioribus colloquijs eruditè diſputata ſunt, euidentiſſimè hæc quoque veritas deducitur.

TVTVS. Ego ſicuti non admodum in his Theologicis materijs verſatus ſum, ita ſumma cum attentione, & voluptate ſoleo illos audire, qui illas tractant; Propterea rogo te, dum nos hic ſoli ſumus, docere velis qua ratione videre potuerit Homerus, Deum omnia ſcire.

ANONYM. Nonne monſtratum eſt antea Deum primam eſſe omnium cauſſam efficientem, & finalem, independentem omnino, atque ſupremam, agentem per intellectum, & voluntatem, non autem neceſſitate naturæ? *Colloq. 5.* TVTVS. Monſtratum. ANONYM. Oſtenſum præterea *Colloq. 10* eſt actum volendi, & intelligendi diuinum, ipſum quoque intellectum, & voluntatem idem eſſe cum Deo ipſo. Vnde illud quoque ſequebatur immutabilem eſſe Dei voluntatem, non minus quam ſit ipſe Deus. Recorderis? TVTVS. Optimè memini. ANONYM. At quod de voluntate dicebatur, deque volendi actu, idem quoque & de intellectu, & *Scot. p. d. 2. q. 1. de prim prin. cap. 3.* intellectione dicendum venit, cum ſint quodammodo Deo intimiora. Nonne? TVTVS. Prorſus. ANONYM. Ex his ergo omnibus optimè colligitur Deum omnia penitus intelligere præterita, præſentia,

futura; omniaque hæc ſemper videre, & neceſſario; ita vt præteritorum non obliuiſcatur, futura nô minus atque præſentia optimè videat? Si enim Deus agit per intellectum, & eſt omnium cauſſa prima, efficiens, neceſſe eſt vt omnia cognouerit, quæ fecit, cognoſcat, quæ facit, & quæ facturus eſt eadem ſit cogniturus. At cum quælibet cognitio Dei, ſit idem cum Deo, Deus autem ſit immutabilis omnino, & neceſſe eſſe; ipſa etiam cognitio, quam de rebus habet omnino immutabilis erit, omniſque nouitatis expers. Quæ itaque antea cognouit Deus (cognouit autem omnia, quæ facta ſunt) eadem nunc quoque cognoſcit, quæ etiam futura ſunt, non minus cognoſcit, atque præſentia. Si enim præteritorum actualem cognitionem amitteret, aut nouam futurorum poſſet adipiſci, eadem quoque ratione & Deus ipſe poſſet incipere eſſe, & deſinere; quod iam patet omnino repugnare, & includere contradictionem.

TVTVS. Egregiè certè. Nunc optimè intelligo, quanta cum ratione ſcripſerit D. Auguſtinus in 5. de Ciuitate Dei, nihil magis rationi naturali repugnare, quam admittere Deum eſſe, & tamen ſentire eum alicuius rei inſipientem eſſe. ANONYM. Veriſſimum illud eſt, & ſententia tanto homine digna. TVTVS. Memini aliquando audiuiſſe, non defuiſſe qui dicerent Deum etſi omnia cognoſcat, non aliam tamen de illis cognitionem habere, niſi vniuerſalem: ſcilicet, inquiunt, Deum illa cognoſcere quatenus ſunt entia, & conueniunt in conceptu entis: non tamen illa cognoſcere quatenus ſunt ab inuicem diſtincta, & ſecundum proprias
1. con. gen. rationes. ANONYM. Auicennas fuit huius opinionis referente Diuo
cap. 50. Thoma; tamen facile refellitur hæc opinio. Vide, poteſt ne aliquis cognoſcere diſtinctè hunc hominem, quin cognoſcat & hominem, & animal, & viuens, cunctaque ſuperiora? TVTVS. Nullo modo. ANON. Ergo cauſſa illa, quæ indiuidua omnia diſtinctè cognouerit, omnes etiam rerum rationes intrinſecus cognoſcet.

TVTVS. Neceſſe eſt. ANONYM. Talis eſt cauſſa prima. TVTVS. Probandum eſt hoc. ANONYM. Facile probabitur. Dic mihi, cum gignitur Socrates, nonne gignitur & homo, & animal, & viuens? TVTVS. Gignitur. ANONYM. Quænam ſunt illæ cauſſæ, quæ hoc viuens, hoc animal, hunc hominem generant? TVTVS. Dicam eſſe Deum, Solem, & hominem. ANONYM. Optimè Quod igitur ſit homo genitus, non equus, aut leo, id non procedit ab vlla cauſſarum vniuerſalium, ſed tantum ab homine generante ſibi ſimile. Nonne? TVTVS. Ita. Deus, enim & Sol æquè leonem generaſſent ſi leo concurriſſet. ANON. At homo non præciſè genitus eſt, ſed hic homo, nempe Socrates. Quænam obſecro cauſſa effectum determinauit ad hunc potius hominem, quam ad alium numero diuerſum. Non certè Sol. hic enim æque omnes reſpicit, neque maior ratio eſt de vno, quam de alio. agit enim Sol naturaliter in generationibus, & ad vltimum potentiæ. quare aut omnes ſimul producerentur aut nullus. Similiter neque Sophroniſcus generans, magis intendit hunc, quam alium; agit enim naturaliter, & ſimilis eſt omnibus eodem modo.

TVTVS. Sophraniſcus non modo eſt homo, ſed hic homo. Vnde neceſſe

ceſſe eſt vt non modo generet hominem, ſed indiuiduum hominem.

ANONYM. Scio equidem. Sed non oſtendis mihi quamobrem hic homo, qui eſt Sophroniſcus, generet hunc, qui eſt Socrates, non autem alium indiuiduum. non enim magis ſimilis eſt Socraticæ indiuiduationi, quam alterius hominis. TVTVS. Quid dicam neſcio. ANONYM. Certè dicere oportet hoc prouenire ab aliqua cauſſa, quæ cum ad omnem generationem concurrat naturaliter, non agat tamen modo naturali, ſed per intellectum, & uoluntatem: ita ut in qualibet generatione ipſa effectum indiuiduum determinet, & eligat hunc magis, quam illum.

TVTVS. Proculdubio ita dicere oportet. ANON. At talis cauſſa per intellectum agens in generatione naturali, ipſe eſt Deus, ut conſtat, ipſe ergo etiam cognoſcet omnia ſecundum propriam indiuiduationem; & ex conſequenti ſecundum rationem omnem, qua ſunt cognoſcibilia.

TVTVS. ò pulcherrimam rationem. ANON. Non deſunt & aliæ ad idem oſtendendum, contra Auicennam. Vide aliam. Cognitis diſtinctè cauſſis omnibus rei alicuius, diſtinctè cognoſcetur & res ipſa.

TVTVS. Nego. ANON. Probo; quia quecunque inſunt effectui, ſiue ſint particularia, ſiue uniuerſalia, à proprijs cauſſis dependent. Qui itaque diſtinctè cauſſas cognoſcit, diſtinctè cognoſcet effectum.

TVTVS. Perge. ANON. Cum itaque Deus ſit omnium efficiens cauſſa prima, & per intellectum, petierim an ſit cauſſa mediata, an immediata. TVTVS. Quid ſi immediata? ANON. Ergo erit & totalis cum ſit prima. Quare omnia cognoſcet ſecundum proprias rationes eorum. Cognitio enim agentis determinat formam effectus, vt patet in artefactis.

TVTVS. Dicet Auicennas Deum eſſe tantummodo cauſſam remotam rerum, & generationem particularium, nihilque producere abſque concurſu inferiorum cauſſarum. ANON. Contra. Omnia, quæ ſunt præter Deum à Deo ſunt facta, vt creata; quare & cauſſæ omnes mediæ ab ipſo dependebunt effectiuè aliquo modo; dabiturque aliqua cauſſa vna, quæ ſecūda ſit, & immediate à Deo dependeat, niſi uis infinitas eſſe inter Deum, & effectum. Cum ergo hæc ſaltem immediatè à Deo dependeat effectiuè, neceſſe erit ut hanc ille cognoſcat diſtinctè, atque perfectè. Et ex conſequenti diſtinctè etiam cognoſcet, quicquid illa poteſt cauſſare immediatè. Qua eadem ratione colligitur, Deum diſtinctè cognoſcere cauſſas omnes medias vſque ad effectum vltimum. Si ergo diſtinctè cognoſcit omnes cauſſas rerum, cognoſcet & quicquid eſt in rebus ipſis. Hoc autem eſt habere propriam, atque completam earum notitiam. TVTVS. Demonſtratiua ratio hæc eſt. ANON. Accipe & aliam D. Thomæ, qua oſtenditur Deum eſſe primam cauſſam diſtinctionis, & varietatis rerum; contra quam Auicenna exiſtimauerit. Audi. Quodlibet agens ſibi ſimilem effectum optat efficere, quatenus ſcilicet effectus ipſius natura patitur. Quare quanto perfectius eſt agens, tanto producit effectum perfectiorem. Deus autem eſt agens perfectiſſimum, rerum omnium: ad ipſum ergo pertinebat in rebus factis ſimilitudinem ſui ita imprimere, quantum ipſarum rerum natura ferebat. Perfectam autem Dei ſimilitudinem non poterant res conſequi, ſi ſecun- *2. cōt. gen. cap. 45.*

dum vnicam ſpeciem eſſent productæ. Cum enim cauſſa excedat effectũ, illa perfectio quæ in cauſſa eſt ſimpliciter, & vnicè, in effectu inuenitur compoſitè,& multipliciter. TVTVS. Neque Pictor omnem ſuam perfectionem patefacit in vnica Cæſaris imagine, aut Pompeij; nam & regiones, & flumina, & alia quoque poteſt ad viuum exprimere, & in his propriam excellentiam manifeſtare. Patefaciet tamen ſi omnia illa faciat,quæ poteſt. Quare effectus hic adæquatè indicans Pictoris peritiam in pluribus conſiſtit, cum tamen in vno pictore vniuerſa illa facultas vnita reperiatur,quæ illa plura poteſt effingere. Accomodatum ne eſt hoc exemplũ? ANONYM. Accomodatiſſimum. Eandem ergo ob cauſſam oportuit & in rebus adeſſe multiplicitatem,& varietatem,ſi primi agentis Dei ſimilitudo debebat illis exprimi, ſecundum earum vim, & naturam. Si igitur Deus eſt cauſſa varietatis rerum, & cauſa per intellectum, neceſſe erit illũ intelligere diſtinctè rerum earumdem varietatem, & ex conſequenti omnia ſcire: Sicuti hoc loco noſter quoque aſſeruit Philoſophus,& Poeta.

O D I S S E Æ

Quarto, verſu ccccxxviij.

Deinde acceſſit Diuina Nox.

Quamobrem Homerus vocauerit Noctem Diuinam.

C O L L O Q V I V M XVIII.

I N G E N I O S V S.

SÆPENVMERO, dum in Homeri lectione verſor,mihi ſubit admirari Homerum ipſum;qui cum ſapientiſſimus fuerit omnium conſenſu, quibuſdam tamen epithetis res ipſas videtur honeſtaſſe, quæ maximè videntur ab ipſarum rerum natura diſtare. Inter alia vero, admirationem magnam pariunt illa epitheta, quæ nocti tribuit. In Decimoquarto Iliados vocat illam *ἀβρότην*, immortalem; cum tamen ſi ſenſui credimus accedere, & recedere incipere, atque deſinere videatur. Verum hoc minus habet admirationis. Dici enim poteſt quod etſi nox accedat,atq; recedat, ipſa tamen vere perpetua eſt & indefectibilis.Nihil.n.aliud eſt ipſa

Nox,

Nox, quam vmbra terræ oppoſita Soli, quæque eodem temporis ſpatio terram circuit, quo & Sol ipſe. Quæ vmbra figuræ eſt Pyramidalis, ea de cauſſa quoniam terra minor eſt ipſo Sole. Cum itaque Sol ſemper aliqua ex parte terram illuminet, terra autem ſit opaca, ideo & talis vmbra nunquam deficit; & propterea quodammodo eſt immortalis.

INCLVS. Dici etiam poſſet noctem uocari ἀβρότην, propterea quod noctu mortales lateant, & vt inquit Euſt. in ea mortalis non prodit Dictio enim ἄβροτος deriuatur à βρότος, ideſt mortalis, præfixo alpha priuatiuo. Quare dicere poſſumus noctem immortalem vocari, quia mortalibus ſit priuata; ſic etiam cenſuit Suidas. INGEN. Nil repugnat ita exponere. Maiorem admirationem facit aliud Noctis epitethum, quod eodem habetur 14. Iliados, vbi Noctem uocat domatricem Deorum. νὺξ δμήτειρα θεῶν, Scholiaſtes autem explicat δεμάστρια, ὅ ἐστιν ἄρχουσα perinde atque Nox Dijs præſit, ac imperet.

PROVID. Hoc certè epithetum mirabile eſt, & digniſſimum conſideratione. Niſi præſentis inſtituti eſſet ea tantummodo conſiderare loca, quæ continentur in Odyſſea, me continere non poſſem, quin vterer Auctoritate mea, præciperemque vobis, vt de huius epitheti cauſſa diſſereretis aliquantulum. INGEN. Non deerit tempus ad id idoneum fauente Deo. Porrò hoc loco vocat Homerus Noctem, ἀμβροσίην νύκτα, quod itidem fit in verſu 573. huius ipſius libri, & in 2. Iliados Interpreres vertunt Diuinam. Nonne mirabile eſt, quod Nox Diuina vocetur?

PROVID. Id non placet Henrico Stephano, qui mauult reddere Dulcem. hac ratione motus, quod Nox nobis ſomnum, qui ſomnus ab Homero nōnunquam ἀμβρόσιος ὕπνος, ſæpe etiam γλυκύς, item & μελίφρων dicatur. ita vt commodè dictio ἀμβρόσιος, idem ſit quod, dulcis, & ἀμβρόσιος ὕπνος, dulcis ſomnus. SITIC. Sic & Virgilius. *In Theſauro Lin. Gr.* *6. Aeneid.*

Preſſitque iacentem
Dulcis, & alta quies, placidaque ſimillima morti.

Sic & Euſtat. inquit ἀμβρόσιος eſſe παρώνυμον nominis ἀμβρόσια, vt videlicet ab Ambroſiæ dulcedine, quæ herba quædam eſt, & cibus dicitur Deorum, ponatur ambroſios, pro dulci.

INGEN. Quicquid ſit de huiuſmodi expoſitione, conſtat veteres Homeri expoſitores reddere ἀμβοσίην νύκτα diuinam Noctem. Sic Didymus hoc loco, ἀμβροσὶη, ἄφθαρτος θεία, incorruptibilis, Diuina. Sic & Scholiaſtes in 13. Iliados νὺξ ἀβρότη, exponit θεία, Diuina; & tandem interpretes omnes ita uertunt. Quin & Homerus apertè vocat Noctem Deam, quam & Iuppiter veritus eſt lædere, ſi ſomnum offenderet, quamuis iratus confugientem ad Noctem dum Iouis ipſius iram ſtudebat euitare. INCLVS. Nemini dubium Noctem habitam eſſe Deam, Romanis, & veteribus omnibus; Immo Heſiodus inquit, illam eſſe deorum antiquiſſimam; illamque vocat matrem deorum, & hominum; et geneſim

H 3 omnium;

Digitized by Google

omnium; Orpheus autem tradit illam fuiſſe Chaus filiam, matremque Ætheris,& diei. INGENIOS. Hæc omnia videntur præter rationem omnem dici; hocque illud eſt, quod in ſapientiſſimo admiror Homero, quod ipſe ſecutus aliorum errorem, Noctem Diuinam dixerit, cum tamen ipſa è diametro opponi Deo videatur. Deus enim eſt Lux æterna,& inacceſſibilis; quod & Zoroaſter cognouit referente Plutarcho; Nox vero nihil aliud eſt,quam tenebræ. Deus eſt actus purus; Nox mera priuatio. Deus Sol inuiſibilis; Nox Solem etiam viſibilem tollit. Vno verbo,Deus eſt ens, Bonus, Pulcher, Actus Primus, Neceſſe eſſe,vita; Nox è contra, non ens, Malum, Deforme, Negatio,accedens, & recedens; Mortis imago, quæque Solem vitæ cauſſam timet,fugiens illum.

ANONYM. Quo magis niteris Ingenioſe, abſurditatem epitheti huius indicare, eo maiorem mihi cupiditatem concitas intelligendi, qua ratione motus Homerus eiuſmodi epithetum Nocti tribuerit. Non enim ignoro te, qui rem hanc iamdiu uideris conſideraſſe, multas etiam inuenire potuiſſe uias, & rationes, quibus Auctor noſter à calumnijs defendi optime poſſit. Dicam tamen quid mihi modo in mentem venerit pro hac ſententia. Nonne dici poſſet Noctem & ratione ſimilem eſſe Deo, quia ſicuti Deus abyſſus quædam eſt impenetrabilis perfectionis, & excellentiæ, cuius arcana inquirenda non ſunt, iudicia ſunt imperſcrutabilia, & inueſtigabiles viæ; quæ qui audet temere perſcrutari, in maximo periculo eſt, ne ab infinita illa luce victus ingenij, & intellectus aciem amittat,in infinitos errores ruens,& ineptias; Cipriano aſſerente,quod de Deo etiam vera dicere periculoſum: Ita Nox inuiſibilis ipſa cum ſit, inuiſibilia etiam cuncta reddit, quæ ſinu proprio complectitur; quique per noctem mediam audet uagari,in multa ſe proijcit pericula?

In Simb.

INGENIOS. Hoc magis fortaſſe conueniat Ethnico cogitaſſe, quam Philoſopho Chriſtiano. Non enim mihi uidetur huiuſmodi ſimilitudo Dei, & noctis admodum conuenire. Melius ille dixerit, qui ea de cauſſa ſtatuat Noctem Diuinam vocari, propterea quod homines quodammodo reddat Deo ſimiles. Equidem hoc non inepte dicatur. Deus quippe ſapientiſſimus eſt, immo ipſa ſapientia; Nox autem illud habet proprium vt homines Sapientes reddat. Optima enim conſilia nocte conſtituuntur; res cognitu arduæ optime penetrantur, quod tunc animus ſit liber, & vacuus à curis; minimeque ab obiectis uiſibilibus, aut ſtrepitibus diſtractus. Propterea Poetæ,vt Pierius refert,Noctem εὐφρονήν, ideſt ſapientem à meditationis promptitudine vocabant. Quare ſicuti vſitatum eſt dictum, Nox dabit conſilium; ita dici poteſt. Nox dabit ſapientiam. Nihil enim ad ſtudia nocte commodius.

INCLVS. Epicharmi dictum eſt. Si quid ſcitu dignum quæras nocte meditandum. SITIC. Hoc etiam videtur ſignificare Statius Papinius, in hymno illo,quem ipſe ad noctem concinuit,libro 2. Theb. INGEN. Poſſet ne audiri hymnus ille? SITIC. Poſſet. Ecce.

Nox

Nox, qua terrarum, cælique amplexa labores,
Ignea multiuage, tranſmittis ſidera lapſu,
Indulges reparare animum, cum proximus ægris
Infundat Titan agiles animantibus ortus,
Tu mihi perplexis quæſitam erroribus vltro
Aduehis alma fidem, veteriſque exordia fati
Detegis, aſſiſtas operi, tuaque omnia firmes.
Semper honoratam dimenſis orbibus anni
Te domus iſta colet, nigri tibi nigra litabunt
Erecta ceruice greges, luſtraliaque exta
Lacte nouo perfuſus edet Vulcanus ignis.

Gyraldus de Dijs gẽtium ſyntagm.1.

PROVID. Pulcherrimus hymnus. Sed & priſci Ægyptij illi ſapientiſſimi, cognoſcentes quantum vigiliæ nocturnæ conducant ad ſcientias comparandas, quantum ſint meditationi commodæ, & ad excogitandum, propter ſilentium aptæ; cum vellent lucubrationem, per quam ſapiens fit homo, denotare, lucernam pingebant, hoc modo ſignificantes ſcientias per nocturnas vigilias comparari. Vnde illud plus olei quam vini quoſdam abſumpſiſſe, de illis intelligitur, qui in ſtudijs litterarum ſummopere profecerunt. *Pierius lib.46.*

SITIC. Immo & apud ſacros ſcriptores lucerna ſcientiæ ſymbolum eſt, ſicut & ignis fidei, quas in manibus habendas, diuina inſtitutione commonemur. Quod quidem etſi ita poſſet intelligi, quod ſcientia ita intellectum illuminet, ſicuti & oculum lucerna, nil tamen prohibet, quin intelligamus lucernam ideo ſcientiam ſignificare, ea de cauſſa, quæ ſupra relata eſt ex Pierio.

INGEN. Diuina ergo nox dici poteſt, quod ignorantiæ tenebras pellat, ſcientiæ, & meditationi ſit maxime commoda, per quas res omnes, nos ſimiles reddimur Deo, ipſique quammaximè appropinquamus.

SITIC. Poſſet & illud addi mea ſententia, quod cum Dei proprium ſit uacare curis, & animi paſſionibus, laboribuſque Nox ideo Diuina dicatur, quoniam homines a curis liberat, & effectibus omnibus, ſomnum afferens. TVTVS. Poeta pulchre hoc ſignificauit, inquiens.

Nox hominum genus, & duros miſerata labores
Attulerat feſſis optata ſilentia rebus.

INGEN. Neque hoc inconuenit. PROVID. Addam ego quoque rationem aliam, quæ mihi pulcherrima videtur. Puto enim Noctem ideo ἀμβροσίην, Diuinam, & immortalem dici, propterea quod ipſa quantum ex ſe eſt homines immortales reddat.

INGEN. Qua ratione obſecro? PROVID. Etenim cum nulla alia de cauſſa mors neceſſario animantibus adueniat, euitarique non poſſit, nisi

niſi quia cum viuant calido & humido, neceſſe tandem eſt humidum illud abſumi totum & ab interno calore, & ab externis cauſſis, ita vt tandem ad huius conſumptionem innatus quoque calor eat perditum; illud iure dicetur eſſe cauſſa immortalitatis, quod non modo impedit hanc animalium, & hominis conſumptionem, verum etiam reficit id quod antea conſumptum fuerat. Nonne?

INGEN. Prorſus. PROVID. Tale Nox eſt. Hæc enim ſomnum afferens, quo ſenſus omnes & interni, & externi ociantur, in cauſſa eſt, ut ſpiritus, qui per vigilias conſumpti ſunt, regenerentur, cibus concoquatur, & nutriantur partes, quodque antea abſumptum fuerat denuò addant. Per diem autem conſumuntur corpora, non modo à calore Solis diſſipata, verum etiam à laboribus corporis, & animi; ita vt dicere poſſimus homines per diem accedere velociter ad Noctem mortis. At nox laboribus omnibus finem imponens ſpiritusque influentes recreans, & innatos, parteſque conſumptas reſarciens concoctione, non modo ſiſtit iter ad mortem, ſed quodammodo etiam in cauſſa eſt, ut animal pedem referat, ad vitamque denuo reuertatur. At hoc quid aliud eſt, quam noctem ex ſe conari, ut homines immortales reddat, & Deo ſimiles?

INGEN. Certe diuina eſt hæc ratio. Ex qua etiam patet quam inepte illud dicatur, noctem vnicuique dimidium uitæ adimere; eo quod uita, quam noctu degimus, ſit morti ſimilis. Potius enim è conuerſo videtur eſſe ſtatuendum; noctem ſcilicet duplem efficere uitam, ipſamque iter ad mortem retardare.

ODYS-

O D Y S S E Æ

Quarto, Verſu DCXXI.

- - - - Afferebantque animoſum Vinum.

De Cauſſa, ob quam Vinum Audaciores homines reddit.

C O L L O Q V I V M XVIV.

S I T I C V L O S V S.

MATERIA Seſe nobis offert hodie, ò Amici, de qua vt diſſeramus ſi rogauero vos, neminem fore arbitror, qui me carpat. Siticuloſus ego dicor, & verè ſum, De Vino igitur loquamur, quod ſuaue eſt ſitis remedium, & cor hominum lętificat, mirabileſque alios effectus parit. Non modo enim lætificat, vt modo dicebatur, ſed nõnullos in triſtitiam agit, audaciam addit, vt dicitur hoc loco, arcana reuelat, vt dicebat Poeta noſter.

Elicit & verbum, quod non dixiſſe iuuaret.

Aliaque multa efficit, quorum cauſſa digniſſima mihi eſſe videtur, de qua nos hodie loquamur. PROVID. Rectè ſentis Siticuloſe. Sed quiſnam noſtrum melius diſſeret de vino, quam ille, qui ab illius deſiderio ſortitus eſt nomen? Tuum erit Siticuloſe, horum omnium aperire cauſſas, & docere qua ratione tot effectus vinum pariat. SITIC. Non recuſabo illa recenſere, quæ de hac re apud Auctores mihi legere contigit. PROVID. Quid petis ò Polydore? POLYD. Sunt hic nonnulli, qui obnixè rogarunt me, vt dicerem Siticuloſo, eos illum multum expectaſſe, vt finis imponeretur illi negotio, quod ipſe nouit. SITIC. Hem cur tam cito venerunt. Cogor diſcedere. Res eſt permaximi momenti, & in qua de cuiuſdam ferè perditæ animæ ſalute agitur. PROVID. Non te cogã remanere, quando tanti momenti eſt negotium iſtud. Attamen libentiſſimè te audiuiſſem de his vini effectibus diſſerentem. SITIC. Indicabo Auctorem, ex quo omnia fere deſumpſeram, quæ eram dicturus. PROVID. Hoc ſufficiet nobis. Dicas quiſnam ille SITIC. Io. Baptiſta Perſona, in Commentario illo, quem edidit in Galeni librum; quod animi mores corporis temperamentum ſequuntur. In Capite tertio. Legatis hunc, & hæc omnia innoteſcent, de quibus ego acturus erã. Valete. PROVID. Nos quoque diſcedamus. Iam iam dicentur Veſperæ; Illis intereſſe oportet.

ODYSSEÆ

Quarto, verſu DCLIX.

His vero Antinous interfatus eſt Eupithei filius,
Triſtatus: furore multum præcordia circumnigra
Implebantur: oculi vero ei igni ſplendenti ſimiles erant.

Quamobrem irati ignitos oculos habere videantur: Et de oculorum Phyſiognomonia quadam.

COLLOQVIVM XX.

ANONYMVS.

NON Poterat melius, Poeta noſter exprimere iratum hominē quam nunc expreſſerit iratum Antinoum inquiens oculos eius fulgentem ignem repręſentaſſe. Reuera enim iratis hominibus oculi ſplendentes fiunt, & rubicundi, ita vt ignem referant. Quam ob cauſſam etiam à Græcis πυρώδεις nuncupantur. SITIC. Non tantum iſtud per iram fit, verum & alia pleraque ſuperueniunt iratis; Nam & venæ frontis intumeſcunt, & facies tota rubore ſuffunditur, nonnullis & tempora pulſant, caput dolet, & febris ſuperuenit. Quod ſi horum cauſſam querat aliquis, ea eſt, ſanguinis, & ſpirituum ingens copia, ad eas partes confluens. ANON. Tamen igniti oculi non à ſolo ſimplici ſanguine, & ſpiritu videntur fieri poſſe, niſi etiam ſpiritus illi, & ſanguis igneę cuiuſdam euadant naturæ, atque ſplendentis, quales per iram certe fiunt. Cum enim in ira ſanguis, & ſpiritus circa cor efferueſcant, & accendantur, efficitur vt ſpiritus vitales igneam naturam acquirant, reddanturque ſplendidiores inſtar flammæ ignis. Cumq; locus illius efferueſcentiæ, & ebullitionis ſint arteriæ illæ magnæ, quæ ſunt inter cor, & caput, ideo ob vehementem calorem eo contrahitur vndiq; ſanguis. Quare tandem neceſſe eſt, vt expanſis ſpiritibus illis, qui præ tumore, & feruore anguſtiam illam locorum ferre amplius non poterant, ijs cætera membra repleantur, & pręcipuè caput, & oculi, quæ partes maximam cum corde ſympathiam ſortitæ ſunt, per maximas arterias, & venas. Repleti ergo oculi ſpiritibus multis, quaſi flammulis quibuſdam, nil mirum ſi igniti videantur. Cumque Natura maioribus etiam venis vultus cutem texerit, quam reliqui corporis, ideo & vultus per iram rubore ſuffunditur, ob multitudinem ſanguinis eò confluentem. PROVID. Ariſtoteles in Problematis *Sect. 31. Probl. 3.* paulò diuerſam huius rei cauſſam retulit. Quærens enim cur homines irati oculis maxime erubeſcant, pudefacti auribus. Reſpondet hoc quidem fieri, quoniam oculi refrigerantur eorum quos puduit, (pudorem enim in oculis eſſe) nec reſpicere valent, quos pudor tenet; & timor quoque refrigeratio loci eiuſdem eſt. Calor igitur in partem tranſit aduerſam, quæ poſte-

rior

rior eſt. Aures itaque,quæ ex aduerſo ſunt poſitæ,pudore maxime erubeſcunt. At iratis præſidium in eam partem,tanquam violatam trāſmittitur, quæ & ſenſu,& motu facilior eſt; nam & in metuendo calor eam maxime deſerit. Talis autem pars oculus eſt. ANON. Hæc Ariſtotelis reſponſio, licet parumper videatur à ſuperiori deſſerre,reuera tamen in idem cadit, cū illa; niſi quod ſuperior per immediata magis, & propria procedere videtur, vt patet conſideranti: INCLVS. Iam mihi videor intelligere, quam ob cauſſam Phyſiognomones dicant, ſplendentes, ignitoſque oculos ſignum haberi impudentiæ. Sic teſtatur Ariſt. in Phyſiognomonicis; ſic Poeta, dicens. Quibus ignei oculi, πυρώδεις inuerecundi ſunt, & ad canes referuntur. Et Adamantius. Igniti oculi, & canini impudentiā demonſtrant. TVTVS. Homerus ergo impudentiam, & timiditatem Agamemnonis notabat, quādo Achillem introduxit ita illum exprobrantem.

Ebrie luminibus canis, effrons, & pectore cerui. *Iliad. A.*

Nonne? INCLVS. Prorſus. nam per cerui cor timiditatem, per caninos oculos impudentiam ſignificabat. TVTVS. Dixiſti te cauſſam huius intelligere; relinquitur vt illam doceas. INCLVS. Si multi ſpiritus, iįque calidi valde, & ardentes ignitos oculos faciunt, vt modo docebat Anonymus, nil mirum inquam, ſi quibus tales ſunt oculi, inuerecundi ſunt, & impudentes. Pudor enim fit refugientibus ab oculis ſpiritibus, vt modo dicebam: id autem ſignum eſt imbecillitatis, & impotentiæ reſiſtendi. At qui ſpiritibus abundant, iįſque plenos oculos habent, cum in illis magnum conſiſtat robur oculorum, non ita facile, neque à cauſſa qualibet ſpiritus illi repulſionem illam patientur, neque retrocedent, ſed reſiſtent validè, cauſſæ repellenti. Hanc puto cauſſam eſſe problematis huius. ANON. Optima certe doctrina, & Ariſtoteli conſona. Si tamen licet aliquid addere, dicerem ego eos, quibus à natura igniti inſunt oculi, ideo inuerecundos eſſe, quia ſpiritibus multis, iįſque efferueſcentibus cum abundent, indiciū eſt eos calido, ſiccoque corde prẹditos eſſe; Tales autem conſtat non modo ad iram valde eſſe procliues, verum etiam inuerecundos eſſe. SITIC. Ne loquendi laborem ſubterfugias, dicens id conſtare. mihi ſanè non conſtat, quomodo qui calido ſunt corde, inuerecundi etiam ſint. ANON. Multa ſuperſunt hodie peragenda in Academia, & iam adueſperaſcere videtur: propterea ſermones concidendi ſunt. Si cupis videre, qua ratione calidum, ſiccumque cor, impudentiam pariat, legas Perſonam noſtrum, in Commentario. Quod animi mores, corp. temp. ſequun. pagina 120. & 276. Ibi exactiſſimè videbis hæc omnia tractari. SITIC. Heri emi librum illum, hodie percurram hæc loca. Sed aliud etiam eram rogaturus, non parui momenti. An ſcilicet illa duo cohærere ſimul poſſint, vt quis & impudens ſit, & timidus, vt Achilles exprobrauit Agamemnoni. Sed deſino, ne tempus deficiat. ANON. De hoc fortaſſe alias agemus. Video Principem noſtrum mittentem Academicorum nomina, in pileum, videamus, quiſnam futurus ſit Princeps. PROVID. Iacobe, da mihi ſchedulam vnam ex his, quæ

hic

Digitized by Google

hic ſunt intus. SALVE PRINCEPS NOSTER SITICVLOSE. SITIC. Qui ſitit aquas ſapientiæ, non rectè præterit ſapientibus. PROVID. Nemo ſapientiam ſitit, niſi ſapiens.

ODISSEÆ

Quarto, verſu DCVC.

- - Huius illico ſoluta ſunt genûa, & amicum pectus,
Diu ipſam ſilentium verborum cepit, ipſius vero oculi
Lachrymis impleti ſunt, tenella autem ei detenta eſt vox,
Tandem vero ipſum verbis excipiens allocuta eſt.

De Timore, eiuſque differentia, & cauſſis, & effectibus varijs.

COLLOQVIVM XXI.

SITICVLOSVS.

HÆC Narrat Homerus contigiſſe Penelopi, matris Telemachi, tunc cum Preco quidam nunciaſset ei Procos inijſſe conſilium vt Telemachum ipſum abſentem interficerent in reditu. Conſtat autem hæc omnia contigiſse Penelopi præ timore, quo tunc correpta eſt, audito Precone talia nunciante. Mihi itaque conſideratione dignum viſum eſt, quamobrem timor tot, tamq; varios effectus pariat. Atque in hoc volo verſari præſens colloquium. INCLVS. Non alia ratione id fieri melius poterit, quam ſi prius ante omnia conſtiterit quid ſit ipſe timor. cognita enim illius natura, innoteſcet facile dictorum effectuum cauſsa SITIC. Antequam autem timoris afferatur definitio, ſatius erit diſtinguere nominis ſignificata, imò rem ipſam ſignificatam. Ariſtoteles enim duplicem ſtatuit timoris ſpeciẽ.
2. Oecono. cap. 2. Vnam quidẽ inquit fieri cum pudore, & reuerentia, qua vtuntur ad patres filij modeſti, & ciues beenmorati ad ſuos gubernatores. Alteram autem cũ inimicitia, & odio cuiuſmodi timor eſt ſeruorum ad Dominos, & ciuium ad tyrannos iniuſtos, & iniquos. Quam timoris diſtinctionem & Theologi noſtri receperunt. Hic de ſola ſecunda ſpecie agendum, quæ non neceſsario habet pudorem adiunctum, aut reuerentiam, talem enim conſtat fuiſse
4. Tuſc. q̃ſtion. timorem Penelopes. PROVID. De hoc timore fortaſse intelligebat Cicero, quando definiens inquit eſſe metum appropinquantis mali. SITIC. De hoc

Digitized by Google

hoc certè intellexit, ſed non ſatis rectè merum poſuit in timoris definitione. INCLVS. Melius definiuit Ariſtoteles dicens timorem eſſe mali expectationem. ANON. Fracaſtorius definiuit triſtitiam eſſe ex appropinquante malo. SITIC. Satis rectè. Tamen ſi quis triſtitiam faciat diſtinctam ſpeciem affectus à timore, optime definiat dicens timorem eſſe fugam quandam, & depreſſionem iraſcibilis appetitus; factam ab expectatione mali. Cum itaque ad cor ipſum ſpectet, animoſamque facultatem malis obuiam ire per audaciam, ideo in timore cor laborat, dictaque facultas. patitur. Vnde tunc temporis ſpiritus & ſanguis intro confertim reuocantur, & calor qui per cor ipſum diffuſus erat in penitiſſima cordis ſe recepit. Hæc autem omnia à natura fiũt, vt malum extrinſecum ipſa declinet, & fugiat, animoſa vero facultas roboretur. Nec modo vitales ſpiritus tunc temporis ad cor confugiunt, verum & animales ad cerebrum retrahuntur, quia in eo facultas illa reſidet, quæ malum cognouit appropinquare. Cum igitur in timore omnes ſpiritus, & ſanguis, in quibus vires noſtræ conſiſtunt, intro reuocentur, parteſque externas deſerant, efficitur vt partes ipſæ externæ calore deſtitutæ algeant, palleſcant, vireſque earum concidant. Qui quidem lapſus virium præcipuè in genubus obſeruatur. Hæc enim maximè omniũ collabi videntur, & labefactari. Genuum enim articulatio cum facile in omnem partem flectatur, validiſſimo indigebat ſpirituum influxu, vt vniuerſum corporis pondus ſuſtineret, & ferret. Recedẽtibus ergo ſpiritibus, & ſanguine, introque reuocatis, euenit vt hæc pars, ſicuti plus cæteris exterioribus indiget, magiſque laborat, ita etiam promptius, & euidentius defectum ſentiat. INGENIOS. Non arbitror opus eſſe, vt ad alium confugiamus, pro huius problematis diſſolutione, quam ad Principem noſtrum, adeo ſtabilis hæc videtur doctrina. Pergas ergo, & docens quamobrem in timore vox ſupprimatur, ſicut hoc loco dicitur cõtigiſſe Penelopi. SITIC. Facile eſt illud intelligere. Aer enim, qui intro attractus erat per inſpirationem, inter loquendum foras mittitur, & frangitur in larynge. At in magno timore intro detinetur, nec exire poteſt. Cum enim omnia tunc temporis confertim, & repẽtè, intro cor verſus tendant, aer etiam ipſe, in pulmonem attractus [aliarum rerum motum ſequitur, & quadam cohibetur illarum Societate, ne aliter moueatur, quam cæteri ſpiritus omnes moueantur. At hi circa cor colliguntur, vt illi ferant opem, vnde & aer ipſe intro detinetur, atque ita vox ſupprimitur. TVTVS. Virgilius nonnullos videtur timoris effectus addere, quos hic Homerus non recenſuit inquit enim.

3. Ethic. 6

Gal. 2. de cauſſ. ſym. cap. 5. Fracaſt. de ſympt. & antip. cap. 19.

Illi membra nouus ſoluit formidine torpor,
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæſit. 12. Aeni.

Addidit enim capillorum erectionem. SITIC. Nihil addidit. Hæc enim ex refrigeratione cutis capitis conſequitur ob ſpirituum receſſum. Refrigerata enim cute, capitis conſtringuntur pori illius, quibus inſeruntur capilli, & propterea eriguntur. Sed notatione dignus eſt ordo, quem Virgilius ſeruauit in his narrandis effectibus. Cum enim ea omnia ſint effectus

cæteris

Digitized by Google

caloris retrocedentis ad ſuum principium conſentaneum eſt rationi, vt timoris effectus prius appareant in remotioribus partibus, quam in vicinioribus cordi. Sunt autem valde remota crura, & extremi pedes. Ideo primo dicit hæc concidiſſe. At quia caput minus à corde diſtat, ideo tardius timoris ſentit effectum: Quare & ſecundo loco dixit arrectas fuiſſe comas. Pectus autem, & guttur, quorum auxilio fit locutio cum ſint viciniſſima cordi, ideo in his non ita cito ſentiuntur timoris accidentia, eiuſmodi eſt vocis interceptio. Quare merito hoc ſignum vltimo loco narratum fuit à Poeta.

ODYSSEÆ

Quarto, verſu XCII.

Sic locuta Dea appoſuit menſam,
Ambroſia replendo, miſcuit autem Nectar,
Cæterum ipſe bibebat, & comedebat internuncius Mercurius.

Quid ſit Ambroſia, quid Nectar. Et cur veteres illam cibum hoc potum Deorum fecerint. Refellitur etiam opinio Macrobij de Nectare.

COLLOQVIVM XXII.

TVTVS.

ET Si antiqui ferè omnes in eo conuenire videantur, quod ſtatuant Deos Ambroſia veſci, & Neſtar bibere, credendum tamen non eſt eos tam fatuos extitiſſe, vt crediderint Deum immortalem, (ſiue vnum, ſiue plures poſuerint) comedere, aut bibere. Eſt enim notiſſimum apud Philoſophos omnes repugnare quod quis ſit immortalis, & tamen indigeat cibo, aut potu. Homerus ſaltem noſter id non ignorauit. Qui in quinto Iliados apertiſſime aſſerit Deos neque comedere, neque bibere, & ideo immortales eſſe. Sic enim ait verſu 341. de Dijs loquens.

Nam neque edunt panem, neque vini ſumere ſuccos
Conſueuere dij: qua propter ſanguine caſſi,
Atque immortales perhibentur.

Sed

Digitized by Google

Sed eâ de cauſſa crediderim ego Poetas Ambroſiam pro cibo, Nectar autem pro potu tribuiſſe Dijs, vt hoc modo Deorum eximiam indicarent nobilitatem, aut certe immortalitatem. Nobilitatem quidem, ſi Ambroſia & nectar cibus ſit & potus aliquis prætioſiſſimus, quo voluerint Deos ipſos honorare. Immortalitatem autem, ſi Ambroſia, & Nectar talis ſit cibus, & potus, vt homines ex illius vſu immortales reddantur, & Dijs ſimiles, aut ſaltem ita fient longæui, vt quodammodo videantur immortales. PROVID. Communem eſſe ſententiam audiui, Ambroſia, & Nectare immortalitatem Deorum à veteribus indicatam fuiſſe, cui opinioni videtur & nominum etymologia fauere. Etenim Ambroſia ex alpha priuatiuo conſtituitur, & ex βρότος, quod eſt, mortalis; adiecto μ, vocalitatis gratia. Quaſi ipſa ſit immortalis, aut quod comeſta reddat immortales. Nectar etiam venit ex νε, quod priuationem ſignificat, & κτείνω, quod eſt occido. Sic Arnoldus Arlenius. Vnde ſemper ego audiui Ambroſiam, & Nectar cibum quendam eſſe, & potum, ex quorum vſu longæui homines reddantur. Quamobrem non alia de cauſſa credendum eſt Poetas huiuſmodi cibum, & potum tribuiſſe Dijs, niſi vt indicarent eos eſſe immortales. ANON. Putas ne ô Tute Ambroſiam, & Nectar eſſe reale aliquid, an potius ſunt ficta nomina à Poetis, nihil ad extra habentia, quod ſignificent? TVTVS. Res ſunt reales, immo Ambroſia eſt quid à Natura productum, licet Nectar non ſit ſine Artificio. ANON. Eia, in gratiam meam diſſeratis, amici, de huiuſmodi cibo, & potu, vt ego quoque ſciam, quid hæc ſit Ambroſia, quid Nectar, quibus facultatibus ſint prædita, & an longiorem hominum vitam reddere valeant. Ni fallor enim res erit iucunda cogitatu, dignaque hoc conſeſſu. TVTVS. Multa ſunt, vt hinc exordiar, apud ſcriptores, quæ Ambroſiæ nomine nuncupantur. Apud Ætium videre eſt emplaſtrum quoddam, quod ille Ambroſiam vocat. At conſtat hoc ambroſiam illam non eſſe, quam quærimus. Paulus Ægineta vocat Ambroſiam malagma quoddam contra febres efficax: Sed neque hoc eſt Ambroſia Deorum. Ambroſia etiam nomen eſt antidoti cuiuſdam, quam Zopyrus Ptolemæo Regi compoſuit, cuius deſcriptio habetur apud Celſum. Sed Ambroſia Deorum erat ante Zopyrum, & Ptolemæum. Galenus etiam Ambroſiam nominauit quoddam potionis genus, qua ipſe ad Phthyſicos vtebatur. Verum neque hæc Ambroſia dici poteſt cibus Deorum. Sunt qui hanc Ambroſiam plantam illam eſſe cenſeant, quæ Græcè ἀείζωον, Latine ſemperuiuum dicitur, quæque Dioſcoridi Sedum maius vocatur: quæ quidem cũ omni tempore vireat, ideo ab ipſorum foliorum immortalitate dicunt illã creditam fuiſſe cibum Deorum immortalium. Verum leuiſſima ratio hæc eſt. Non enim Sedum magis quam Laurus, aut alia ſemper virens arbor cibus vocaretur Deorum, neque Nectar magis quam aqua potus diceretur. Aqua enim ipſa Potus quidam eſt immortalis, nunquam deficiens, quod de Nectare dici nequit. ANON. Quid ergo tandem erit hæc Ambroſia Deorum. Quæ enim dicta ſunt hactenus nihili facio. TVTVS. Herba quædam eſt, quæ propriè Ambroſia dicitur. Quam deſcribens Dioſcorides inquit fruticem puſillum eſſe, ramoſum, trium palmorum altitudine, folijs

Libro 14. cap. 2.

Lib. 7. c. 18

Libro 5. c. 23.

Lib. 3. ca. 102.

rutæ

Digitized by Google

rutæ circa imum caulem exiguis; Cuius cauliculi ſeminibus referti ſunt;
ſimilibus racemulis, qui nunquam florent; odore vinoſo,& iucundo, ſua-
uique, radice tenui, & ſeſquipedali. Plinius eadem tradit. Ambroſia in-
quit,vagi nominis eſt,& circa alias herbas fluctuantis;fruticem vnum ha-
bet denſum, ramoſum, tenuem, trium fere pulmorum, tertia parte radice
breuiore, folijs Rutæ; Circa imum caulem in ramulis ſemen eſt, vuis de-
Libro 27. pendentibus,odore vinoſo;qua de cauſſa Botrys à quibuſdam vocatur.Co-
cap.4. ronantur ea Cappadoces.Quibus conſtat Plinium in Ambroſiæ deſcriptio
ne cum Dioſcoride conſentire. ANON. Huiuſmodi ergo Plantam dicis ea
virtute præditam eſſe, vt homines comeſta immortales, aut ſaltem longe-
Libro 10. uos faciat.TVTVS. Qui hoc tempore conſideratius Plantarum Hiſtoriam
cap.32. ſcripſiſſe videntur, id negant dicentes Ambroſiæ vires a veteribus aſſigna
tas tam egregiæ appellationi haud reſpondere. Contra Matthiolus inquit
non modo Poetas, verum & Plantarum ſcriptores celebres aſſeruiſſe hanc
Plantam non alia de cauſſa Ambroſiam Dictam fuiſſe, quam quod ſuo in
cibis vſu,lõgæuos homines faciat,& quodammodo immortales. ANON.
Tu vero quid ſentis? TVTVS. Mihi ſane videtur Ambroſia illis qualita-
tibus, & facultatibus inſigniri à Galeno, Plinio, & Athenæo, quibus ſi in
cibum aſſumatur ſit apta ſummopere ad hominum vitam conſeruandam,
prorogandamque. Galenus enim primum aſſerit Ambroſiam vim habere
6.ſimpl. adſtringendi,& repellendi,quod & Dioſcorides affirmabat. Plinius è con
tra ſtatuit vſum eius conuenire,vbi diſcutere ſit opus.Et alibi addit ortho-
Libro 27. pnoicis mederi. Et de illius vua verba faciens inquit illam abſque vaſe
cap.8. ullo in uite ſeruari, tanta eſt eius contra frigora, æſtus, tempeſtateſque fir-
2. Dypno- mitas.Plinio autem,magiſquam Galeno,aut Dioſcoridi,uidetur Ibycus ad
ſoph. ſtipulari referente Athenęo. Scripſit enim Ambroſiam melle nouies eſſe
dulciorem,& in melle nonam tantum partem eius uoluptatis,quæ in am-
broſia ſentitur percipi.Conſtat autem dulcedinem relaxare magis,& diſcu
tere,quam adſtringere, aut repellere. Si ergo tantorum uirorum auctoritati
fides eſt habenda, proculdubio aſſerendum erit Ambroſiam illis inſignitã
eſſe facultatibus, quæ maximè uitam hominum ualeant tueri,ſi in cibis il-
la ſumatur. ANON. Haud uideo huiuſmodi conſequentiam. TVTVS.
Aduerte,atque vna mecum altius repetas rem hanc. Cum animalium uita
non alia de cauſſa morte tandem terminetur niſi quia corporis ſubſtantia
inceſſanter conſumitur, & diſſipatur & ab externis, & ab internis cauſſis,
inuenit natura uiam,qua poſſet conſumptum corpus reficere, mortemque
retundere.Id autem præſtat alimento. Non quidem quod alimentum ip-
ſum ſeipſum concoquat,in partes digerat,& alendis partibus ex ſe ipſo ad
Galenus hæreſcat,& aſſimilet, ſed quia corporis nutriendi natura illa eſt, quæ ali-
7.meth.6. mentum ipſum alterat,digerit, aſſimilat,in ſuique naturam uertit. Hoc au
tem dum fit neceſſe eſt ipſum quoque corpus aliquid ab alimento perpeti;
omne enim agens agendo repatitur.Quare dum natura quęrit effugere mor
tem quodammodo ipſi morti fit obuiam, alimento ipſo corrumpente cor-
poris temperaturam. Quamobrem illud conſtat euidentiſſime alimentum
illud præſtantiſſimum fore, diutiſſimèque uitam ipſam conſeruaturum,

quod

Digitized by Google

Quod duabus hiſce fuerit conditionibus præditum. Vna quidem vt facile in aliti ſubſtantiam tranſeat, minimèque reagat in corpus; altera vero ut illa pars corporis, quæ ex ipſo gignitur ſtabilis ſit, ac permanens, optimeq; reſiſtens corrumpentibus cauſſis. Ex eo enim, quod parum reagit, parum lædet; cumque nutrimentum ſtabile præbeat, eſt in cauſſa, vt nutritum corpus fortius reſiſtat corrumpentibus cauſſis. ANON. Aduertas o Tute, quod hæ duæ conditiones in eodem alimento ſunt incompoſſibiles. TVTVS. Quamobrem? ANON. Quoniam Galenus, cui hac in re credendum eſt, ſcriptum reliquit, alimentum quod facile concoquitur, non poſſe ualde nutrire, quodque maxime nutrit, illud difficile concoqui. TVTVS. Hæc Galeni ſententia, mi Anonyme, cum reduplicatione intelligenda eſt, vt & aliæ multę in Medicina. Vide. Quæ adſtringunt medicamenta, minime diſcutiunt; ideſt, quatenus adſtringunt, diſcutere non poſſunt. Sunt enim in parte frigida, & ſicca, quę vero diſcutiunt calida. At nihil prohibet vnum aliquod medicamentũ reperiri, diuerſis partibus conſtans, quod vtrunque valeat efficere. Habet idem Galenus eos, qui facile diſcunt minimè pollere memoria, qui uero memoria pollent, hos difficile diſcere. Tamen id non alia ratione uerum eſt, niſi quod qualitas illa, qua nos facile diſcimus, eadem etiam debilem memoriam reddit: quæ uero hanc firmam facit, ea ipſa nos difficile diſcimus. Tamen conſtat experientia, & hoc ipſum optimè monſtrauit Perſona noſter, fieri poſſe, ut quis & memoria polleat naturaliter, & facile diſcat. Sic & in re pręſenti. Alimenta, quæ facile concoquuntur, quia talia ſunt diffiabile nutrimentum præbent; quę uero ualde nutriunt, firmumque præbent alimentum, eatenus etiam concoctu difficilia ſunt. Non tamen repugnat aliquod alimentum reperiri, uariis partibus præditum, quod & facile nutrire poſſit, & diu. Ita ut ſcilicet altera parte, & qualitate facile tranſmutetur, altera uero diu introductam formam conſeruet. Talem eſſe Ambroſiam dico. ANONYM. Hoc probandum relinquitur. TVTVS. Oſtendam facile, eo fundamento ſuppoſito, quod omnibus illis qualitatibus ipſa ſit prædita, quæ illi ab eximijs illis Auctoribus tribuuntur, Dioſcoride, Galeno, Athenæo, Plinio, Matthiolo, & alijs. ANONYM. Id ego quoque ſuppono. TVTVS. Quod ergo Ambroſia primum ſit alimentum concoctu facile, ſatis euidenter cõſtare uidetur ex dulcedine illa, & ſuauitate, quam ei eximiam tribuit Athenæus ex Ibyco. Quæ enim dulcia ſunt ſimilia ſunt naturæ, & ex conſequenti facile concoquuntur, & immutantur ob qualitatem ſymbolam. Vnde Galenus ſtatuit, quod ſicuti ſaporis amari terminus eſt abſtergere, acris uero urere, ita dulcis eſt nutrire, ubi ſcilicet in ſua quiſque natura abſolutus fuerit, & quoad fieri poſſit minimè alienis ſint permixti qualitatibus. Immo alibi dicit, ſolam dulcem qualitatem nutrire poſſe, reliquas omnes nequaquam. Cuius rei cauſſam referens in princ. de ſymptomatum cauſſis, inquit eam eſſe, quoniam dulcia ſunt corpori ſimillima, ſimile uero nutritur ſimili.

7. Meth. cap 6. — *Art. Med. cap. 49.* — *Cõm. qđ animi mo. cap. 5.* — *4. Simpl. 18.* — *4. Simpl. cap. 15.*

PROVID. Hoc quoque uidetur optimè docuiſſe & Ariſtoteles. Qui cauſſam quærens in Problematis, quamobrem ocyus dulcibus, quam acribus *Sect. 22. nu. 3.*

I bus

bus ſatiemur reſpondet id propterea fieri quoniam cum acria non valde nutricare queant,ſed parum habeant alimoniæ, multum autem excrementi,meritò amplius hæc appetimus, parumque eorum cupiditatem explemus,quoniam alimento itidem indigemus,quo ipſa careant. At dulcia tota ipſa cibus ſunt idoneus, atque ex paruis quibuſdam eiuſmodi, eſcam corpus capit vberiorem.Quod cum ſe abunde referſit,nihil edere præterea poteſt.Plus enim non tolerat.Atque ita efficitur,vt ocyus à dulcibus ſatiemur. TVTVS. Cum itaque Ambroſia dulciſſima ſit,magnamque voluptatem afferat,vt Athenæus teſtatur, erit etiam alimentum optimum, facilè nutriens,& naturæ noſtræ conſentaneum.Cumque ſit odorata vt Dioſcorides,Pliniuſque teſtantur,non modo corpus non lædet, verum etiam ſtomachum roborabit; Ea enim eſt,vt dicebat Galenus ſtomachi natura,vt ſicuti à graueolentibus læditur,ita ab odoratis roboretur. Et in fragmento Commentarij in lib.de alimento,Hipp.clarius inquit.Corpus debile redditum aut à morbo, aut euacuatione, aut ab alia cauſſa poſtulat alimentum,quod facile concoquatur,quodque ſuauis ſit odoris. Cauſſa eſt,quia ſuauis odor neſcio quid addit ad corpus, & eius temperaturam accomodat, & naturalem calorem corroborat, in quo calore nos eſſe vitam aſſerimus. Quare Ambroſia non modo ſua dulcedine facile in alimentum tranſiet, verum & odore ſuaui ſuo,non mediocriter innato calori ſuccurret, redderque viuidiorem. Idem quoque præſtare apta eſt adſtrictione ſua, quam ei tribuunt Dioſcorides, & Galenus. Adſtringentia enim omnia ea ratione corpus roborant, quod paulum denſatis partibus corporis, minor fiat caloris,ſpirituumque innatorum,& influentium reſolutio. Et hac ipſa ratione dicendum erit nutrimentum, quod Ambroſia præbet corpori non ita facile diſſipari ab internis, aut externis cauſſis. Propterea quod dum illa præbet alimentum corpori, ſimul etiam eandem partem roborat,quam illa nutrit.Roborat autem adſtringendo.Quo fit vt partes ipſæ magis ſe conſeruent, magiſque corrumpentibus reſiſtant. INGENIOSVS. Ego aliam rationem adderem, ob quam Ambroſia alimentum durabile ſit,nec facile corrumpatur. TVTVS. Quam? INGEN. Hanc. Quod cum alimenti qualitates, & proprietates ſubſtantiales aliquo modo remaneant in ſanguine genito,& in adgeneratis partibus, efficitur, vt quia Ambroſia, & vua eius miro modo ſe tuetur aduerſus tempeſtates,& æſtus,vt Plinius teſtatur, partes etiam illæ, quæ ex ea generantur in corpore eandem firmitatē ſeruent, per quam à contrarijs omnibus ſe tueantur. Quare corpus Ambroſia nutritum diutius durabit, fortiuſque reſiſtet contrarijs, ad mortemque tardius perueniet. Ita vt tandem Ambroſia iure quodam dicatur cibus Deorum immortalium. TVTVS. Optimè loqueris. SITIC. Ego vero non ita hanc Ingenioſi doctrinam approbo. INGEN. Quamobrem? SITIC. Quoniam ſi Ambroſiæ nutrimentum ea ratione durabile eſt, quoniam illam ſeruat proprietatem Ambroſiæ ipſius, vt firmiter æſtubus, & contrarijs reſiſtat; eadem ratione dicendum eſſet & Ambroſiam ipſam nondum in ſanguinē mutatam a calore naturali, actioni caloris ipſius valde reſiſtere,ſeque firmiter conſeruare, ne in aliam ſubſtantiam mutetur. Non enim apparet quam ob

8. de cōp. medic. ſ. loc. cap. 3.

ob cauſſam Ambroſia in corpore facile tranſmutetur, mutata ſpecie, & natura, ita vt facile ex Ambroſia fiat ſanguis, caro, neruus. Sanguis autem genitus, caro, neruus ille firmiter in ſuo ſtatu ſe conſeruent, aduerſiſque rebus reſiſtant. Aut ſi id ineſt his ut fortiter reſiſtant, cur idem & Ambroſiæ non inerit, vt difficulter à calore vincatur? At hoc Ambroſiæ dare repugnat illi, quod antea dicebatur de illa, quod facile nutriat.

INGEN. Hæc dubitatio mi Siticuloſe, parum vexabit eos, qui norunt cicutam, quæ comeſta hominem necat, aliaque animalia, ſturno tamen alimentum eſſe, illumque facile nutrire, cum tamen homo ſit ſturno calidior. Coturnices etiam veſcuntur elleboro, quod tamen & homini, & calidiſſimo leoni uenenum eſt. Strutiocamelum ferunt ferrum conficere, quod neque leo, neque aliud animal calidius poteſt tranſmutare. Non ergo mirum ſi & Ambroſia ſummopere reſiſtat aeri æſtuanti, aduerſiſque tempeſtatibus omnibus & tamen facile ab humana natura vincatur. Sunt hi effectus quidem & proprietates, quarum cauſſam reddere non adeo fuerit facile, ſicuti neque hoc loco, neceſſarium, cum non in ſola Ambroſia hæc conſiſtat difficultas. Crediderim tamen id ex ipſarum rerum familiaritate ſubſtantiali prodire; ſiue ipſa familiaritas in temperamento conſiſtat, vt nonnulli volunt, ſiue in forma ipſa ſubſtantiali, ut alij dicunt. Ex qua ſubſtantiali ſimilitudine, ſeu mauis familiaritate fiat, vt id, quod eſt imperfectius facile uincatur à perfectiori. Quare cum Ambroſia ſit Naturæ noſtræ ſymbola, & familiaris, ignobilior tamen, nil mirum ſi cum aduerſis cętera fere omnia contraria ſe ualide tueatur, ab humana tamen natura uincatur facile, & in aliti conuertatur ſubſtantiam. At poſtquam facta eſt pars hominis nil mirum etiam ſi denuo firmiter ſe defendat, & conſeruet ſub illa forma. Concurrit enim tunc cum Ambroſiæ proprietate etiam humana natura ad proprias partes tutandas: Et proprietas illa, quam pars genita ex Ambroſia retinuit fit veluti inſtrumentum inſeruiens humanæ naturæ.

Gal. 2. 3. & 4. ſim.

Augenius tom. 2 epi. li. 5. ep. 13

TVTVS. Mihi ſummopere placet Ingenioſi noſtri doctrina, & eo magis, quia uideo & Siticuloſum acquieſcentem. Ex his ergo quæ hactenus dicta ſunt ſatis patet Ambroſiam ipſam Plantam eſſe diſſimilarem, cuiuſmodi ſunt & alia multa. Vnde non erat, quod illi, qui Plantarum Hiſtoriam conſcripſere Plinium morderent, quod uim repellendi, quam Dioſcorides Ambroſiæ tribuit, ἀποκρουστικὴν dictam, in vim diſcutiendi, διαφορητικὴν appellatam commutauerit. Fieri enim poteſt vt ille vnam, hic alteram uim cognouerit, cum utraque participet, ut & Rhabarum, & Braſſica, & alia pleraque.

PROVID. An mirum eſſet Plinium viridi Ambroſia vſum fuiſſe, in qua vigent tenuiores, dulcioreſque partes, & ideo illam diſcuſſiuam pronunciaſſe, Dioſcoridem autem, & Galenum ſiccam illam habuiſſe, in qua terreſtriores tantum partes continentur, atque propterea repulſiuam ſtatuiſſe? Mihi ſanè haud videtur. INCVLS. Illud certè conſtat Homerum Ambroſiæ vim abſterſiuam tribuere. Nam de Iunone ait quodā in loco, qui mihi modo non ſuccurrit, quod illa omnes cutis ſordes abſ-

Digitized by Google

ſter ſit Ambroſia. Hoc autem fauet Plinio. Nam abſterſio & diſcuſſio ab
eadem qualitate fiunt, calore nempe tenui. TVTVS. Pergrata mihi profe-
ctò eſt hæc Homeri auctoritas. ANONYMVS. Cum tam miris facultati-
bus prædita ſit hæc Planta, ego ea omnia, quæ dicta ſunt hactenus nihili
faciam, niſi aliquis veſtrum oſtendat, quo nam loco ego illam inuenire
queam. TVTVS. Valerius Cordus inquit apertè Ambroſiam hodie non
In c.109. cognoſci. At Auctor Hiſtoriæ Plantarum aliquanto diſtinctius procedens,
Dioſcorid. inquit, quod ſaxoſis locis ſponte naſcebatur Ambroſia, nunc nonniſi in hor
tis colitur. in quibus ſi procerior, quam quę ſponte oritur fiat, non eſt, quod
quis Ambroſiam eam eſſe neget; cum Planta aridis, & ſaxoſis locis nata ſi
in hortis colitur, facile incrementum capere, & habitior, atque vegetior
reddi poſſit. Affertque huius Ambroſiæ Hortenſis imaginem. Verum ſiue
illa verè ſit Ambroſia, ſiue non, conſtat non poſſe prę Hortenſi humiditate
tam præſtantem vim poſſidere, qualem ſponte nata. Immo ut ingenue fa-
tear non uidetur mihi Hortenſis illa, quam eo loci pinxit, ita exactè figu-
ram ſponte natæ referre, ut in ſola foliorum magnitudine differat. Mat-
th olus ergo ulterius progreditur, inquiens ſe per multos annos non uidiſ-
ſe Ambroſiam in Italia; tandem uero uidiſſe illam ſecus mœnia arcis Vipa-
ci, inter duriſsimos lapides ortam. Hæc ſunt, quæ de loco ubi oritur dicere
poſſum. SITIC. Iam ſatis de Ambroſia cibo Deorum locuti ſumus;
Nunc de Nectare loquamur eorum potu. Tu qui uideris mihi huiuſmodi
herbarum, & medicamentorum ſtudio optime dediſſe operam, ò Tute,
quid ſentis de Nectare.

TVTVS. Tres inuenio, ſapientiſsimè Princeps, Potionis ſpecies, Ne-
ctaris appellatione decoratæ ab Auctoribus. Primam uidere eſt apud Athe
Lib.1. næum, ubi ſic inquit. Chæreas uinum eſſe Babilone tradit, quod Nectar in-
digere vocant. Verum hæc uini ſpecies profectò non eſt Nectar illud, quod
quærimus, ſed eſſe debebat uinum aliquod ſatis ſuaue, quod ab indigenis
tantummodo Nectar uocabatur, præ penuria fortaſſe ſuauiorum, quibus
indigenæ illi frui haud poterant. Porro Feſtus Pompeius ſcribit Νέκταρ
Græcis eſſe illud potionis genus, quod Latini Murrhinam uocant. SITI-
CVLOS. Quid bone Deus, eſt Murrhina.

TVTVS. Si reſpicere uolumus ad ea, quæ Plinius ſcribit, Murrhi-
Libro 14. na, à Myrrha dicta eſt, ut ſit uinum myrrha conditum. Primum quidem,
Cap.13. quia Murrhinam ſcribit cum duplici r, ita ut παρὰ τὴν μύῤῥαν dicta ſit.
Præterea inquit apertè Murrhinam potum quendam eſſe myrrhæ odore
præditum.

Laudatiſſima, inquit, apud priſcos uina erant myrrhæ odore condita, ut
apparet in Plauti fabula, quæ Perſa inſcribitur (intelligens nimirum, quam
Plautus Murrhinam uocabant, eam eſſe μυῤῥίνην ποσιν, myrrhæ odore con-
ditam. Verum nullo modo eiuſmodi potio dici poteſt Nectar eſſe Deo-
8. Simpl. rũ. Myrrha enim calida eſt, & ſicca, ut Galenus ait, inſuper amara, & acris,
lib.7.c.67 ut teſtatur Dioſcorides; quare & uinum myrrha conditum amarum erit,
acre, non mediocriterque calfaciens, & exſiccans. At hæ uini qualitates
non ſunt illæ, quæ conueniant Deorum immortalitati, aut hominum ui-

tam

tam longiorem reddere poſſint. Propterea magis admittenda eſſet illorum
ſententia, qui Murinam ſcribentes cum ſimplici r, aiunt illam nectar eſſe.
Hæc enim potio quædam eſt dulcis arte confecta, vtpote cui aut vnguen-
ta, aut alia dulcia miſcerentur. Sanè id ſatis conſtat ex Aulo Gellio. Qui cũ Lib. 10.
dixiſſet mulieribus Romæ, & in Latio interdictum fuiſſe vſum vini, ſu- cap. 23.
biungit illas bibere ſolitas Loram, Paſſum, Murinã & quæ id genus optãt Lib. 14.
potu dulcia. Quare Murina Gellio vinum non eſt. SITIC. Tamen Fabius cap. 13.
Dorſenius, apud Plinium illam vinum facit, inquiens.

Mittebam vinum pulchrum Murrhinam.
Et in Acharaſtione.
Panem, & Polentam, vinum, murrhinam.

TVTVS. Hic tria dici poſſent. Vel Dorſenium intelligere de vino myr-
rha condito. Vel murrinam appellaſſe vinum, non quod propriè ſit vinũ,
ſed quia ſimilis ſit vino. Aut denique dicendum eſt, aliud apud veteres
fuiſſe ſimplicem Murinam, aliud vinum Murrinam, vt in illa quidem vi-
num non ingrederetur, de qua Gellius intellexerit; in hac autem ingredia-
tur. SITIC. Non eſt vana hæc vltima coniectura; non enim ſimpliciter di-
xit Murrhinam, ſed vinum murrhinam, quaſi vinum arte Myrinum factũ.
TVTVS. Tantum illud huic expoſitioni deeſt, quod Murrhinam, non
Murrinam eo loci ſcribitur. Sed quicquid ſit de Plinij expoſitione, conſtat
potionem illam, quæ Murrina nuncupatur, ſiue ſit vinum, ſiue non, nõ alia
de cauſſa talem ſortitam eſſe appellationem, niſi quia vt eſt apud Ælianũ,
& Heſichium, ex vnguentis parabatur. Vnde Iuuenalis.

Cum perfuſa mero ſpumant vnguenta Falerno.

Eſt autem vnguentum Græcè μύρον, Myron. Ideo Heſichius, vt dicere Satyr. 6.
cepi, inquit Murrinam eſſe πόσιν, ᾗ ἐπεχεῖτο μύρον Potionem in qua conti-
nebatur vnguentum. Et Ælianus inquit. μύρῳ γὰρ οἶνον μιγνύντες οὕτως
ἔπινον, καὶ ἐκαλεῖτο ὁ οἶνος μυριγίτης. Vnguento enim vinum miſcentes ſic
bibebant; Vocabatur autem vinum illud Myrinites. Cum itaque hæc po-
tio Murrina intus accipiat vnguenta, videamus an hæc Nectar illud Deo-
rum poſſit appellari. SITIC. Mihi ſane non videtur. TVTVS. Quam-
obrem? SITIC. Quia vnguenta omnia ſiue ſtillatitia, ſiue craſſa, ex oleis
conficiuntur ſiue ſimplicibus, ſiue medicatis, & ex aromatum admixtio-
ne, ut Galenus docuit. PROVID. Et ideo Homerus, qui unguentorum
vſum optimè nouit, vocat ea omnia olea, ἔλαια adiecto epitheto, vt Athe- 6. Simpl.
neus notat. SITIC. Potiones ergo illæ, quæ ex vnguentis conſtant, & oleo,
ſemper aliquid habebunt emplaſtici. Et ſicuti vnguenta extrinſecus illita,
cutis poros infarciunt, ita eiuſmodi potiones intus aſſumptæ anguſta ve-
narum orificia obſtruent, iuxta vnguenti, quod aſſumunt pinguedinem. At
hoc male conuenit potui. Qui cum ſit vehiculum alimenti, huic ineptè,
& præter ſanitatis regulas miſcentur ea, quæ emplaſticam vim tribuunt,
cibique diſtributionem retardant. Vnde non rarò uidere eſt priſcos illos
vituperari, quod vnguenta biberent, vt patet ex Luciani Nigrino: vbi in-

quit Pſeudophiloſophos quoſdam vnguenta bibere ſolitos; maximè eſſe reprehendendos, quod ne vti quidem voluptatibus ſcirent, ſed & in hiſce peccarent, & fines earum confunderent. Et certè confundebant. Vnguentis enim, quæ ad roborandum corpus, ſpirituumque reſolutionem cohibendam, eoſdemque ſpiritus ſuaui fragrantia regenerandos excogitata fuere, alia ratione vtebantur, comedentes ea, & bibentes, ita vt nõniſi obeſſe poſſent. Sic videas in Plutarchi conuiuio Thaletem vituperantem adoleſcentulum quendam, inſolentem & ſtupidi ingenij eſſe illum dicentem, propterea quod vnguentum præclarum, quod Thraſibulo allatum fuerat in magnam crateram infuderit, meroque affuſo ebiberit. Dico ergo Feſtum Pompeium decipi dicentem nectar Deorum eſſe Murrinam. TVTVS.

Lib. 2. Ego quoque huiuſmodi ſententiam approbandam eſſe cenſeo. Relinquitur tertia potionis ſpecies, quæ ipſa quoque nectar appellata eſt. Hanc refert Athenæus ex Ariſtone Chio ſuauiſſimum potum eſſe, qui & dulcedinis ſit particeps, & tranquillitatis: ideſt citra iurgium bibi, rixam, tumultum, & contentiones. Erat autem vt ipſe refert vini genus ex fauis permixtis, & floribus odoratis concinnatum; SITIC. Qua menſura eorum trium conficiebatur? TVTVS. Noſti ò Princeps, id non ſcribi ab Athenæo, neq; facile eſſe illud diuinare. Conſtat tamen ex ijs, quæ modo dicebantur, tale vini genus neque valde eſſe dulce, neque generoſum. Valde quidem dulce non eſſe vel ex verbis ipſius Ariſtonis patet, dicentis nectar illud eſſe dulcedinis particeps. Qui loquendi modus exiguam dulcedinem videtur indicare. Præterea ex fauis non ex melle conficiebatur. Cõſtat autem fauos ſicuti melle ſunt minus calidi, ita & minus eſſe dulces. Propterea videre eſt Galenum æſtatis tempore commendare oxymel illud, quod ex fauis conficitur, vbi ſcilicet oxymelite eſt opus. Illud enim minus calidum eſt eo, quod fit ex melle ipſo. Eadem ratione etiam patet eiuſmodi potum minime fuiſſe generoſum, quia non admodum calidum. Et præterea dicebatur illud expers eſſe omnis iurgij, & cõtentionis. At generoſa vina, quia calida valde, caput humoribus replent, & mentis læſiones pariunt. Gratiſſimus autem naturæ potus erat nectar illud, propterea quod vltra leuẽ illã dulcedinem quam poſſidebat, ex odoratis etiam floribus conficiebatur. SITIC. Videris mihi huiuſmodi nectar laudare ſummopere. Fallor ni putas hoc illud eſſe, quod veteres potum fecerũt Deorum. TVTVS. Equidem, ò Princeps, nectar hoc, quod circa Lydiæ montem Olympum parari inquit Athæneus, ex vino, fauis, & odoratis floribus, optimi, ac præſtantiſſimi potus qualitatibus eſt præditũ; atque propterea puto illud eſſe, quod Deorum potum aſſeruit antiquitas. Videas quæſo huius potionis præſtantiam. Primum quidem optimè fungitur officio potus, quod eſt eſſe vehiculum alimenti; Neque enim vllam craſſitiem habet, immo conſiſtentiæ tenuis eſt, omninoque ſimile naturæ in primis qualitatibus ita vt optimè cibos per anguſta quæque loca deferre valeat, abſque vllo incommodo. Nõ modo autem id præſtat, ſed ſuauiſſimum præterea eſt ob ſuauẽ illam dulcedinem, qua præditum eſt. Vires inſuper, ſpiritusque recreat odore fragranti, quam flores, ex quibus conficitur, illi tribuunt. Nonne ergo, qui tali

De Puero Epilept.

Gal. 3. de rat. vict. in acut. com. 2.

vtuntur

Digitized by Google

vtuntur potu, & diutiſſimè viuent (quantum.ſ. ad potum attinet) & ab omni morborum periculo longè aberunt? Mihi ſane ita videtur. PROVID. Mihi vero aliter videtur. Quod enim primo loco dixiſti huiuſmodi potũ per anguſta loca cibum deferre, falſum eſt, ſi Galeno credimus. In libro n. de tenuante victus ratione dulcia vina damnat, quia cum craſſa ſint, ſanguinem etiam craſſum generant. TVTVS. De valde dulcibus vinis intelligit eo loci Galenus, deque illis, quæ talia ſunt per ſe ipſa, non de artificioſis, cuiuſmodi hoc eſt, de quo loquimur. Dulcedinem enim ſuam à fauis recipit totam, ex quibus conficitur. Quæ etiam leuis eſt, vt dicebatur, neque obſtruendi noxam poteſt illi tribuere, ſi eidem Galeno credimus. Qui eodem loco de melle verba faciens dicebat eſſe quidem ciborum dulciſſimum, & præterea ſuccum conſiſtentia tenuiſſimum gignere. Quare & vinum, quod ex melle, vel fauis conficitur eiuſdem dicetur eſſe facultatis. Non ergo obſtruet: obſtructio enim à craſſis fit, vt notum eſt. Immo clarius hoc ipſum confirmauit Galenus in primo de Sanitate tuenda. Quo loco cum dixiſſet ſenes valde lædi à vini illius potione, quod craſſum ſuccum generat, eo quod ex illius vſu obſtruitur eis iecur, lien, renes, aliæque partes ſimiliter, vnde poſtea fit, vt alij aqua intercute laborent, alij calculo; ſubdit deinceps. Non vetem tamen ijs vinis, quæ melle condiantur ſenes vti, maximè quibus ſuſpicio eſt calculi in renibus gignendi. Quibus verbis expreſsè videtur aſſerere vinum ex melle, vel fauis conditum longe abeſſe ab obſtructionis periculo. Hoc ipſum ego dico nectar eſſe Deorum, cum præſtantiſſimus ſit potus, & longęuos homines reddat, ita ut ex illius vſu immortales quodammodo fieri videantur. Confirmatur autem Homeri Auctoritate; hic enim vocat nectar rubrum. Quæ appellatio optimè huic ipſi conuenit, cũ ex vino præcipuè conficiatur. INCLVS. Clearchus apud Athenæum dicebat aquam, & lac eſſe candida, mel & oleum flaua, nectar autem, & vinum rubra. ANON. Nonne & alba quoque, & flaua vina reperiuntur? INCLVS. Reperiuntur, ſed nectar hoc ex rubro debebat confici. TVTVS. Ego quoque ita cenſeo. Nam & hoc ipſum ad ipſius nectaris optimas qualitates indicandas non leue fuerit argumentum. EVSEB. Hactenus expectaui, ô Viri Doctiſſimi, vt Macrobij quoque ſententia de nectare diſcuteretur, ſed vt video illa relinquitur intacta. TVTVS. Nunc de illa dicturus eram reliqui n. ego illam in poſtremo loco dedita opera. EVSEB. Hoc indicium eſt quoddam te illam opinionem non probare. TVTVS. Ego illam minimè probo. INCLVS. Vt ingenuè fatear, quando audiui te de hac materia velle diſſerere, arbitrabar ego quoque te nullum aliud nectar oblaturum in medium, niſi illud Macrobij. At quomodo talẽ ſententiam refellis? TVTVS. Audi. Nonne Macrobius ait nectar deorum potum nil aliud eſſe, niſi puriſſimam partem ipſius hyles, ſeu materialis alluuionis? INCLVS. Ita prorſus aſſerit. TVTVS. At hoc iuxta ipſius doctrinam conſiſtere nullo modo poteſt, niſi id uelit aſſerere Deos ſemper ebrios eſſe, & obliuione laborare, quod neque Macrobium conceſſurũ puto, multo minus veteres illos, qui primi Dijs cibum, & potum tribuerunt. INCLVS. Quomodo bone Deus deducis illum ad hanc abſurditatem?

Cap. 11.

In Somn. Scip. lib. 1. cap. 12.

Google

TVTVS, Animaduerte. Inquit primum animas de cælo ad hæc inferiora deſcendere, per quandam Cæli portam, quæ eſt in Cancro, vbi lacteus circulus Zodiacum ſecat. Quam portam anteaquam animæ tranſeant, & deſerant, inquit eas in numeru eſſe Deorum. At poſtquam illam tranſierint, & inceperint per leonem deſcendere, tunc inquit illas incipere etiam experiri hylen, ideſt materiam influentem ſibi. Cuius materialis influxus potu grauatas animas, & delibutas, ait noua ebrietate trepidare, in hoc cum Platone conſentiens. Vnde & comitem ebrietatis obliuionem tunc ait incipere animis latenter obrepere, plus minus ue pro ratione ebrietatis, & quantitatis epotæ materiæ. INCLVS. Scio hæc omnia. TVTVS. Hoc itaque poſito fundamento ſequitur ipſos quoq; Deos, aliqua ſemper ebrietate, & obliuione laborare, cum eorum potus quotidianus ſit pars materialis influxus, cuius proprium eſt Deos inebriare, & in obliuionem adducere. INCLVS. Non animaduertis, ò Tute, ſolam puriorem materiæ partem dici à Macrobio Deorum potum. TVTVS. Equidem animaduerto, ſed & illud quoq; non ignoro vim inebriandi ab ipſo Macrobio tribui materiali alluuioni vniuerſæ, non vni ipſius parti tantum. Quarę etſi nectar ſit purior pars hyles, ſeu materiæ, nec fortaſſe adeo inebriet, vt craſſior pars, atque turbidior, eſt tamen hyle tandem, atque materia. Quare ipſum quoq; plus minuſue Deos inebriaret, & in obliuionem adduceret. INCLVS. Diceret fortaſſe Macrobius ebrietatem ſolis animis aduenire ex potu materiæ, non autem Dijs ipſis. TVTVS. At ego reſponderem ipſum apertè fateri animas, antequam materiam experiantur eſſe Deos, inebriari uero, & obliuione affici ſtatim atque incipiunt materialem potum guſtare. INCLVS. Acquieſco. TVTVS. Sed audi aliud argumentum non minoris efficaciæ, ad oſtendendam falſitatem huius opinionis. Si illi, qui Dijs cibum & potum aſſignauere, voluiſſent potum, ſeu nectar eſſe id, quod Macrobius ait, quid, amabo, deinde dixiſſent eſſe cibum? Anne craſſiorem materiæ partē? At hæc potus eſt animarum, inquit Macrobius. Abſurdum autem eſſet idē facere deorum cibum, & animarum potum. Anne ſubſtantiam aliquam diuinam, aut Ideam? Nequaquam. Quid ergo? INCLVS. Dicent eſſe Ambroſiam iam dictam. TVTVS. At neque hoc dici poteſt. Hæc enim nil aliud eſt, ſecundum Macrobium, quam pars hyles turbida, impreſſionem in ſe habens Ambroſiæ vniuerſalis, & ideæ. Quare ex huius vſu magis inebriarentur Dij. At credendum non eſt tanta cecitate veteres illos laboraſſe, qui primi cibum, & potum dedere Dijs. Dicendum ergo, eos ipſos, cum viderent hic dari cibum quendam, & potum ex quorum vſu homines longęui admodum reddantur, ita vt quodammodo immortales appareant, eūdem ipſum cibum, & potum tribuiſſe Dijs, ut hac ratione eorum immortalitatem denotarent. Quid uero ſit ille cibus, quid ille potus iam dictum eſt.

ODYS-

ODYSSEÆ

Sexto, Verſu XLI.

Ipſa quidem ſic locuta abijt glauca Minerua
Ad Olympum,ubi dicunt deorum ſedem firmam eſſe,
Semper,quæ neque ventis concutitur,nec unquam imbre.
Rigatur: neque nix admouetur, ſed ſemper ſerenitas
Volat abſque nube. Lucidus uero circunfulget ſplendor.
In quo delectantur beati dij diebus omnibus.

Variæ rationes afferuntur, quibus adducti veteres Deum in Cælo collocarunt. Agitur & de Empyreo Cælo. Et oſtenditur cælos omnes vndique eſſe luce perfuſos.

COLLOQVIVM. XXIII.

PRINCEPS, ET ACADEMICI.

QVICVNQVE aliquam de Deo opinionem habuere (eſt autem omnibus inſita hæc opinio) etſi fortaſſe in alijs, quæ de Deo dicuntur inter ſe diſcrepauerint, in eo tamen unanimes omnes conſenſiſſe deprehenduntur, quod Cælum Dei ipſius locum, & ſedem eſſe ſtatuerunt. Quod quidem *Tex.22.* Ariſtoteles conſiderans in primo de Cælo, eo ipſo uſus eſt argumento ad oſtendendum Cælum ipſum impatibile eſſe, & nunquam interiturum. Cum enim ſedes, inquit, & locus conuenire ſecundum proportionem debeant locato, eique congruere, omnes autem, qui Deum eſſe ſtatuunt, illum æternum dicunt, & immortalem, neceſſe erat ut illi ſedes aſſignaretur æterna. Quam cum omnes cælum eſſe exiſtimauerint concludit eo loci ipſum quoque cælum immortale. Hæc eadem ſententia uſque ad Chriſticolas penetrauit, qui hanc Dei cælique conuenientiam conſiderantes, Cælum quoddam ſupremum, ſemperque ſtabile introduxerunt ea tantum de cauſſa, ut conueniens Dei & Beatorum ſedes ſtatuatur, ut aliquando fortaſse dicetur. Nunc illud ego uobis conſiderandum propono, quibuſnam rationibus moti ueteres omnes in eam ſententiam uenerint, ut Deum in Cœlo, tanquam in proprio loco collocarent. Non

quidem

quidem id peto à vobis, qua ratione, & modo eſſendi in loco dixerint antiqui Deum eſſe in Cælo, an ſcilicet propriè, vel impropriè, an per Metaphoram, vel ſimilitudinem, vel eminentiam. Non illud an Deus ſit in loco circumſcriptiuè, an definitiuè, quidque veteres de hac diſtinctione cognoſcere potuerint. Hæc enim omnia præter noſtrum inſtitutum eſſe videntur. Sed cum ita veritas ſe habeat, idque Catholicæ fidei firmiſſima comprobetur Auctoritate, Cælum rectius dici Dei ſedem, quam vllum aliud corpus, ideo ſummopere opto vt vnuſquiſque veſtrum aliquam ſtudeat in medium rationem afferre, qua idem & veteres ſtatuerint. Non enim inanes, nec paucas illas fuiſſe exiſtimandum, quibus veteres omnes adeo concorditer eandem amplexi ſunt ſententiam. INCLVS. Pulcherrima certè conſideratio circa quam hodie Princeps noſter vult nos verſari. Eia quæ mora? Incipiamus. PRINCEPS. Quoniam video vos omnes annuentes, volo vt in dicendo idem ſeruetur ordo, quem & ſors tulit vos in ſedendo ſeruare. Tute, tibi primo loco côueniet de re propoſita diſſerere. TVTVS. Ego iam ſtatui, quid de hac ipſa materia dicam. Cum enim ingenij acutie, & Philoſophica ſcientia omnibus vobis cedam, ad aliam viam me conuertam in qua minus erit ingenij, & doctrinæ. Dico ergo optime probari Cælum eſſe Dei ſedem - Ex Similitudo, & Etymo nominum Dei, & Cæli.

PROVID. Ego idem oſtendam - Ex Figura Cæli ipſius.

ANON. Idem patebit - - - Ex Specie Motus, qui cælo competit.

INGEN. Oſtendam ego - - - Ex velocitate eiuſdem motus magna.

INCLVS. Sequetur deinde - - Priuatio laboris, & laſſitudinis in Cælo. ex qua optime idem conficitur.

TVTVS. Ego rurſus Eandem ſententiam colligam - Ex luce cælo propria.

PROVID. Nec minus conſtabit - Ex Cauſſalitate eiuſdem reſpectu inferiorum omnium.

ANON. Ergo & mihi licebit - Ex Immortalitate idem colligere. Quæ ratio etſi ſatis ſit trita apud Ariſtotelem non inutiliter à me repetetur.

INGEN. Innoteſcet deinde idẽ - Ex eo, quod cum perenniter moueatur cælum, quodammodo tamen ſit immobile.

INCLVS. Confirmabuntur hæc omnia vltimo loco - - - Ex Maieſtate Eximia Cæli ipſius, & ex ſingulari illius ornamento, & Decore.

PRINC. O ſuauiſſimum conuiuium, & dapibus prætioſiſſimis onuſtiſſimum, quod mihi hodie deguſtandum proponitur. Valeant cæteræ omnes voluptates, & gaudia. Mihi verſari tantummodo in his dulciſſimis colloquijs liceat. Polydore ſi quiſpiã acceſſerit, qui aliquem Academicorum alloqui, aut aliò ducere velit, ne illũ introducas, niſi prius cognoueris ab eo quid

Digitized by Google

quid ille petat; reſque fuerit magni alicuius momenti. POLYD. Ita fiet.
PRINC. Eia ergo Tute, incipias dapes ſuper parata hac menſa ponere.
TVTVS. Dicebam ô Princeps, Nomina Dei, & Cœli inter ſe eſſe simil'i-
ma, ita vt recte dicatur cælum Dei eſſe conuenientem locum. Si enim veli-
mus antiquam Dei, & cæli appellationem conſiderare, videbimus Dei No
men apud Græcos, fuiſſe θεὸς, Cęli vero nomen præcipuè fuit αἰθὴρ, vel
ὀυρανὸς. Porro ſicuti Cęlum vocatum eſt αἰθὴρ ab æterno curſu, vt Ariſtote- *Ariſt. 1. de*
les inquit, & Plato, eo quod motu perenni reuoluatur in orbem, ita Deus *cęlo. tex.*
θεὸς dictus ἀπὸ τοῦ θεῖν, quod eſt currere. forte quia videbant Deum in per- *10. Plato*
petua eſſe operatione, & actu ſecundo, vt & cęlum ſemper eſt in motu, Sic *in Cratylo*
certe Plato cenſet in Cratylo, vbi habet hæc verba. Socr. Nonne par eſt ab
ipſis Dijs incipere, rationemque inueſtigare cur θεοὶ vocati ſint? Herm. Nē-
pe. Socr. Vidētur ergo mihi Græcorum priſci Deos ſolos putaſſe eos, quos
etiam his temporibus barbarorum plurimi arbitrātur Solem, Lunam, Stel-
las. Cum ergo hæc omnia perpetuo in curſu eſſe conſpicerent, ab hac na-
tura θεῖν currendi. θεοὺς Deos nominaſſe videntur. Quare hac in parte Dei
etymon, & Cœli idem eſſe videntur. Ουρανὸς præterea dicitur Cœlum, vel
quia viſui ſit peruium vt Piccolomineus inquit, vel quia ſurſum videatur
vt Simplicius ait ex Platonis ſentētia. At ſi Cœlum ὀυρανὸς dicitur eo quod
videatur, quid prohibet quin dicamus & Deum θεὸν dici, propterea quod
omnia videat à verbo θεάομαι, quod eſt ſpectare, videre. Certe conueniens
eſt etymon, cum nihil latere Deum poſſit. Cum itaque adeo videantur in-
ter ſe nomina conuenire Dei, & Cęli, non leue videtur hoc argumentum
ad indicandum Cęlum ſaltem Dei ſedem eſſe, quando Deus ſtatui non po-
reſt, vt & ſapientiores Philoſophi cognouere. PRINCEPS. Optimum
principium hoc fuit ô Tute; quid de medio ſperandum, & fine? Certè &
hæc optima fore ſpero. TVTVS. Equidem erunt optima, nam principium
debile ſortita ſunt. PRINCEPS. Dicamus cum Auſonio pro toto primam *Epig. 80.*
eſſe partem operis. ideſt vt ego hoc loco interpretor, tale fore totum, qua-
lis prima pars fuit, nempe optima. Tu ſequere ordinem ô Prouide. PRO-
VID. Dicebam ego Cęli figuram egregie denotare illud Dei ſedem eſſe
ſtatuendum. Cum enim ſedes, ſeu locus conuenire quam maximè illi de-
beat, quod dicitur eſſe in loco, rationi cõſentaneum eſſe videbatur, vt Deo,
qui eminentiſſimè omnia continet, illa etiam ſedes tribueretur, quæ ipſa
quoque omnia continere videatur, illaque figura prædita eſſet, quæ figu-
ras alias omnes in ſe contineret; hæc autem eſt ſphærica. At hęc omnia ipſi
Cęlo competunt ſoli inter ſenſibilia, vt notum eſt. Hanc ob cauſſam priſci
illi ſapientiſſimi Ægyptij, Deum ipſum figura figurabant circulari, vt
Pierius teſtatur. Sicuti enim hæc ſimpliciſſima cum ſit, reliquas tamen *Lib. 3. 6.*
omnes in virtute continet, ita Deus & ſimpliciſſimus eſt, & omnia eminen
tiſſimè continens. PRINCEPS. Addi & illud poſſet huic Argumento,
quod Circulus figura eſt pulcherrima, & forma elegans. Ita vt rectè dica-
tur pulcherrimi Dei Hieroglyphicon. Circuli pulchritudinem, & elegan-
tiam elegantiſſime Cicero deſcripſit in ſecundo De Natura Deorum his
verbis. Quid enim pulchrius ea figura, quæ ſola omnes alias figuras com-

plexa

Digitized by Google

plexa continet, quæque nihil aſperitatis habere, nihil offenſionis poteſt; nihil inciſum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens nihil lacunoſum? PROVID. Pulchriorem certe partem ò Princeps adieciſti meæ rationi. PRINCEPS. Tacuit Prouidus ò Anonyme. Tuæ ſequuntur partes. ANONYMVS. Tertium ego fontem rationum propoſui, Cęli motum, nempe circularem. Certe ſi corpus aliquod mobile, ſeu naturale, Dei ſedes eſt ſtatuendum, illud erit cui perfectiſſimus motus, & omnium primus competit. Deus enim & perfectiſſimus eſt rerum omnium, & cauſſa prima. At conſtat circularem motum, qui Cęlo propriè, & naturaliter conuenit eſſe

Primo de Cęlo à te. 5. vſque ad 16. omnium motuum primum, vt Ariſtoteles docuit, inſuper & perfectiſſimum; quod enim perfectum eſt, prius eſt natura imperfecto. Patet huius motus perfectio ex perfectione lineæ circularis. Nam quæ recta eſt omnis imperfecta, ſiue finita, ſiue infinita. Finita quidem, quia recipere poteſt additamentum; infinita vero quia principio caret, & fine, quæ requiruntur ad perfectionem. Caret pręterea & medio, cum non habeat extrema. At circularis linea vbique principium, & finem habet, & inſuper medio non caret, nempe centro (ſunt & qui idem punctum dicant principium, medium, & finem) nihil tamen illi addi amplius poteſt, nec aliquid illi contingit ſuperuacanei, ita vt & perfectiſſima ſit & ex conſequenti motus ipſe circu-

8. Phyſ. à te. 54. vſque ad 76 laris nobiliſſimus. Accedit ad perfectionem huius motus quod poteſt eſſe perpetuus, quod nulli alteri competit motui, vt docuit Philoſophus; qui ſimul etiam illud monſtrauit, hunc motum, ſicuti perpetuus eſt & perfectiſſimus omnium, ita & eſſe primum. Ita vt merito Cęlum cui talis ineſt motus naturaliter, congruens cenſeatur locus Primi omnium, immortalis, & optimi Dei. PRINCEPS. Non negauerim hanc pulcherrimam eſſe rationem; ſed non ſatis probatum mihi videtur illud eſſe, quod dicitur, at ab omnibus recipitur, circulo nihil addi poſſe. Xenarchus enim videtur optimè opponere quod circulo addi poteſt Diameter, & Axis; & prætereą vnicuique patet multa rotunda augeri poſſe, vt caput, & oculus. Non ergo eximia illa Circuli perfectio, quam aſtruebas, ò Anonyme, ex eo quod nihil amplius addi illi poteſt, videtur ſatis firmo inniti fundamento. PRO-

Conſ. 16. VID. Reijciuntur ò Princeps, hæc argumenta à Philalthæo, in primo de Cælo. PRINC. Quid ad primum dicit Auctor ille, de axis, & Diametri additamento? PROVID. Inquit illis non augeri circulum, quà circulus eſt. Et propterea minimè ad rem facere. PRINC. Placet reſponſio. Sed de oculo, & capite quæ cũ rotunda ſint augentur tamen, quid reſpondet? PROVID. Inquit neque ſic circulum augeri, ſed materiatum corpus, remanet enim eadem ſpecies figuræ. ANON. At inanis eſt hæc reſponſio. PRINCEPS. Quamobrem? ANON. Quia idem dici poſſet & de linea recta, quæ dum augetur manet tamen rectitudo. Dicere etiam poſſumus rectitudinem non augeri vnquam, ſed materiatum corpus. PRINC. Optimè. Quid ergo dicemus ad argumentum? ANON. Dico primo nihil addi poſſe circulari lineæ, quin circularitas illa non abeat, & corrumpatur. Quod indicium eſt circularitatem illam ſola illa linea contentam fuiſſe, in eaque totam perfe-

ctionem

Digitized by Google

ctionem ſuam obtinuiſſe non in maiori, aut minori. At linea recta augeri poteſt eadem numero rectitudine remanente, quæ inerat antea. Dico ſecundo lineæ circulari nihil addi poſſe, niſi illa linea diuidatur, illiuſque ſoluatur continuitas; at lineæ rectæ additio fieri poteſt minimè ſoluta illius continuitate, vt notum eſt. Ex quibus conſtat oppoſitionem de capite, & oculis nihil concludere. PRINC. Nunquam audiui aliquem adeo recte hæc argumenta Xenarchi ſoluentem. PROVID. Notanda certè ſolutio, & optima. ANON. Hæc ſunt quæ modo dixiſſe volui. Adde tu Ingenioſe, quæ propoſuiſti in hanc ſententiam. INGEN. Sequebatur velocitas motus Cęli à me propoſita vt quartum Argumentum. Cum enim non conueniat Deum otioſum ſtatuere, oportebat illum aliquid agere. At quid magis, Deo tribuendum eſt vt effectus eius, quam motus ille, qui tanta agitur cum velocitate, vt non ſolum velociſſimus omnium ſit motuum, ſed neq; ab alio velocior fieri queat, præterquam ab ipſo Deo. Valentior enim actio prępotenti tantum debetur eligenti. At nulla valentior actio, nullus concitatior motus inueniri poteſt, motu cęlorum in orbem. Ergo hic immediatius dicendus erit à Deo fieri, quam aliorum aliquis. Qua ratione colligitur Deum potiori quodam modo dicendum ſedem habere in cęlo. Hac ipſa ratione Ariſtoteles nō contentus Cęlum facere Dei habitaculum, Deum ipſum voluit in extima vltimi ſupremiq; cęli ſuperficie collocare in maximo circulo, ea ratione quod ibi æquum ſit primum eſſe motorem, vbi velocior eſt motus. INCLVSVS. Dicebatur quinto loco Cęlum in ſuo motu circulari nullo labore, aut laſſitudine premi, nulla violentia, aut extrinſeco impedimento retardari poſſe. Hinc ego colligebam Deum, cui nihil poteſt inferre laborem, immo cui cuncta parent, iure in cœlo vt in proprio domicilio collocari. Dico ergo Cęlum dupliciter accipi poſſe, vel pro ſolo corpore, quod in orbem fertur, vel pro aggregato ex corpore cæleſti, & intelligentia mouente. Neutro modo habile eſt laboribus, aut laſſitudini, quod quidem illi ſoli videtur eſſe conceſſum. De corpore ſolo ſatis conſtat. Cum enim naturaliter moueatur in orbem, nihil tamen reperiri poteſt uel intrinſecum illi, uel extrinſecum, quod huiuſmodi lationi eſſe impedimento poſſit. Quare neque labori erit obnoxium. Eſt enim labor impotentia perſequendi opus cęptum, aut imbecillitas ſuccedens operanti ob reſiſtentiam alicuius impedientis operationem. Quod autem nihil reſiſtere Cælo poſſit intrinſecus patet, quia naturaliter mouetur totum motu in orbem. Neque extrinſecus; quia motui circulari nihil eſt contrarium; omnis autem reſiſtentia fit à contrario. Cæteri motus omnes contrario ſunt obnoxij, ideo patiuntur violentiam, & impediri poſſunt, & in impotentiam antedictam incidunt. Animantia ipſa coguntur in laborem labi, propterea, quod corpus graue pugnat cum anima. Ideo intrinſecam habent cauſſam laboris. Inanimata omnia, & elementa, conſtat cohiberi uiolenter poſſe extrinſecus à naturali motu. Ignis uiolenter deprimi poteſt, aqua, & terra ſurſum proijci. Quid? quod ſi in orbem quoque ferantur, uiolentiam tamen includunt, cum altera eorum pars tollatur, deprimatur altera. At Cælum cum totum ab intrinſeco inclinet in motum circularem, nihil etiam habet

extrinſecus,

8. Phyſ. 84

Ariſt. de cęlo. pi. ſe.

extrinſecus, quod illi eſſe poſſit impedimẽto. Figura enim qua præditum eſt circularis aptiſſima cum ſit conuerſioni, angulis omnino careat, & vbique ſit angulus, nec non tangat in puncto, nuſquam poteſt inſiſtere, neque retardari, neque incitata coerceri, aut detineri ab vllo, quod illi ſit extrinſecum. Quod ſi cęli corpus nullo modo violentiam, aut laborem patitur, in perenni ſuo motu, neque aggregatum ex ipſo, & motrice intelligentia dicendum erit fatiſcere. Oporteret enim mouentem intelligentiam à corpore aliquid pati: quod dicendum non eſt, cum ipſa à corpore ſit ſeparata, tantum illi aſſiſtens extrinſecus, illudque tantum mouens, quantum moueri naturaliter eſt aptum. Neque ipſi menti motrici aliqua alia contumax natura poteſt repugnare. Sunt enim mẽtes illæ omnes ſicuti ſapientiſſimæ, ita valde inter ſe concordes, mutuoque ſibi fauentes, nec vna alteri eſt in mouendo moleſta. Erit ergo Cęlum propria ſedes illius, qui cum perpetuo operetur, & moueat, nullo tamen labore premitur, neque delaſſatur; cæteraenim omnia cum labori ſint obnoxia non ita accommodatus eſſe poſſunt Dei ipſius locus. PRINC. Mihi ſummopere placuit hæc ratio, ſicuti & cęteræ omnes, quæ dictæ ſunt hactenus. Iam completa eſt prima circulatio ſermonum, ó Amici; Hactenus mihi viſus ſum eſſe in Cœlo. Cęlum certè locus eſt iſte; Porta illa porta cęli: hi ſermones tot mihi videntur aſtra ſplẽdentiſſima, quæ ipſa quoque in orbem quodammodo ferebantur. Nunc videntur hæc aſtra ad eundem rediiſſe locum, vbi prius erant. Tute alterã circulationem auſpicare. TVTVS. Lux ſexto loco ſequebatur. Quæ cum ſit Diuina quædam qualitas, omnium aliarum qualitatum Princeps & Regina, per omnia ſe ſe diffundens; hac ratione Deum imitata, ſumma cum ratione factum eſſe videtur, vt corpus illud, quod perpetuis, pulcherrimiſque luminibus ornatum, immo ſit pellucidum, totum æterni luminis ſedes habeatur. Sanè inter Lucem & Deum ipſum, maxima intercedere videtur ſimilitudo, qua cæteræ qualitates non ſunt decoratæ. Videte Domini, Lux non habet contrarium, in inſtanti diffunditur per vniuerſum, eſt Regina qualitatum omnium, cui denſum, rarum, perſpicuum, & opacum famulantur; Ex ea colores prodeunt, & perfectionem recipiũt. In ea primæ qualitates vnitiſſimè, & eminentiſſime vt in cauſſa includũtur. Nonne hęc omnia eximiam indicant ſimilitudinem inter Deum & Lucem? Addamus & illud, quod D. Thomas aſſerit, Lucem ipſam dici eſſe ſine numero, pondere, & menſura, quia virtus eius ad omnia corporea ſe extendit. Qua ratione apparet Deum valde imitari, qui nulla menſura, nullo termino circumſcriptus, vbique reperitur, & ad omnia extenditur. Cælum itaq; etiam ratione ſui luminis conuenientiſſimè dicetur Dei ſedes eſſe. PRINCEPS. Optimè. Propterea & Theologi noſtri, qui aliud Cęlum ſtatuunt immobile, ſupra orbes illos, quos cognouit Antiquitas, Empyreum illud appellantes, quod aſſerunt ſedes eſſe conuenientior Dei, & Beatorum, quàm orbes mobiles; aſſerunt illud eſſe lucidum totum æqualiter, luce tenuiſſima, & clariſſima præditum, vt habeat claritatem gloriæ. De qua fortaſſe luce intelligendum illud Pſalmi. Amictus lumine, ſicut veſtimento. Et illud Pauli. Lucem habitat inacceſſibilem, quam nullus hominum vidit, ſed nec uidere

Piccol. lib. de Cęlo. P. 1. 9. 55.

D. Th p. 1. 9. 66. art. 3.

Pſa. 103.

1. Tim. 6.

videre poteſt; Cui honor, & imperium in ſempiternum. PROVID. Addidi ego ſeptimo loco confirmationem ex cauſſalitate Cœli, per ipſum videtur ſummopere aſſimilari Deo; vt hinc iure dicatur eſſe ſedes illius. Deus quippe prima eſt, & vniuerſaliſſima rerum omnium cauſſa, quæ cum omnia non modo producat, verum etiam conſeruet, nihil tamen ab illis patitur, vt agentibus contingit inferioribus, quæ dum agunt etiam repatiuntur Ariſtotele teſte. At Cęlum, inter corpora, ipſum quoque cauſſa prima eſt, & vniuerſalis rerum omnium generabilium, & corruptibilium, Dumque agit in hæc inferiora, nihil ab illis patitur, neque pati poteſt. Nec arbitror rem hanc indigere probatione, cum abunde illud oſtenſum fuerit ab Ariſtotele in octauo Phyſicorum, & in ſecundo de Ortu, & Interitu. Quod autem res omnes poſtquam genitæ fuerint, etiam à Cęlo conſeruentur, & Ariſtoteles ipſe cognouit, qui in Primo Metheorũ ſcriptum reliquit, Mundum hunc ſuperis lationibus neceſſario eſſe debere continuum, vt inde omnis eius facultas regatur, & gubernetur. ANON. Nunquam plenè mihi ſatisfecit hæc Ariſtotelis ſententia, neque ſatis mihi conſtat qua ratione inferior hic mundus à motionibus ſuperioribus regatur. An quæcunque hic fiunt vi, & efficientia illarum fiunt? Sanè ſi id ſtatuatur, cum cæleſtia corpora eodem ſemper modo agant, & neceſſario moueantur, omnia etiam euenta inferioris huius mundi neceſſariò fient; quare & hominis libertas, qui ex elementis conſtat, & alitur, videbitur periclitari. PROVID. Optimè ad hanc dubitationem reſpondet Vicomercatus, dicens Ariſtotelem hic loqui de hoc mundo quatenus ex elementis conſtat: ſic enim à ſuperis motionibus regitur, quia elementa per eas ſeruantur, viciſſimque perpetuo per partes certa quadam viciſſitudine mutantur, quę motiones niſi eſſent continuò, illa perirent, & perturbarentur. Conſeruantur autem ab eiuſmodi motionibus, quia illæ ſydera, & Solem adducant, & abducant, quo fit vt modo vnum, nunc aliud elementum gignatur, atque ita eorum vniuerſitatem conſeruēt. Hac ipſa ratione & reliqua conſeruantur à Cęlo, quæ ex elementis conſtat, generantur enim, & intereunt acceſſu, & receſſu Solis, vt docuit Ariſtoteles. Conſeruantur etiam à Cœli motu, quia illo ceſſante, calor omnis elementorum, & ignis præcipue à rapidiſſimo Cęli motu conſeruatus citiſſime iret perditum. Hæc autem omnia ſi adfuerit materia rectè diſpoſita, certè neceſſariò fient, accedentibus ad materiam cauſis. De Hominum actionibus hic minimè Ariſtoteles loquitur. Illud tantum addam, ſeptimā hanc rationem magis de primo mobili concludere, quam de cæteris orbibus, eo quod illud in hos omnes aliquid agar, illos motu mouens diurno, cum tamen ab illis nihil patiatur. Quare primum mobile magis eſſe videtur cauſſa independens, magiſque vniuerſalis, Deoque ſimilius. Vnde & ratio hęc ſicut & quarta apud Ariſtotelem Deum collocabit potius in primo mobili, quam in aliorum orbium aliquo. PRINCEPS. Hoc ipſum mihi in mentem venerat iudicium de hac ipſa ratione. ANONYM. At quod cęli immortalitas antiquos optima ratione mouerit, ad aſſerendum Deum in Cęlo reſidere iam diu patet ex Ariſtotele. Decebat enim, vt immortali Deo locus, & ſedes aſſignaretur immortalis. Cęlum autem immortale eſſe,

8. Phyſ. 2. de ſe-
quu.
Cap. 1.

&

& incorruptibile duabus rationibus probat Ariſtoteles in primo de Cęlo. Tex 22. Primum quidem communi omnium conſenſu. Totius enim temporis præteriti memoria, quam alijs alij reliquerunt Cęlum nec totum, nec vlla in parte conſtat eſſe mutatum. Deinde hoc modo. Quicquid corrumpitur à contrario corrumpitur, & in contrarium abit. Sicuti & quod fit, fit e contrario. Contraria autem contrarijs motibus ſunt prædita, vt inductione patet. Vnde ſi corpus aliquod Naturale illo fuerit motu decoratum, cui nullus motus ſit contrarius, illud etiam carebit contrario, & corrumpi nunquam poterit. 1. De celo à tex. 5. ad 16. Cęlum ergo, quod naturaliter mouetur circulari motu, cui motui nullus alter motus contrarius eſt, vt euidenter tradidit in tex. 24. & ſequentibus, & etiam ſupra aliqua ratione indicatum eſt, nullum contrariũ habebit, & interire haud poterit. Ex quo deinde colligit non augeri, quia accretio eſt quædam generatio, cęlum autem generari non poteſt, quia contrarium non habet. Quoniam autem non augetur, ideo neque alteratur in patibili qualitate. Quęcunque enim ita alterantur, augentur, atque decreſcunt. Sed hæc πάρεργον. Magis ad rem facient, quæ nonnulli obijciunt Ariſtoteli, dicentes non recte ab eo colligi quod cęlum non corrumpatur, quia contrarium non habeat. Nam & ſubſtantiæ ipſæ contrarium non habent, vt homo, equus, leo & tamen generantur, & intereunt. Sed ſoluitur, quia ſubſtantiæ huiuſmodi & ſi quatenus ſubſtantiæ ſunt, contrarium nõ habent, illud tamen habent ratione accidentium, quæ prærequiruntur in materia pro formæ introductione. At Cęlum quia nullum tale contrarium habet, ideo neque vnquam corrumpetur, neque naturam mutabit. Obijciũt denuo ſphęras inferiores retardari in proprio motu, à motione diurna; indicium euidens quod motus diurnus, qui fit contra ordinem ſignorum, contrarius ſit motui naturali planetarum, qui eorũdem ſignorum ordinem ſequitur. Hinc dicunt Saturni globum tardiſſimè moueri, & Zodiacum percurrere, Lunam autem citiſſimè, quia ille maxime vicinus eſt primo mobili, hęc vero valde remota: obſeruantque eadem ratione eo tardius planetarum orbes moueri motu proprio, quo propius accedunt ad primum mobile. INCLVSVS. Quid ad hæc reſpondebis? Anonyme. ANON. Hic quoque fere omnia ſunt falſa Incluſe. Falſum primo eſt, quod dicunt motum Planetarum à diurno retardari. Falſa etiam eſt coniectura, qua illud ſibi perſuadent. Nam ſi orbes inferiores mouerentur ceſſante diurno, totum etiam circulum ſuum eodem temporis ſpacio conficerent, quo nunc conficiunt. Nam & ſi rapiantur à concitatiſſimo illo motu, & moueantur circa cẽtrum ab oriente in occidentem, nihilominus naturali ſuo motu oriẽtem verſus mouentur eadem velocitate, qua ſine illo raptu, Zodiacum percurrerent. Scilicet ſub alio, & alio gradu Signiferi ſuperioris ſphæræ eadem velocitate mouentur, qua etiam mouerentur ſi ſphæra ſuperior quieſceret. Exemplo fiet res hæc manifeſtiſſima. Non enim minori velocitate homo exiſtens in naui à prora ad puppim accedit mota naui, per flumen, quàm ſi nauis ipſa quieſceret. Non enim eſt arbitrandum motum naturalem Planetarum eſſe huiuſmodi, vt tanto tempore centrum circumeant, verſus orientem moti; ſed vt tanto tempore Zodiacum percurrant orbis ſupremi. Obi-

ciunt

Digitized by Google

ſciunt denique in omni genere contraria reperiri, vt dicitur in primo Phyſicorum. Ergo & cæleſti corpori, & cæleſti motui erit cōtrarium aliquid. Dicendum in omni genere eſſe contraria pro parte ſaltem aliqua. At in ſubſtantiæ genere ſola caduca capax eſt contrariorum, formæ ſcilicet, & priuationis. Cęlum autem caduca ſubſtantia non eſt. Idem de cæleſti motu in orbem dicendum eſt. PRINC. Profectò inutilis non fuit Ariſtotelicæ rationis repetitio, vt antea monuiſti Anonyme, quando anſam hæc attulit tam pulchras difficultates diſſoluendi, tamque variam, iucundamque doctrinam explicandi. ANON. Si tamen quis plura cupit, is videat Philalthæum in 1. de Cælo, conſil. 37. INGEN. Quod ego dicturus modo ſum, mirandam certe patefacit ſimilitudinem inter Deum ipſum, & Cælum. In Deo ipſo poſſumus tria conſiderare, ſubſtantiam ſeu eſſentiam illius, actum illius ſecundum immanentem, qui eſt intellectio eiuſdem, & volitio; (diſtinguuntur enim actus hi à Deo ipſo ſecundum noſtrum intelligendi modum) tertio, & actum eiuſdem tranſeuntem, qui eſt creatio, & conſeruatio rerum perennis. Quanquam autem ipſe ſemper ſit in actu vtroque ſecundo, in ſui tamen natura omnino eſt immobilis, & immutabilis. Videatis hæc omnia & in Cælo ipſo. Subſtantia illius ſatis patet. Præterea nunquam ceſſat ab actu ſecundo immanente, nempe à motu circulari. Reperitur etiam ſemper ſub ſecundo tranſeunte, perpetuo generans, atque conſeruans hæc inferiora, ut antea dicebatur. Cumque hęc omnia inſint illi, ſecundum omnem tamen rationem, quodammodo eſt immobile. Quod ſecundum ſubſtantiam non mutetur iam patet. Quod ab extrinſeco etiam nihil penitus patiatur eſt euidens. Quanquam autem perpetuo moueatur localiter, motu in orbem, tamen immobile etiam eſt ſecundum locum; non enim vllo modo mouetur ſecundum totum, ſed eſt immobile penitus, ſemper æque diſtans à centro, eodemque in loco ſemper conſiſtens. PRINC. Hactenus inaudita fuit tam mira conuenientia, & ſimilitudo inter Deum & Cælum ipſum. Summo ingenio tuo digna fuit hæc doctrina Ingenioſe. INGEN. Quidquid dico boni, ô Princeps, totum his dulciſſimis colloquiis, & huic noſtræ Solitudini acceptum refero, rogoque vos, vt & ipſi quoque referatis. INCLVS. Tandem vero decima etiā Rō 10. ratione aſſerere oportet non male veteres exiſtimaſſe Cælum eſſe locum Dei, ob eximiam illius pulchritudinem, & maieſtatem. Tot enim lumina, tot ſydera, ſingulare ornamentum Deo potius, quam vlli aliarum mentium affulgent. Quod ſi hic quoque volumus ſimilitudinem cum Deo inueſtigare, facile inueniemus. Ecce Deus ipſe ſimpliciſſimus cum ſit, & actus purus, eſt tamen omnis varietatis cauſſa, in ſeque continet rerum omnium exemplaria, nulla perturbatione confuſa, ſed miro, inexcogitabilique modo vnita in ipſius mente. Ecce vniuerſa Cæli machina ipſa quoque una eſt quinta eſſentia, ſimplex, libera ab omni mixtione contrarij, in ſe tamen plures continet orbes, diſtinctos in materia per dignitatis gradum, ut dicebat Ariſt. in 1. Metheor. cap. 4. Qui omnes orbes & ſi circulari motu ferantur, qui omnium eſt ſimpliciſſimus, & ordinatiſſimus, nihilominus tam varios effectus, & aſpectus pariunt aſtrorum, tamque varij inter ſe videntur, vt in-

K commen-

Digitized by Google

commenſurabiles omnino cenſeantur, & ad eundem ſtatum, & vniformitatem nunquam redituri. Et tamen ibi nulla eſt perturbatio, nulla confuſio, ſed omnia mirabili, & infallibili ordine mouentur, ita vt in illis nullum locum habeat fortuna, aut caſus. Cumque Cælum ipſum vniuerſalis cauſſa ſit rerum omnium, quæ generantur, dicendum venit & in cælo quoque ipſo reperiri quodammodo earundem rerum, ſemina, & naturas, idque virtute, & vt in cauſſa æquiuoca. Quę eſt magna Dei imitatio. PRINCEPS. Profectò ita res habet. Deus Immortalis quid iucundius, quid vtilius excogitari poteſt his ſermonibus? Nunc intelligo quam verum ſit, quod toties ſcriptum eſt in Patrum doctrina Deum eſſe in Cęlo ſecundum congruentiam, & decentiam quandam, & ut alij dicunt ſecundum ſimilitudinem, aut conſpicuam repræſentationem. POLYDORVS. Putabam ego, o Princeps, ſecundum doctrinam Patrum dicendum eſſe Deum æque eſſe ubique ſecundum eſſentiam, pręſentiam, & potentiam. PRINC. Rectè putas. Attamen in Cęlis ſublimiori quodam modo, & magis conſpicuè repræſentatur Gloria, & Maieſtas Dei, iuxta illud Pſalmi. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Et vt inquit Dominus ipſe apud Iſaiam Cap. 66. Cęlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum. Apud Matthæum etiam legitur. Nolite iurare omnino neque per cælum, quia thronus Dei eſt, neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius. Et alibi apud eundem. Et qui iurat in cælo iurat in throno Dei, & in eo, qui ſedet ſuper eum. Et Pſal. 122. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cęlis. Quæ omnia & alia inſuper loca, quæ in Sacris Biblijs reperiuntur eo modo ſunt intelligenda, quo antea dicebatur, Deum ſcilicet in cęlo eſſe potius quā in alio loco ſecundū congruentiam, & decentiā quandā. Noſtri tamen Theologi cū hoc ipſum admittant Cęlum eſſe Dei ſedem ſecūdum decentiam hanc, & conguentiam, aiunt tamen cęlū iſtud non aliquod eſſe ex illis, qui mouentur circulariter, ſed aliud ipſi ſtatuunt ſupra omnes cęlos, immobile penitus, & lucidum æque totum, quod Empyreū, & igneū appellatur: non quidem ab ardore, ſed à ſplendore, vt aſſerit D. Thomas. Tale autem Cælum nulla ratione naturali adinuentum eſt, vt idem Angelicus Doctor teſtatur, ſed ſola auctoritate poſitum Strabi, & Bedæ; & iterū per auctoritatem Baſilij. Qui omnes in eo conueniunt, quod ſit locus Beatorum. Nam ſtatim factum, inquiunt, repletum eſt angelis. Et Baſilius inquit; Sicut damnati in tenebras vltimas abiguntur, ita remuneratio pro dignis operibus reſtauratur in ea luce quæ eſt extra mundum, & ibi quietis domicilium ſortientur. PROVID. Tamen Angelicus Doctor addit & rationem ad idem ſtatuendū, & ad Patrum ſententiam cōfirmandā. ANON. Afferas obſecro Prouide rationē hanc, ut ego illam diſcam. PROVID. Inquit Sanctus ille Doctor, qđ in futura vita expectatur duplex Gloria, ſpiritualis, & corporea. Decuit aūt in mūdi exordio utranq; inchoari. Spiritualis quidē in Angelis inchoata eſt, ergo cōueniebat & corporeā inchoari in corpore aliquo, qđ ab initio liberū eſſet ab omni ſeruitute mutabilitatis, eſſetq; totaliter lucidū, longe ab omni varietate. Hoc ergo corpus Cælum empyreum erit. ANON. Pulchra ratio. PROVID. Pulchrior apparebit conſi-

Pſal. 18. *Cap. 5.* *Cap. 23.* *P. p. q. 66. art. 3.*

Digitized by Google

conſiderando quanto cōuenientius Dei ſedes in hoc Empyreo collocetur, quam in aliquo mobilium orbium. Quod.n.ſe mouet mouetur vt finem ſuū conſequatur, quare & imperfectius erit eo, quod omnino eſt immobile: videtur.n.id iam finem ſuum adeptum eſſe. Deus autem omnino eſt immobilis, nec ad alium finem tendit, quam ſe ipſum. Rectius ergo collocabitur in cęlo immobili, quam in eo, quod perpetuo circumuoluitur. ANON. Optimè. PROVID. Dicunt tñ hoc ipſum Empyreum Cęlum influere ſuper omnia quæ mouentur, licet ipſum non moueatur, ita vt & in primum quoque mobile aliquid permanenter influat. Verum, vt antea dicebatur, id nulla rōne naturali cognoſcitur. Quare ſufficere nobis debet ſumma cū ratione veteres Deū collocaſſe potius in Cęlo ipſo ſpectabili, mobili, & Aſtris pleno, quam in alia mūdi parte. INCLVS. Hæc, quæ modo Prouidus dixit de influxu Empyrei Cęli, in memoriam mihi reuocarunt argumentū quoddam, quo nonnulli ſibi perſuadent, naturaliter oſtendi Empyreū dari, nec ſola auctoritate cognoſci. Aiunt.n. Plinij Auctoritate, in Europa inter Acheloum, & Neſtum Amnes, leones generari uiribus longe præſtantiores illis, qui generantur in Aphrica, aut Syria. Quod quidem cum minimè fiat, in tota illa latitudine Occidentem verſus, in qua dicti amnes ſiti ſunt, indicium eſt varietatem hanc ab influxu alicuius immoti cæli prouenire. Similiter dicunt in alijs quoque partibus terræ quædam animalia gigni, quæ cum in toto illo terræ tractu, in quo illę ſitæ ſunt, aut forte in alia mūdi parte minime generentur, concludunt huius effectus cauſſam, nō in aliquam mobilium ſphærarum, aut aſtrorum aſpectum referēdam eſſe. Cum enim aſtra, & ſphæræ mobiles ſemper ab Oriente Occidentem verſus ferantur, huiuſmodi effecta per totum illum terræ tractum ab Oriente in Occidentem fierent. Neceſſe ergo eſt, inquiunt, cauſſam huius eſſe influxū aliquem, ab immobili aliquo Cęlo prodeuntem, quod non aliud erit, niſi Empyreum. PROVID. Iſti tamen, ò Incluſe, nimium leui de cauſſa mouentur, ad multiplicanda tam grandia corpora, quanta ſunt Cęleſtia. Non ſunt effectus illi tanti momenti, qui ſeruari non poſſint, non poſito immobili Cęlo. Sunt effectus hic deorſum contingentes, ad quorum generationem ſi modo aliquid conducunt ſuperni influxus, conſtat tamen totam fere cauſſam varietatis huius in variam terræ diſpoſitionem reſerendam eſſe. At illi videntur totalem generationis rerum illarum cauſſam cęleſtes influxus facere, quo nihil abſurdius. INCLVS. Vereor ne ſuſtineri hæc tua poſſit doctrina, Prouide. Vulgaris eſt hæc tua reſponſio, & iam diu videtur à Chriſtophoro Clauio refutata, inſtat enim denuo, hanc diuerſitatem diſpoſitionis terræ à diuerſis varijſque aſpectibus ſuperiorum corporum pendere; Quare non poterit reddi ſufficiens cauſſa cur in eodem climate non ſit eadem diſpoſitio terræ; quandoquidem omnes partes eiuſdem climatis reſpectu cęlorum mobilium eoſdem aſpectus habent ſucceſſiuè. PROVID. Addit ne aliud Clauius? INCLVS. Nil aliud. PROVID. Tantam ergo vim ineſſe putas huic argumentationi, ut mea per illam poſitio corruat? Aberras Incluſe. Non ne vides Clauium principium petere, ſupponens in hoc argumento totam cauſſam variæ diſpoſitionis terræ, eſſe aſpectus

Li.8.c.16

Digitized by Google

aſtrorum,quod tamen negari ab aduerſarijs non ignorat? Non negamus aliquid aſpectum poſſe, ſed dicimus nihil illum efficere ſuæ concurſu inferiorum cauſſarum. Quæ cum non a Solis aſpectibus immutentur, ideo dicimus terram diuerſimode diſponi in eodem climate. Sed vis ne videamus quanto in errore verſetur Clauius? INCLVS. Obſecro. PROVID. Interrogabo ergo illum, vt dicat mihi, vnde fiat vt nullum ſit Clima, quod in ſe non contineat lacus, flumina, plana, montes, aliaſque locorum varietates, quas non ab arte, ſed a natura certum eſt proficiſci; vt quod locus hic fertilis ſit, ille ſterilis, calidus ille, hic frigidus, in hoc flumine, vel lacu hoc piſcium genus proueniat, in illo aliud genus diuerſum, & tamen omnia illa loca erunt in eodem climate. Dicat quæſo mihi Clauius, cur totum Clima non vniuſmodi ſit? Nonne idem aſtrorum aſpectus reuoluitur ſuper illo vniuerſo? Certe non aliud poterit reſpondere, niſi terræ tractum illum ab alijs quoque cauſſis alterationes varias recipere; ideoque in vna parte magis, quam in alia hos uel illos effectus cerni. Aut certè operæpretium erit cauſſam cuiuſcunque vel leuis varietatis, quæ hic inferius conſpiciatur reijcere in Cælum Empyreum, quod extremę fuerit leuitatis. PRINC. Præuidi ego à principio ſuauiſſimum mihi fore hoc colloquium. At non ſuaue modo extitit, ſed vtiliſſimum etiam. Placet ne vobis vt diſcedamus? ANON. Rogo ne tam cito diſſoluatur hæc ſeſſio. ſuccurrit enim mihi quoddam notatione digniſſimum in hac dictione, quod à vobis vellem conſiderari. PRINC. Eia proferas quicquid lubet. ANON. Habet hoc loco Homerus in cælo ſplendorem circumſulgere: qui loquendi modus videtur indicare Cęlum non aliqua tantum parte lucidum eſſe, vt in Sole vel Stellis, ſed vniuerſum eſſe pellucidum. PRINC. Tu vero, quid diceres de re hac? nonne tu quoque idem cenſes, cælum vndique circumſulgere? ANON. Minimè. Sed aſtra ſola lumine prædita eſſe cenſeo, cæteras partes minime. Immo neque aſtra omnia propria luce corruſcant, eo quod Luna lumine ſolari fulget tantummodo, ipſa per ſe opaca exiſtens. PRINCEPS. Vnde colligis Lunam ſolo lumine ſolari fulgere? ANON. Ex ipſius conſtat mutationibus. Cũ enim illam uideamus rotundam fieri, vbi opponitur Soli, falcatam autem eo magis euadere, quo propius accedit, euidenti eſt argumento illam eſt natura opacam eſſe, & figuram rotundam, & lucidam Solis ſplendore. At cætera aſtra, quia dum accedunt, & recedunt à Sole eaſdem lucis viciſſitudines non ſubeunt, ideo conſtat à Sole lumen ſuum minimè haurire. Patet præterea ex eo, quod Mercurius, & Venus Planetæ Sole inferiores vbi inter Solem, & aſpectum noſtrum interponuntur nullum luminis defectum faciunt, ſicut Luna facit. Lucent ergo Luce propria. Alioquin ſi ex ſe lumen non haberent, Solis lumen intericcta impedirent. Quod ſi inferiores Planetæ nil à Sole recipiunt luminis, neque ſuperiores recipient. Inferiora enim aſtra, & orbes, ſicuti nullam uim habent in ſuperiores quantum ad motum, ita neque in luce habebunt.

PRINC. Sicuti cætera oīa mihi ſummopere probãtur. ita qđ de Luna dixiſti aliquã difficultatē patitur. Vī. n. ipſa quoq; aliquid habere proprij luminis,

minis,

minis, non autem totum a Sole recipere. Nam dum illa deficit per terræ interpoſitionem adhuc lumen quoddam ſeruat, per quod uideri poteſt. Apparet enim rubei coloris, aut æris vſti cum ſplendore quodam. Quare aſſerendum prorſus eſt lumen Lunæ à duplici fonte manare. Partim quidem manat ab ipſa, proprio lumine prædita; partim à Sole, à quo maiorem ſplendorem recipit per reflexionem radij. A N O N. Profectò ita ſtatuendum uidetur. INGENIOS. Ego aliud quoddam annotaui in Anonymi diſcurſu, quod dignum videtur reprehenſione. ANON. Quidnam hoc eſt? INGEN. Quod tu ſtatuis aſtra Sola lumine eſſe prædita, cæteras partes minime; hoc enim falſum videtur. ANON. Imino veriſſimum videtur. Si enim uiſui credimus ſola aſtra lucent. Si rationi idem dicendum. Nam negandum non eſt partes alias lumen à Sole, & Stellis recipere, dum per illas tranſiens, ad nos tranſmittitur. Si ergo recipiunt lumen ab alio, ipſæ priuatę erunt omni lumine; recipiens enim denudatum eſſe debet à natura recepti. INGEN. Debilia ſunt hæc argumenta Anonyme, eorum reſpectu, quæ contrarium aſtruunt. Audias me quæſo. Lux aſtrorum omnium aut ad ſubſtantiam eorundem pertinet vt nonnulli opinati ſunt, aut ſaltem eſt qualitas actiua, quæ conſequitur aſtri naturam, ſicuti & calor ſequitur naturam ignis. Quodcunque dicatur neceſſe erit aſſerere, vniuerſam ſphæram lumine præditam eſſe; aut aſtrum eſſe vnius naturæ, & orbis, deferens illud, alterius. Si primnm dicas, hoc eſt, quod volo; ſecundum autem falſum. ANON. Cur falſum? INGEN. Quia duo ſequerentur abſurda. Vnum quidem quod cœlum quodlibet corpus eſſet organicum, quod nemo dixit vnquam. Alterum quod eſſet corruptibile. Si enim Aſtrum eſt vnius naturæ, & orbis deferens alterius, ſimul autem iuncta faciunt ſphæram, ſequetur quod apta erunt ſeparari ab inuicem. Non enim ex parte ipſorum repugnat vnum eſſe ſine alio, cùm ſint diuerſæ naturæ. Si ergo quælibet ſphæra potentiam includit ad ſui diſſolutionem, aliquando hæc reducetur ad actum; & diſſoluetur, quod eſt erratum in Philoſophia. Quare dicendum eſt totam ſphæram eiuſdem eſſe naturæ, & ex conſequenti per totam diffuſum eſſe lumen. Fulget autem illud in aſtro ſolo, eo quod aſtrum eſt pars denſiſſima orbis illius; vnde fit, vt in eo multa ſit lux collecta, atque ita fulgeat, quod in alijs partibus propter raritatem animaduerti non poteſt. Vnde & primi tui argumenti patet ſolutio. A N O N Y M. Quid dices ad ſecundum?

INGEN. Reſpondet optimè Piccolomineus, recipiens immune quidem eſſe debere à forma recipienda non in ſpecie, ſed in gradu. Vt aqua tepida licet aliquid caloris obtineat poteſt tamen & maiorem recipere. Sic & de cæleſtibus orbibus dicendum. Vnaquæque illorum pars naturaliter eſt lucida plus minuſve. Poteſt tamen & lucidior reddi. A N O N. Reciperem hanc doctrinam libentiſſime, niſi quædam obſtaret difficultas. INGEN. Quæ? ANON. Dixiſti Stellam eſſe denſiorem partem orbis. Idemque cęlum in una parte rarum eſſe, in alia denſum. Interrogabo te hunc in modum. Cum materia cæli ſecundum te ſit eiuſdem naturæ (alioquin diſſolueretur vt parum antea colligebas) vel ſecundum propriam na-

Lib. de cœlo. cap. 28.

turam expoſcit denſitatem Stellæ, vel raritatem orbis. Si Stellæ denſitatẽ, ergo raritas orbis eſt illi præter naturam; ſi raritatem orbis, ergo denſitas Stellæ erit illi præternaturalis. In Cęlo autem nihil eſt præternaturam; alioquin æternum non eſſet. INGEN. Anonyme, vt video Franciſci Piccolominei Philoſophiam ſequeris, & in illius operibus verſaris. Sicuti etiam conſtat te ex eodem Auctore hanc deſumpſiſſe difficultatem. Ad quam non eſt vt ego quicquam reſpondeam; habes enim illam in libro de Cœlo, cap. 13. ANONYM. Certè neſcio quid ille dicat in hac materia, neque vnquam vidi librum illius ullum de Cœlo. INGEN. Extat pulcherrimus liber; in quo etiam hanc eandem difficultatem ſoluit, inquiens. Cælum admittere in ſe varietatem partium ſine mixtione contrarij. Ideo materiam quidem vnam eſſe, vnitate ab vno, ſed tamen varietatem admittere. ANONYM. Ego vero, vt ingenuè dicam non puto rectè ſolui argumentum. Nam quæcunque illa ſit varietas, quam admittit, poſſumus denuo interrogare, quænam illius pars ſit orbi naturalis. Nam quacunque data, erit altera præternaturalis.

Eodem libro. c. 13.

INGEN. Dicet fortaſſe vtranque illi eſſe naturalem. ANONYM. At hoc de raritate quoque, & denſitate dici poterat. Quare nondum ſolutum eſt argumentum. INGEN. Apparet. Sed rogo te Prouide vt ſuccurras mihi. PROVID. Repetas quæſo argumentum Anonyme.

ANONYM. Dicebat Ingenioſus cuiuslibet cæleſtis orbis materiam vnius eſſe naturæ, ſed tamen raritatem & denſitatem habere in diuerſis partibus. Ego ita arguebam. Neceſſe eſſe vt aut raritas, aut denſitas eſſet orbi præternaturalis; eo quod duo contraria non poſſunt eidem rei eſſe naturalia. At nihil in cælo reperiri poteſt præternaturam, alioquin æternum non eſſet; nam tandem iret perditum vi illius præternaturalis, quod admitteret. PROVID. Erras in eo, quod ais raritatem, vel denſitatem eſſe debere cælo præternaturalem. Neutra enim eſt præternaturam.

ANON. Concedis ergo duo contraria eſſe poſſe ſecundum naturam reſpectu eiuſdem rei. At hoc magnum eſt erratum.

PROVID. Bona verba quæſo Anonyme; Diſtinguo de contrarijs. Alia enim ſunt contraria, quorum vtrunque vim habet actiuam; alia, quorum neutrum eſt tale, neque vim vllam habet agendi. De primis vera eſt propoſitio; non enim ambo poſſunt eſſe ſecundum naturam reſpectu eiuſdem rei, ſed neceſſe eſt alterum eſſe præternaturale, & uim habere corrumpendi; At ſi de ſecundis loquamur, neceſſe non eſt, vt ſi alterum ſit naturale rei alicui, reliquum ſit præternaturam. Quod enim vim agendi non habet, non poteſt quicquam corrumpere. At quod propriè eſt præter naturam, id natum eſt rem corrumpere, eiuſque operationes lædit. His ita ſtantibus dico breuiter, quod raritas & denſitas ſunt contraria ſecundo modo, nullam vim habentia agendi; & propterea neutrum illorum poteſt eſſe cælo præternaturale, ita vt ex illius adheſu periclitetur immortalitas. At ſi uim agendi haberent, proculdubio concluderet argumentum, & ſi ambo ineſſent vel ſimul, vel ſucceſſiue in eadem re, neceſſe eſſet alterutrum ineſſe præternaturam, & vim habere corrumpendi. ANON. Nonne in

his

Digitized by Google

his inferioribus denſitas, & raritas conſpiciuntur agendi uim habere? Cur ergo & in cælo non habebunt? PROVID. Nullam habent neque in his inferioribus. Nam etſi ferrum ignitum propter denſitatem magis vrit quam flamma, id non fit per ſe à denſitate; ſed per accidens contingit, quia coniungitur cum actiua & corruptiua qualitate, nempe cum calore. Quæ coniunctio eſt accidentalis vt patet. At in cælo nulla talis qualitas corruptiua reperiri poteſt, ideo neque denſitas, aut raritas quicquam obſunt ei, neq; vlla earum dici poteſt pręternaturalis. Sic cenſeo ſoluendum eſſe argumentum? AmON. Mihi quoque arridet admodum tua hæc ſolutio. PRINCEPS. Ne hic amplius immoremur, quoniam adueſperaſcit. HOSPES. Mane ergo nobiſcum ò Princeps. PRINC. Semper apud te ſum, etiam quando recedo. Deus tibi condignum tribuat præmium pro tot beneficijs quæ nos conſequimur in domo hac tua. HOSPES. Sufficit mihi ſi vos audiam. Hoc mihi maximum eſt præmium.

ODYSSEÆ
Sexto, Verſu IIC.

Expectabant autem, vt veſtes (humidæ) Solis ſiccarentur Splendore.

Qua ratione Lumen calefaciat.

COLLOQVIVM XXIIII.

PROVIDVS.

CVM vnicuique notiſſimum ſit ò Amici, lumen, & præcipue illud, quod à Sole procedit, calefacere, de ratione tamen, & modo quo illud efficiat, ita ſunt inter ſe diſcordes Philoſophi, vt pauci ſint, qui in eandem ſententiam incidant. Accomodatiſſimus autem eſt locus iſte de huiuſcemodi materia diſſerendi. Sperarem ego, ſi vnicuique veſtrum libuerit propriam ſententiam proponere, futurum, vt hinc inde varijs allatis rationibus, & argumentis, innoteſceret, quæ ſit vera ſententia.

SITIC. Immo ita prorſus agendum. Et ut ego alijs uiam parem, volo prius examinari à nobis opinionem quandam, quæ nouiter increbuit. Ea vero eſt Valleſij. Qui in libro de Sacra Philoſophia, ſtatuit Solis calorem alium non eſſe ab eo, qui eſt ignis; modificatum tamen fulgore

Solis, quo naturaliter trahitur. Sol enim inquit, cum ſit corpus incorruptibile neque calidus eſt, neque frigidus; Quare neque calefacere poterit, neque refrigerare, niſi aliquo alio accedente. Hoc autem acceſſorium nullum aliud erit, niſi id quod per ſe, ac primo calidum eſt. Hoc autem eſt ignis. Quod ſi quis quærat, qua ratione Sol calefaciat cum non ſit calidus: reſpondet maximam ignis partem cum lumine Solis circa terram volui, comitarique circumeuntem diem. Quo fit vt dies, atque omnino lux omnis calida ſit; nox & tenebræ frigeant. Vnde rurſum conſtat non aliam eſſe diuinitatem Solaris caloris, ſed eundem penitus eſſe & igneum. Hanc comitantiam ignis cum lumine Solis duplici modo videtur comprobare, ratione, & auctoritate. Ratio eſt huiuſmodi; quia videmus omne ſimile ſequi ſuum ſimile; ignis autem ſimilis eſt Soli & alijs aſtris cæleſtibus. Solus enim inter elementa cæleſtem fulgorem imitatur, ita vt plurimi ueterum Philoſophorum ob eam ſimilitudinem aſtra ignea eſſe ſuſpicati ſint. Auctoritas eſt Eccleſiaſtes, qui ſic ait. Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem, luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur. Inquit ergo Valleſius ſpiritum illum, qui dicitur Solem comitari ignem eſſe. Probat, quia nomine ſpiritus veriſimile non eſt vocari Solem ipſum. nam & eſſet repetitio inutilis, & falſo ſpiritus vocaretur. Non enim ita vocari debet, quia tenuis ſit, neque quia inuiſibilis, neque quia animatus, & viuens, cum nihil horum ſit. Ignis autem iure ſpiritus uocatur ob tenuitatem. Hæc eſt opinio Valleſij, de cauſſa cur Lumen calefaciat. Quid vobis videtur de illa? Dicas tu Prouide. PROVID. Dico huiuſmodi ſententiam etſi primo aſpectu ſpecioſa uideatur, & peregrina, ſi tamen intimius conſideretur, plenam eſſe abſurditatis. Primum enim igni proprium motum, & determinatum adimit. Arbitratur enim Valleſius eo loci, ſolum ignem inter omnia corpora, nullum locum peculiarem appetere neque in vllum ferri niſi per accidens, ex ſe vero omnia permeare, ſolumq; lumen ſequi. At hæc opinio nimium aduerſatur communi Philoſophorũ Scholæ, quæ igni proprium locum, & motum tribuit. Quod deinde addit Solem quia calidus formaliter non eſt, ideo calefacere non poſſe ſine interuentu illius, quod per ſe eſt calidum, & formaliter tale; videtur dici præter omnem rationem & experientiam. Si enim uera eſſet huiuſmodi doctrina, non poſſet mus, aut rana produci ſine interuentu illius, quod eſſet per ſe, & formaliter mus, aut rana. Et tamen conſtat hoc eſſe falſum, imò ſæpenumero cõtingit ex ſola putri materia præexiſtẽte huiuſmodi animalia produci, cuius generationes cauſſam fere oẽs dicunt eſſe Solem, qui tamen mus non eſt formaliter, neque animal vllum. SITIC. Efficacius reijcitur Valleſij hæc ſententia, quam exiſtimaſſem vnquam. PROVID. Quod autẽ ait ignem comitari circumeuntem Solem, quam infirma ratione probatur? Mirum eſt profecto, quod ille dicat ignem aſtra imitari in fulgore, ideoq; illorum iter ſequi; cum ignis ille, qui dicitur circundare terram fulgidus non ſit. Certè parum infra Valleſius aſſerit ignem ex ſe omnino inſenſibilem

Digitized by Google

lem eſſe, fulgorem autem ei accedere ob materiæ, quam occupat denſitatem, vt in ignito carbone, aut fumo ardente. Quare ſecundum illum dicendum eſſet ignem fulgere per accidens. INCLVS. Sed eſto ſit per ſe ſplendidus, & lucidus, & hac in parte Soli ſimilis cum ſimilitudo hæc in ſolo ſit accidente, ſubſtantiæ autem tantum inter ſe diſtent, vt nulla inter illas concedatur affinitas, non videtur tanti facienda hæc ſimilitudo, vt poſſit ignis ſubſtantiam ſecum per vniuerſum orbem rapere; alioquin idem & de cæteris aſtris dicendum eſſet; quod tamen conſtat eſſe falſum. PROVID. Optimè. Sed quid nos tempus terimus in huius rei confutatione, quando poſitio ipſa apertè repugnat experientiæ. Certe ſi ſolis lumen ſecũ ignem raperet, ſequeretur quod ſub Arctico polo magnus æſtus eſſet dum ſol borealia ſigna percurrit, cum tunc ibi perpetuus ſit dies per ſex menſiũ ſpacium; in quo ſemper ſol manet ſupra Horizonta; & tamen conſtat ibi gelu reperiri maximum. Ad auctoritatem autem Eccleſiaſtis reſponſio eſt in promptu. Nam per ſpiritum intelligere oportet lumen Solis, quod verè eſt ſpirituale, & incorporeum, & influxu ſpiritali per omnia diffunditur. Sic optime exponitur Eccleſiaſtes, nec vlla ſit inutilis repetitio. SITIC. Iam valere dixi hanc Valleſij doctrinam. Quid ergo dicendum? INCLVSVS. Non arbitror deſerendam eſſe veterem opinionem, quamq; ferè omnes ſequuntur, dicentes ſolis lumen ea ipſa ratione calefacere, qua & motus ipſe. Scilicet ex attritu aeris, quem efficiunt Solares radij dum reſiliũt, & repercutiuntur ab opaco. Proiecti nanque radij Solis in terram reſiliunt ab ipſa refracti, & in aere duplicantur. Qua ratione aer extenuatur, & fit calidior. Raritatem enim conſequitur calor tanquam cognatam, affinemque qualitatem. Secundum hanc igitur doctrinam reſpondent ad quæſtionem cur intenſior ſit æſtate calor, quam hieme. Dicunt enim quod quando Sol radios in terram perpendiculariter proijcit, vt in æſtate quilibet radius reflectitur in ſe ipſum, ideoque maxima fit colliſio radiorum, & aeris attritio, proinde & vehementiſſimus calor. Quando vero radij non ad perpendiculum cadunt, ſed obtuſos angulos faciunt in terra tunc minor fit attritio, & remiſſior calor, vt hieme. PROVID. Hæc ſententia mihi ſummopere placeret, libenterque illam amplecterer, niſi in vno deficeret, quod alio qui maximi eſt momenti. Illud vero eſt, quod nemo docet, qua ratione lumen, ſeu radij Solares poſſint aerem atterere, & diſgregare. Neque ipſe Zabarella acerrimus eiuſdem opinionis defenſor, cum in hunc nodum incidit, aliter ſe ab eo extricauit, quam ingenuè aſſerendo ſe nil aliud reſpondere poſſe, niſi illam eſſe luminis naturam vt aerem tenuet, diſgreget, atq; diſpeſcat. Qua in re certe minorem ſe ipſo ſe prꝏſtitit, cum idem poſſet per pauciora efficere, quod maluit per plura. Quid enim prohibet ne dicamus eam eſſe luminis naturam, vt immediatè calorem producat? Sanè quod quædam corpora motu incaleſcunt ex aeris attritione, cum viciſſim confricantur, ego quoque conceſſerim, præſertim cum hæc eſſe videatur Ariſtotelica doctrina. At illud ex eorũdem corporum ſoliditate procedit. Quæ cum fricantur viciſſim, alterum alteri reſiſtit, per eamque repugnantiam, & attritionem efficitur, vt aer, qui in meatibus illorum interceptus ob ſoliditatem

De calore cæleſti ca. 10.

1. Meteor. 4.

tenuatus vero ditatem elabi non poteſt, ſecernatur, diſſipetur, tenueturque; incaleſcat, & accendatur. Quo fit, vt quanto ſunt ſolidiora, tanto magis caleſiant, quia violentius includitur aer, atque ita diſgregatur magis ob confricationem. Proinde lapides ac ferrum magis quam ligna, & in lapidibus ij, qui denſiores ſunt; in ferri genere chalybs ignem citius inter ſe confricata eliciunt, quam aliud ferri, aut lapidum genus. At radij Solares, cum ſint ſpiritalis qualitas, aerem vndequaque momento penetrant, & omnia diaphana; quomodo poſſint ſuo tranſitu, aut repercuſſu aerem diſgregare, id penitus eſt obſcurum, & à nemine hactenus ne mediocriter quidem explicatum. Quare hæc quoque valeat opinio. INCLVS. Quid ergo dicendum putas? Videris mihi in nulla opinione acquieſcere. Caueas ne aliquam proferas, quæ maiores difficultates patiatur. PROVID. Veſtræ partes erũt par referre pari, meamque doctrinam reijcere, ſicut & ego quoque veſtram reieci. Ego liberè fateor me omnino acquieſcere in illa opinione, quæ ſtatuit lumen immediate, & ſe ipſo calorem inducere, ſicuti & calor ipſe.

Tolet. 2. de generat. c. 2. quæſt. 2. SITIC. Qua ratione obſecro hanc ſententiam duabus antedictis præfers? PROVID. Non alia certè ratione, niſi quia cum conſtet lumen ipſum calefacere, non apparet vlla ratio, ob quam aliter dicendum ſit. SITIC. Excuſſiſti mihi riſum Prouide hac ratione tua. Nonne vides animum non acquieſcere in hac ſententia, vt inquit Zabarella, ſed adhuc huiuſce rei cauſſam deſiderari. Tu quoque rides? PROVID. Riſu riſum arguam: Bone

De calor. celeſti. ca. 10. Deus, nonne vides me poſſe Zabarellæ ipſius verbis reſpondere, dicentis, quod effectus à ſua cauſſa immediatè prodeuntis nullam aliam rationem eſſe quærendam, neque afferri poſſe. SITIC. Quomodo Sol immediate calefaciet cum non ſit calidus formaliter? PROVID. Ea ipſa ratione id facit, qua & alia multa producit, cum tamen nullum ſit eorum. Dico autem animalia, lapides, metalla, plantas, & alia infinita, cum tamen nullum horum ſit formaliter. SITIC. Hæc facit concurrentibus elementis, cauſſiſque ſecundis; nõ immediate. PROVID. Concedo, non tamen elementa mouet, aut generationem adiuuat, niſi aliquid immediate in illud mixtum producendo, quodcunque ſit illud. SITIC. Quid dices ad hoc argumentum. Eiuſdem effectus ſpecie eadem eſt cauſſa ſpecie. calor eſt vnus & idem ſpecie genitus à Sole, & igne. Ergo ab vna cauſſa ſpecie generabitur. PROVID. Diſtinguo maiorem. Vera enim eſt de cauſſis vniuocis, non de æquiuocis. Mus genitus ex putri, & genitus à mure ſunt eiuſdem ſpeciei, non tamẽ eadem fuit cauſſa ſpecie. Soluitur, quia genitus ex putri habuit cauſſam æquiuocam tantum. Sic, & in re præſenti. Sol eſt cauſſa æquiuoca caloris; calor autem vniuoca. Ideo poteſt ab vtraque produci. SITIC. Non effugies certe hoc argumentum. Lumen cum ſit ſimplex qualitas vnum tantummodo habebit effectum adæquatum. At ſi calefacit duos habebit; nam & illuminabit, & calefaciet. PROVID. Facile eſt effugere. Non enim eodem modo lumen calefacit, quo illuminat; ideſt non in eodem genere cauſſæ. Illuminat enim formaliter, calefacit effectiuè. SITIC. Papæ quam promptus eſt in inueniendis reſpõſionibus. Quid dices ad hoc, quod cum idem ſit Sol hieme, & æſtate, non tamen idem eſt calor? PROVID. Et ſi

Digitized by Google

idem ſit Sol, non tamen idem eſt lumen. Intenſius enim eſt æſtate, eo quod radij in ſe ipſos reflectuntur, atque ita duplicati intenduntur, maiusq; lumen efficiunt. Ideo & intenſior calor. SITIC. Iam receptui canam, non enim te vincere poſſum. PROVID. Veritas ipſa eſt, quæ nequit expugnari. Dicamus ergo Solem ſuo lumine immediate calorem producere. Quia cum ſit cauſſa æquiuoca horum inferiorum, eorum etiam virtutes in ſe eminenter continet, potiſsimum autem calorem, vt pote illum, qui eſt princeps inſtrumentum operationum omnium. Hæc etiam videtur fuiſſe Homeri ſententia. Statuit enim Solis ſplendorem vim habere exiccandi, nil aliud addens. Vnde apparet exiſtimaſſe Solem calefacere non ignem circumducendo, non aerem diſgregando, non alia denique via, niſi quia id ex ſe immediate valet efficere.

ODYSSEÆ

Sexto, verſu CLIV.

Ter beati tibi Pater, & Veneranda Mater,
Ter beati Fratres. - - - -

De Ternarij Numeri Dignitate, & Excellentia.

COLLOQVIVM XXV.

INCLVSVS.

DISPLICET, quod Anonymus non adſit. Ingens pluuia externa viam fortaſſe reddidit inuiam, & difficilem, propterea venire non potuit ad colloquium. PROVID. Vide illum. ANON. Saluete Amici. INCLVS. Opportunus aduenis. Nunc te deſiderabam. ANON. Quid boni habemus? Quæ ſunt veſtra colloquia? INCLVS. Nondum inceptum eſt colloquium. Hactenus audiuimus à Lectore noſtro, Vlyſſem à Calypſo Iouis iuſſu dimiſſum, cum in Patriam pergeret rata conſcenſa, viſum à Neptuno, qui illi infenſus erat, ab eoque multa paſſum, multumque iactatum, tandem die decimaoctaua nudum, diſciſſa rate, & Ino nympha auxiliante, ad Phæacum regionem perueniſſe. Qui ibi fame, frigoreque confectus, noctem dormiuit integram, ſibi lecto ex folijs parato. Poſtero die Nauſicaam Alcinoi filiam videns, cum ancillis ludentem illam cœpit deprecari, vt miſerata ſui, aliquod ſibi indumentum largiretur, quo & nuditatem tegeret, & frigus arceret. Vnde ab ipſius Nauſicaæ exorſus laudatione, cœpit prius illius beneuolentiam

Digitized by Google

uolentiam captare, quo facilius illam ad ſui miſerationem traheret. Itaq; inter alias laudes quas ipſe illi tribuit, hæc primo loco, vt aliarũ maxima poſita ab illo fuit, quod Patrem, Matrem, Fratreſq; illius ter beatos appellauit, eo quod talem à Dijs filiam, & ſororem acceperint. Huc lector noſter peruenerat, quando ego innui illi ne vltra procederet; exiſtimas locum hic dignisſimum eſſe, qui accurate à nobis cõſideretur. ANON. Quid in eo loco continetur, adeo reconditum? non herce video quò tēdas. INCLVS. Certe cõſtat Anonyme Vlyſſem eo dicendi modo maximam beatitudinem intellexiſſe, & tamẽ per obſcurum videtur, quamobrem ternario numero honeſtare illam voluerit. Cur nõ vocauit eos quater beatos? cur nõ millies? An ne in ternario numero ea reperitur perfectio, vt quod ter beatũ dicitur, plus habere beatitudinis dicatur, quam quod quater, aut centies illam continet multiplicatam? Dicemus ne tria plura eſſe quam centum, aut ternariũ numerum eſſe omni alio perfectiorem, cum tamen ſit omnium minimus binario excepto? ANON. Intelligo. De numeri ternarij dignitate differere velles. At ſcias quod ſi cuncta nos recenſere vellemus, quæ de numeris ex opinione Pythagoreorum dicuntur, deque ternarij laudibus, & perfectione decantantur, duo pericula non euitaremus. Nam & faſtidium prolixitate colloquij auditoribus afferemus, & ab Ariſtotele nimium deficiemus, qui numeris omnino vim illam abſtulit, quam illis tribuebant Pythagorici, eoſque nullius rei eſſentiam, aut cauſſam eſſe exiſtimauit, vt patet apud eũ in libro decimotertio Metaphyſicorum, per totum. Cum tamen Pythagoræi numeros à materia ſeparatos conſiderantes, eos rerum eſſe principia, & cauſſas exiſtimabant; quam ſententiam Ariſtoteles etiam refellit in 1. metap. tex. 19. In primo quidem de Cęlo Ariſtoteles ternarium numerum ſummis laudibus extulit, tribus rationibus ex ſententia Pythagoreorum oſtendens illum eſſe omnia. Quæ tamen rationes potius innituntur rerum naturis, quibus ineſt ille numerus, aut ex dicendi modo procedunt, quam ex ipſa ternarij natura. INCLVS. Non ignoro, ò Amici, quam multa à doctiſſimis viris hactenus conſcripta ſint de numeris, deque huius ternarij præſtantia, cum ex Pythagoreorum ſententia, tum aliter, quę omnia ſi huc vellem congerere, ſcio quale vobis faſtidium parerem. Attamen ſi aures mihi porrigere benignas velitis, polliceor vobis me multa de huius numeri dignitate dicturum noua, & hactenus inaudita, ex quibus vnuſquiſque veſtrum cognoſcet numerum illum omnium perfectiſſimum eſſe, nobiliſſimum, & omnia: ita vt verè qui ter beatus eſt ſit beatiſſimus, ter magnus maximus, ter doctus Doctiſſimus, & , vt vno verbo dicam, in ternario numero rerum omnium perfectio conſiſtat. SITIC. Ego pro omnibus Academicis his tibi ſilentium polliceor, & attentas aures; Iam incipias. INCLVSVS. Numeri bifariam conſiderari poſſunt, vel prout mente abſtrahuntur à rebus, & ſine rebus ipſis Phyſicis conſiderantur (qua ratione etiam Ariſtoteles putat, Pythagoræos feciſſe numeros principia rerum, eo quod ſunt priora, & ſine rebus nõ repugnat illa exiſtere) aut quatenus ſunt in rebus impreſſi. Ego prius de ternario agam à materia ſeparato, illiuſque ſummam excellentiam oſtendam. Qua in re peragenda iam edico vobis,

me aliqua ex alijs ſcriptoribus deſumpturum. Deinde vero ſingulas rerum naturas percurrens oſtendam earum omnium perfectionem in trinitate conſiſtere; ita quidem, vt quo magis ſunt perfectæ, eo etiam euidentius trinitate decorentur. Principio itaque numeros conſiderantibus nobis, quatenus ſunt à materia ſeparati, illud ſeſe offert conſiderandum, quod ſi aliqua in ipſis perfectio reperitur, & excellentia, illa debet ad vnum aliquem referri, & terminari, ita vt ille numerus ſit omnium perfectiſſimus, & norma reliquorum. Nam ſublato hoc primo, & principi, fruſtra in numeris quæratur vlla nobilitas, aut præſtantia. At vero hæc numerica perfectio ſumma, & prima omnium, non eſt ponenda in numero omnium maximo, non enim talis reperiri poteſt. Nam quocunque dato numero, adhuc maior excogitari poteſt, addita per intellectum vnitate. Neque dicetur eſſe in numero omnium medio. Sublato enim maximo, & medius tollitur. Relinquitur ergo, vt poſtquam nullus eſt maximus numerus, nullusque medius omnium, vel dicamus numerum, qua numerus eſt, nullam in ſe perfectionem admittere (quod certè dicendum non eſt) aut certè primam perfectionem, & omnium maximam in primo reperiri numero; in illo ſcilicet, numero, qui aliorum eſt origo, principium & cauſſa. Secundo conſiderandum venit, Pythagoræos diuiſiſſe ſumma cum ratione numeros, in duas claſſes. Alij enim ſunt pares, impares alij. In vniuerſum autem numerus impar perfectior habitus eſt pari, atque nobilior; vnde & Virgilius cecinit Deum illo gaudere. Iure autem dicitur nobilior impar. Etenim Par, cum æque in duo æqualia diuidi poſſit, impotentiam quandam præſefert, inopiam, & receſſum à perfecto, quaſi corruptibile ſit quoddam. At impar cum vno abundet, mediumque illius ſit vnum, vnum autem ſit atomon, & indiuiſſibile, ideo videtur aſſimilari impar ipſe rebus incorporeis, & incorruptibilibus. Nam propter tale medium indiuiſſibile, numerus Impar quaſi quoddam vinculum ſui ipſius intra ſe poſſidet, quo incorruptibilis, & indiſſolubilis eſſe videtur. Præterea inquiunt parium numerorum humanam laudem eſſe; atque moralem; quatenus in eorum partitione iuſta vtrinque fit diſtributio: Imparium autem ſacratior eſt laus, atque Diuina. Siquidem iuſtitia in ipſo pari quaſi diſſoluta eſt, nec vllum habet cardinem, quo innitatur. At in ipſo impari ſemper vnum eſt medium, quaſi centrum, atque numen, quo æqua diſtributio regitur, & ad quod quaſi ad finem refertur. Propterea Pythagorici cum induxiſſent tanquam initia rerum omnium decem coniugationes, vel oppoſitiones, vnam formarum, habituum, & bonorum; alteram priuationum, & malorum; parem quidem numerum inter mala reponebat, imparem autem inter bona. His ita conſtitutis, ſi numerorum maxima perfectio in primo omnium conſiſtit, qui eſt veluti origo cæterorum, in vniuerſum autem numerus impar nobilior eſt pari, & excellentior, conſtat numerum illum fore omnium perfectiſſimum, & excellentiſſimũ, qui omnium imparium primus ſit, & minimus. Talis autem ternarius eſt. Vnum enim numerus non eſt. Binarius autem par numerus eſt, prima diuiſio, & caſus primus ab vno. Ternarius autem eſt primus impar, & primus reditus ad vnum. Quare erit & binario, & cæteris omnibus perfectior. Accedit

Petrus Bũgus De Ternario.

cedit & illud, quod Ternarius binarium comprehendit, non ab illo comprehenditur,& ideo perfectior. Quæ eadem ratio,aliter etiam ternarij perfectionem, & parem numerum eſſe imperfectiorem impari. Primus enim impar in ſe continet primum parem,non tamen è contra primus Par, imparem primum. Hinc iure factum eſt, vt cum primus impar numerus ſit omnium perfectiſſimus,nempe Ternarius. omnium etiam nationum uſus obtinuerit,vt de ipſo primum diceretur omne. De vno enim vnum dicimus; de duobus Ambo; non omne. at de tribus dicimus omne, vt Ariſtoteles notauit.Hinc etiam factum eſt, vt in ſacrificijs non modo Ethnici veteres, verum & Chriſticoli vti conſueuerint; vt copioſè monſtrauit Bungus noſter in libro de Ternario. Hæc illa ſunt, quæ dixiſſe volui de Ternarii dignitate, ſeorſum à rebus Phyſicis conſiderati. Nunc eadem eſt ſententia confirmanda ex rebus ipſis, quibus ipſe Ternarius imprimitur; oſtendendumque res omnes in ternario quodam numero ſuam perfectionem obtinere,vt hinc appareat illum ad omnia ſe extendere,omnia penetrare,& iure omne nuncupari.Primum itaque ſubſtantias percurremus,deinde & cętera prædicamenta ſigillatim;oſtendentes prædicamentum quodlibet hac trinitate perfici. Antequam autem incipio,illud volo vos cõſiderare,quod prædicamenta ipſa,antequã diuidantur in decem,prius in Trinitate vniuntur.Cum enim ſub Ente contineantur,quod in illa deſcendit,ideo & tripli ci illa proprietate copulantur, Entis propria. Sunt enim entis Paſſiones Vnum,Verum,Bonum;quæ cum ab eo nunquam ſeparentur,in vnoquoq; etiam prædicamento reperiri neceſſe eſt. Quare Prædicamentum quodlibet, ſicuti eſt ens, ita etiam erit Vnum, Verum, Bonum, & ex conſequenti Trinitate ornatum. Sed ipſa iam conſideremus Prædicamenta ſigillatim,à ſubſtantia exordientes. Ecce ſubſtantia ipſa latiſſimè ſumpta in tres diuiditur;Alia enim eſt immaterialis penitus,vt Deus & ſeparatę Mentes.Alia materialis incorruptibilis,vt Cœlum; Tertia materialis corruptibilis; hæc inferiora. Quod ſi de ſolis immaterialibus loquamur,hæ tres ſunt,Æterna penitus,& immobilis;omninoque à materia ſegregata;Deus ipſe.Non æterna,immortalis,& materiæ aſſiſtens,non informans,vt intelligentiæ. Non æterna,immortalis,& materiam informans,vt Anima rationalis. Quod ſi de ſolo Deo loquamur, ipſe eſt Trinus, & Vnus.

1. De Cę. li. 1.

At ſi de corporeis tantum,materialibuſque ſubſtantiis loquimur,tres illæ erunt. Immortalis, & immobilis, Cęlum Empyreum; Immortalis, & mobilis,orbes cęlorum,qui mouentur. Mortalis mobilis;cuncta inferiora. Mortalis autem immobilis non reperitur: implicat enim eſſe immobile,& caducum. At ſi de ſolis generabilibus,corruptibilibuſque ſubſtantiis ſermo habeatur;Ecce,generationis Principia tria ſunt. Materia,Forma,Priuatio In genito Priuatio quidem non remanet,ſed adueniente forma recedit. Ipſum tamen compoſitum tertia quædam eſt entitas, tertiaque ſubſtantia. Triplex ergo ſubſtantia; Materia, Forma, Compoſitum. SITIC. Videris aſſumere gratis, quod compoſitum ſit tertia entitas. INCLVS. Facile eſt illud comprobare. Materia enim,& Forma cum ſint cauſſæ compoſiti,niſi compoſitum ſit aliquid aliud ab ipſis,ſequeretur idem eſſe cauſſam ſui ipſius.

1. Phyſ. 54.

ſius: Rurſus compoſitæ ipſæ ſubſtantiæ ſunt in triplici differentia. Elementa, Mixta Similaria, Mixta diſſimilaria, Sola Diſſimilaria ſunt Animata. Ideo triplex Anima. Vegetatiua Plantarum. Senſitiua Animalium; Intellectiua Hominis. Vegetatiuæ tres ſunt pręcipue facultates, & functiones, generandi, nutriendi, & augumentandi. Senſitiuæ tres quoque, ſenſus, motus animalis, & motus vitalis, vt recte Medici ſentiunt. Rationalis adhuc tres. Intellectus, memoria fœcunda, Voluntas. In Animalibus perfectis tres ſunt præcipue partes, quibus vniuerſum regitur; Iecur, cor, cerebrum. Triplici tandem medio intrinſecus aſſumpto conſeruantur; Cibo, Potu, & aere inſpirato. 2. Animę 28.

Propria corporis naturalis affectio eſt motus; Definitur enim Natura quod ſit Principium motus, & quietis. Hic igitur motus Triplex eſt. Localis, Alterationis, & Augumentationis. Triplex & oppoſita Quies. Quod ſi de Locali tantummodo loquamur; ille Triplex rurſum: Surſum, Deorſum, & in Orbem. 2. Phyſ. 4. 2. Cęli. 10.

Quare & triplex quies; Quies deorſum grauium; ſurſum leuium, circa centrum vero cęlorum, ita vt nunquam ab eodem loco diſcedant, & ſi continuo moueantur. Hic enim quieſcendi modus ſolis cæleſtibus corporibus naturaliter competit. Cætera enim vel mutant locum dum mouentur, vt grauia, & leuia; vel non mouentur naturaliter, vt rota ferrea in orbem mota. Hęc enim quieſcit in eodem loco, etiam ſi moueatur, ſed illa quies non eſt ei naturalis. Nunc de quantitate dicamus.

Triplex eſt Quantitas. Diſcreta, Continua ſucceſſiua, Continua Permanens. Diſcreta Numerus eſt. Qui vel eſt Numerus numerans, vel Numerus numeratus. Numerus numerans ille dicitur, qui à materia ſegregatus ſola mente concipitur. De hoc ſatis dictum. Numerus numeratus ſunt res ipſæ diſcretæ; de quo numero nihil eſt dicendum. Non enim res ipſę numeratæ per numerum vllam nouam eſſentiam, aut ſubſtantiam conficiunt naturalem, diſtinctam ab ipſis rebus componentibus. Non enim aceruus tritici, aliud quiddam eſt quam ipſa grana tritici. Quare ad continuam quantitatem ſucceſſiuam accedamus.

Hæc Triplex eſt. Vna quidem, quæ à nonnullis imaginaria vocatur; cuiuſmodi fluxus ille erat ante mundum cōditum, eſtque ſpatium quoddam fluens, formamque tribuens materiali tempori, Hoc autem neque accelerari, neque retardari poteſt. Alia vero eſt Tempus ipſum Vniuerſale, quod menſura eſt motus primi mobilis, cæterorum motuum norma. Tertia vero eſt cuilibet motui propria.

Tres etiam ſunt menſuræ rerum. Æternitas, quæ ſoli Deo competit. Æuum quo menſurantur ea, quæ cum principium habuerint, finem nunquam ſunt habitura, vt Angeli; Tertia vero Tempus eſt, quo caduca menſurantur; ut Homo, Equus, Lapis.

Quantitas continua permanēs Triplex; Linea, Superficies. Corpus. Ideo & dimenſiones Tres. Longitudo, Latitudo, Profunditas. Præter has dimenſiones non eſt reperire quartam. Quod ex eo ſatis liquet, quod ex fluxu imperfecti cernimus fieri tranſitum ad perfectius. Vt ex fluxu puncti fit linea, 1. Cęli. c. 1.

nea ex fluxu lineæ ſuperficies; & ex fluxu ſuperficiei corpus. At ex fluxu corporis non aliud fit, quam corpus. Conſtat ergo corpus perfectum eſſe, nec habere perfectius. Corpus autem tribus tantummodo præditum eſt dimenſionibus dictis. Non ergo quicquam reperire eſt, quod quartam habeat. Perfectio ergo hic quoque in Trinitate conſiſtit.

Porro, antequam finiam, illud addam, quod ſicuti ſe habet punctum in linea, ita linea in ſuperficie, & in corpore ſuperficies, & in tempore inſtãs, & nunc. Quare ſicuti punctum non eſt magnitudo, ſed aliquid magnitudinis, permanentis, ita inſtans non eſt tempus, ſed aliquid temporis; & ſic de cæteris. Quare quæ de puncto reſpectu lineæ dicentur, eadem de linea reſpectu ſuperficiei, de hac reſpectu corporis, & de momento reſpectu temporis erunt intelligenda.

Punctum ergo quamuis vnicum ſit, & inſectile, ratione tamen trinum, reperitur. Punctum enim, quod in medio conſideratur lineę, unius quidem partis eſt finis, alterius autem initium, totius autem medium. Eiuſdem ergo tria effecta. Vnam lineæ partem terminare, alteram inchoaere, vtramque continuare. Quare & in momento idem eſt intelligendum. Nam in tempore tria ſpatia conſiderantur, ſiue triplici ratione conſideratur; Vt præteritum, & quod iam nõ eſt, cuius finis eſt Nunc. Vt futurum, cuius principiũ eſt Nũc; & vt præſens, quod ipſum eſt Nũc & inſtans. Sic de linea, & ſuperficie dicendum. Hæc ergo omnia, quamuis ſecundum hanc conſiderationem ſint indiuiſibilia, Trina tamen ſunt quodammodo.

De qualitate autem locuturus, de illa prius agam, quæ lineas, & ſuperficies conſequitur, de quibus nunc locutus ſum. Ea vero eſt figura ipſa. *Plana* quidem, quæ lineis; ſolida, quæ ſuperficiebus terminatur. Inter Figuras planas conſtat circulum omnium conſenſu principem locum tenere. De hoc prius verba faciam. Hæc igitur figura circularis, ſicuti perfectiſſima eſt, ita in ſimpliciſſima quadam Trinitate conſiſtit. Conſtituitur enim ex vna ſimplici linea, ex vno ſimplici centro, & ex vna area ſimpliciſſima. Area enim circuli perfecti, vndique ſimilis eſt ſibi, vndique ęqualis, & eadem prorſus; vt pote illa à cuius centro, omnes lineæ ductæ ad circunferẽtiam ſunt æquales; Talis autem areæ vnitas, & omnimoda æqualitas nulli alteri figuræ competit. Perfectiſſima ergo eſt Trinitas figuræ circularis, quia etiam ex tribus ſimpliciſſimis rebus conſtituta. Aliarum autem circularium, quæ adeo non ſunt perfectæ, Trinitas tantum ab hac ſimplici Triade degenerabit, quantum ipſæ à perfecto circulo defecerint. Iam ad recti lineas accedamus.

Cum hæ ex angulis, & lateribus conſtent, ſi aliqua in illis perfectio reperitur ſumma, & aliarum regula, hæc non in illa figura conſiſtet, quę pluribus angulis eſt prædita.

Hec enim non datur, cum angulorum numerus in infinitum augeri poſſit. Erit ergo Figura perfectiſſima omnium, illa, quæ prima ſit, & ſimplicíſsima. Talis autem eſt Trigonus, tribus lineis, tribuſque angulis conſtans. Non enim poteſt ex paucioribus confici figura vlla plana. Et certè ſi quis proprietates conſideret Trianguli, hæ huic ſententiæ ſummopere fauent.

Digitized by Google

uent. Videtur enim hæc figura aſſimilari Æterno Deo. Sicuti enim Deus à nullo eſt factus, omnis compoſitionis expers, & immortalis, ita Triangulus non ex alia figura componitur, ſed ſimpliciſſimus eſt omnino, & immortalis. Quomodocunque enim ipſe diuidatur, ſemper ex ipſa ſectione triangulus reſultabit ſiue diuiſio ad angulum fiat, ſiue vtrinque diuidatur latus. Quod quidem in alijs figuris minimè cernitur, ſed quælibet figura poteſt ex ſectione in alias diuerſarum ſpecierum degenerare. Solus Tetragonus, vt vicinior Trigono, poteſt in duos Tetragonos reſolui, poteſt & in duos Trigonos, inſuper & in Trigonum & Pentagonum. Cæteræ omnes ſectæ in alias degenerant. Solus Trigonus neceſſario in alium Trigonum reſoluitur. Hinc nihil mirum ſi Trinus aſpectus aſtrorum felix, fauſtuſque habeatur. Hinc nihil mirum, ſi magi quoque ipſi Triangulum æquilaterum diuinitatis indicium eſſe aſſerant, vtpote quod ſibi æquale difficulter moueatur, & ad malum declinare non poſſit.

Sequuntur Figuræ ſolidorum, quarum præſtantiſſimam eſſe ſphæricam, nemo neſcit. In hac autem quomodo Trinitas mirificè refulgeat intelligitur ex ijs, quæ de circulo diximus. At ſi de ſolidis rectilineis loquamur, iam conſtat eam perfectiorem fore exiſtimandam, quæ prima ſit omnium, & ſimpliciſſima. Talis autem eſt cubus, qui quatuor Trigonalibus ſuperficiebus inuicem compactis terminatur.

SITIC. Cubus propriè eſt quadratum corpus, ſex tetragonis ſuperficiebus terminatum. INCLVS. Frequentius quidem cubi nomen de tali ſolido vſurpatur; ſed nos de antea deſcripto cubo, loquimur, qui Pyramidis formam habet, quatuor angulis contentum, quorum tres baſis oſtentat, quartus uero in ipſius figuræ ſummitate eſt poſitus. Hoc ſolidum aio ego eſſe perfectiſſimum omnium, ſicut & ſimpliciſſimum, & primũ. Hoc ex triangulis congtuentatur, & undique in eo apparet trinitas. Perfectio autem ipſius ex ijs colligitur, quæ de triangulo dicta ſunt. Non enim ex alijs ſolidis conſtituitur, neque diuidi poteſt, quin alter cubus remaneat, ita vt rei cuiuſdem ingenerabilis, & incorruptibilis ſpeciem referre videatur. Corpus etiam, quod huiuſmodi figura eſt præditum, difficillime mouetur, vt hac quoque ratione neſcio quid uideatur habere Diuini.

PROVID. Memini aliquando vidiſſe in Impreſijs Camilli Camillij neſcio quid tale. Quædam enim in eo libro reperitur Impreſia huiuſmodi. Cubus quoddam huiuſmodi pingitur, Græcè τετράδιον, ventis vtrinque flantibus. Dictio vero addita, quam Itali, Motto, uocant, eſt huiuſmodi. Vndique fruſtra. Quo ſymbolo Auctor ille innuebat, ſe inuidorum hominum machinas nihili facere.

INCLVS. Propterea ſapientiſſimi illi Ægyptij huius ſolidæ figuræ Hieroſoglyphicum fecerunt ſupremum numen, vt videre eſt apud Pierium Valerianum, libro Trigeſimonono. Rogo vos vt mecum illum videatis. Ego cæteras qualitatis ſpecies percurram quæ ſuperſunt. Sunt autem tres. Habitus, & Diſpoſitio; Naturalis potentia, uel impotentia; Paſſio vel Paſſibilis qualitas. Quas omnes Trinitate perfici facile patebit, ſi

prius conſiderauerimus, qua ratione ab Ariſtotele diſtinguantur. Conſiderandum ergo, quod eadem qualitas numero, poteſt ſub illis omnibus ſpeciebus collocari. Nam idem calor poteſt eſſe habitus ſi tenacius hæreat, diſpoſitio ſi leuiter: naturalis potentia quatenus eſt calefaciendi principium; Paſſio vel Paſſibilis qualitas quatenus prouenit ex aliqua paſſione ſubiecti, aut aliunde inducitur. Hi tamen modi quia diuerſi ſunt, diuerſas etiam ſpecies conſtituunt qualitatis in ſubiecto exiſtentis. Vnde Ariſtoteles in initio Prædicamenti qualitatis cum dixiſſet qualitatem illam eſſe ſecundum quam quales quidam eſſe dicuntur, ſic indicauit ſe de qualitate acturum, quatenus ſubiectum afficit. Quare & à diuerſis modis afficiendi ſubiectum, ſpecies deſumpſit qualitatis. Cum itaque omnes illi modi in eo conueniant, quod ſunt qualitates, & accidentia; accidentis autem eſſentia realiter ſit diſtincta ab eius inhærentia, ſaltem actuali, ut Scotiſtæ docent, differant autem penes illos modos, quos Ariſtoteles recenſuit, iam conſtat vnamquanque ſpecierum illarum in ſe continere Trinitatem, immo & perfici Trinitate. Primò enim ſe ſe offert eſſentia illius. Secundo Inhærentia eiuſdem actualis. Tertio modus ille per quem in hac, vel in illa ſpecie conſtituitur qualitatis. Qui modus in Habitu eſt eſſe difficile mobilis, in Naturali Potẽtia eſſe principium agendi; in Paſſione ab alio pendere in eſſe. Eſt ergo Trinitas in qualibet ſpecie qualitatis.

In Relatione conſpicua eſt eadem Trinitas. Ad Relationem enim tria concurrunt neceſſario. Fundamentum, Terminus, & ipſe Reſpectus, ſeu Relationis eſſentia.

In Prædicamento Vbi apparet Ternarius manifeſtè. Locus enim eſt ſuperficies corporis continentis. Hæc non ſtat ſine ſuperficie contenti; Inſuper requiritur & contactus corporum eorundem, vnioque illarum ſuperficierum.

Actio, alia eſt actio formalis, qua denominatur agens, alia actio acta, quę eſt forma introducta in paſſum. Nec vna ſine alia conſiſtit. Reperitur & tertium ſcilicet influxus ipſe agentis in paſſum, per quem paulatim inducitur forma. Hic ergo Trinum adeſt.

In Paſſione conſideratur forma ipſa introducta; Fluxus eiuſdem, quo augetur (alioquin ſubiectum non pateretur amplius) & dependentia ab agente. Hic ergo Ternarius.

In Quando iam patet dari Præteritum, Præſens, & Futurum. Situs ad Prædicamentum relationis pertinet, ut monuit Ariſtoteles, cap. 10. Prædicamentorum.

In Habitu tria ſunt conſpicua. Vt eſſe calceatum conſtituitur ex pede, calceo, & eorundem vnione, quæ tria ſunt. Videte Domini quomodo in omnibus, & ſingulis Prædicamentis Ternarius refulgeat.

1. *Cæli* 1. His omnibus accedit argumentum illud, quod ex Pythagoreorum doctrina retulit Ariſtoteles. Tria, inquit, ſunt omnia, & ter omnino. Nam principium, medium, & finis numerum illum habent, qui ipſius eſt omnis; hæc autem eum qui ipſius eſt Trinitatis. Quare ſi nihil perfectum eſſe

Digitized by Google

eſſe poteſt, quod Principio careat, Medio, & Fine, omnis perfectio in Ternario conſiſtet. ANONYM. Deus ipſe Principium & Finem non habet, & tamen Perfectiſſimus eſt.

INCLVS. Immo Deus eſt Principium Medium, & Finis rerum omnium. Immo, inquam, neque illa tria illi deſunt, ſed inſunt ei eminentiſſimè. Eſt enim ſui Principium, quia eſt à ſe. Eſt medium ſui, quia eſt in ſe. Eſt Finis ſui, quia ad ſe. PROVID. Nunquam tam iucundam audiui doctrinam.

INCLVS. Nunc pauca in eandem addamus ſententiam præcipuas diſciplinas, quibus homo decoratur, percurrentes. Quod attinet ad Grammaticam, Hebrei tres tantummodo faciunt orationis partes, Scem, Poal, & Millah. Nomen, Verbum, Dictio. Apud eoſdem verba perfecta, immo & imperfecta tribus litteris conſtant, quam radicem vocant.

In Venerando illo Nomine, quod proferre verebantur, quo ſummum Deum ſignificabant, Iehouah, & ſi quatuor litteræ continentur, tres ſunt tamen non plures, eo quod bis vna repetitur, nempe ה He. Sunt igitur in eo tres ſolummodo formæ litterarum Iod, He, Vau. In Iod oſtenditur Pater, quia Iod eſt fere Principium, & origo litterarum omnium. He, cum bis ingrediatur verbum Haiah, quod eſt, fuit, ſpiritumque multum requirat ad ſui pronunciationem, in quo vita conſiſtit, Filium denotat à Patre genitum. Vau quæ apud Hebræos eſt copula, Almum ſpiritum ſignat, qui ab vtroque procedit.

In alijs quoque linguis videtur Ternarius honorari. Tres ſunt Perſonæ, non plures. Tria Genera, Maſculinum, Fœmininum, Neutrum. Tres modi. Poſitiuus, Comparatiuus, Superlatiuus. In Graia apparet & in numeris, eo quod illa vtitur Singulari, Duali, & Plurali.

Rhetorica tribus modis acquiritur Natura, Arte, Exercitatione. Tria tractat genera cauſſarum, Demonſtratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale.

Muſica circa tres ſonos verſatur. Acutum, Grauem, Medium, Logica, cuius obiectum, ſunt operationes intellectus, triplex quodammodo obiectum habet. Sunt enim illæ tres. Simplex Apprehenſio, Enunciatio, Ratiocinatio. Ideo & horum trium regulas docet. Propoſitiones tribus conſtant, Prędicato, Subiecto, & copula. Ratiocinatio, ſeu Syllogiſmus, Tribus propoſitionibus conſtat, Maiori, Minori, Conſequentia. Tribus Terminis, Maiori, medio, Minori. Triplex etiam eſt Syllogiſmus, Sophiſticus, Dialecticus, ſiue Probabilis, & Demonſtratiuus.

Philoſophia Triplex, Naturalis, Moralis, Diuina. Naturalis tria conſiderat, cauſſas rerum, Naturas rerum, Proprietates earundem. Moralis diuiditur in Monaſticam, Oeconomicam, Politicam. Monaſtica tripliciter hominem rectè parat, erga Deum, erga proximum, erga ſeipſum. Oeconomica circa tria verſatur circa Parentes, circa ſeruos, & agros. In Politica tria rectè diſponuntur. Magiſtratus; qui regunt; Milites qui tuentur; & cæteri, qui tantummodo parent, & reguntur. Diuina tandem circa tres illas Entis Paſſiones verſatur, vnum, verum, & bonum.

L 2 Medicina

Digitized by Google

Medicina tria contemplatur corpus ſanum, Ægrum, Neutrum. In Ægro tria conſiderat, Morbi naturam, Cauſſas, Symptomata. Tribus vtitur fontibus remediorum, Diæta, Pharmacia, Chirurgia. Tria conſiderat morborum genera, Intemperiem, vitiatam conformationem, & ſolutionem continui. Tres omnine ſubſtantias contemplatur, Humida, Solida, Impetum facientia, vnde & tria conſtituit febrium genera. Tria genera cauſſarum efficientium conſiderat, Procatharcticas, Antecedētes, & Continentes. Tres ſpiritus, Animales, Vitales, Implantati. Tres denique ſunt Mathematicæ ſcientiæ, Geometria Arithmetica, Aſtrologia. Qui plura cupit, is videat Petrum Bungum Bergomatem, in Ternario. Plurima reperiet ibi, quæ ego non attuli; ſicuti ego quoque in illud potiſſimum incubui, vt nouas rationes, ab alijſque prętermiſſas, vel ignoratas afferrem. Cum itaque tot modis pateat Ternarij numeri perfectio, & immenſitas, ſintque res omnes in eo numero perfectę, quid mirum ſi Homerus doctrinarum parens, cum vellet beatiſſimos Nauſicaæ Parentes appellare, eos ter beatos dixerit? cum in Ternario omnis rerum perfectio conſiſtat? At quanto magis nos in hac opinione, immo veriſſima ſententia perſiſtere debemus, qui non vt Ethnicus ille Philoſophus hanc veritatem cognouimus, verum etiam illud optime nouimus (quod tamen ille ignorauit) nempe nihil eſſe perfectum, neque alium eſſe perfectionis fontem, niſi illum, qui cum vnus ſit ſimpliciſſimus Deus, vna etiam eſt Trinus?

SITIC. Summa cum animi mei voluptate, Doctiſſimum hunc tuum diſcurſum audiui Incluſe, tibique gratias ago, quod Principatum meum, huncque venerabilem conſeſſum tanto honore, tamque iucunda Doctrina dignaueris. Ego te iamdiu noui in omni ſcientiarum, & virtutum genere perfectum; poſthac appellabo te ter doctum, Ter Maximum, Terque Beatum.

ODYS-

ODISSEÆ

Sexto, verſu CLXXX.

Tibi vero Dij tanta dent, quanta animo concupiſcis,
Maritum, & familiam, & concordiam præbeant
Bonam. Non enim eo quicquam præſtantius, & melius
Quam cum concordes conſilijs rem familiarem adminiſtrant
Vir atque coniux.

Concordiam Mariti, & Vxoris in adminiſtranda re familiari certum eſſe ſignum eorundem Felicitatis, neque quicquam eſſe illa Praſtantius.

COLLOQVIVM XXVI.

PROVIDVS.

SI quis accurate conſideret, menteque reuoluat, qualis quantaque eſſet Vlyſſis calamitas, & paupertas hoc loco, quantam Prudentiam, & Maieſtatem ipſe in Nauſicaa Alcinoi filia obſeruauerit, is faciſlimè cognoſcet Vlyſſem, Poetamque noſtrum hoc loco totas ingenij ſui uires in illud collocaſſe, vt bonum aliquod eximium, admirandum, rarum, Diuinum eidem Nauſicaæ præcaretur, quo facilius illa ad miſerationem mota Vlyſſis indigentiæ ſuccurreret, & inſuper cognoſceret illud eſſe Vlyſſis ingenium, quod optimè ſciret quanta Reginæ prudenti, pulcherrimæ, clementiſſimæ deberentur bona. Et tamen nil aliud fere illi bene precatur, niſi Maritum, Familiam, & Concordiam bonam, addens nihil inueniri poſſe præſtantius, nihil deſiderabilius, quam cum vir, & coniux rem familiarem concorditer adminiſtrant. SITIC. Equidem non negauerim huiuſmodi concordiam magnum aliquod eſſe bonum; at quod non potuerit Vlyſſes maius Nauſicaæ precari, & paucioribus verbis, non ita facile conceſſerim. PROVID. Qualenam obſecro? SITIC. Felicitatem. PROVID. Putas ne huiuſmodi concordiam bonam poſſe ſine Felicitate conſiſtere? SITIC. Maximopere diſtare cenſeo. PROVID. Ego vero ſicuti non negauerim Vlyſſem Felicitatem Nauſicaæ benè precantem, breuiori oratione æquale bonum exprimere potuiſſe, ita etiam aio haud minus ipſa Felicitate ſignificaſſe per hanc concordiam, elegantius autem, & iucundius illam Nauſicææ oſtendiſſe, & declaraſſe verbis illis, & carminibus, quę audiuimus modo poſtremo loco. SITIC. Quid audio? Tu ergo exiſtimas huiuſmodi Concordiam, idem eſſe cum Felicitate, quæ maximum eſt bonorum omnium, & finis vltimus humanarum actionum?

Digitized by Google

Ariſt. 1. PROVID. Ego ita cenſeo. Bonam Concordiam exiſtere non poſſe
Ethic. c. 1. inter virum, & vxorem ſine eorundem Felicitate; ita vt ego ſtatuam eos
4. 7. ipſos ex neceſſitate omnibus eſſe virtutibus præditos, aut non benè Concordes. SITIC. Hoc ipſum eſt, de quo interrogabam. Paradoxum quoddam hoc videtur. Confido tamen te hanc tuam ſententiam validè confirmaturum. Scio enim quanto cum fundamento huiuſmodi tuas aſſertiones in medium proponere ſolitus ſis. PROVID. Vis ne me id in præſentia præſtare? SITIC. Nihil mihi charius contingere poſſet.

Cap 6. PROVID. Exordiar ergo ab ijs, quæ docet Ariſtoteles in Nono Ethicorum, dicens Concordiam ad Amicitiam pertinere: non eſſe idem cum conſenſu, quia & inter ignotos conſenſus eſſe poteſt, concordia minimè, quia neque amicitia. Neque etiam concordia eorum eſt, qui de eadem re idem ſentiunt, non enim eos propriè concordes vocamus, qui idem de animæ immortalitate ſentiunt. Sed dicimus illos eſſe concordes, qui de rebus gerendis, deque commodis, & vtilitatibus vnum & idem ſentiunt, & exequi ſtatuunt. Quare propriè dicta concordia actionem reſpicit, & ad illam dirigitur. Vnde definiri poteſt, quod ſit conſenſus plurium ad vnum aliquid agendum. Hinc apparet concordiam conſequi ad Amicitiam ipſam, & quodammodo idem eſſe cum ea, ut Ariſtoteles docuit.
9. Ethic. 6 Vnde & qualis eſt amicitia ipſa, talis & concordia eſſe videtur. Cumque amicitia alia ſit bonorum hominum, cuius finis eſt honeſtum, alia improborum, cuius finis eſt bonum apparens, ideo & Ariſtoteles duplicem concordiam facit; vnam quidem inter bonos, quæ bona eſt, aliam & impro-
8. Ethic. 3 borum, quæ praua. Boni autem dicuntur illi, qui Moralibus virtutibus ſunt præditi; ſicuti improbi, qui vitijs ſunt affecti. Nonne? SITIC. Prorſus. PROVID. Concordia ergo bona inter illos tantum conſiſtere poterit, qui virtutibus moralibus ſunt decorati. Hi vero ex neceſſitate ſecundum virtutem operantur, quæ eſt Felicitas. Sequitur ergo vt quicunque hac Concordia bona coniuncti ſunt, ij etiam neceſſario ſint felices. Vlyſſes ergo dum Nauſicaæ precaretur bonam cum Marito Concordiam, ſimul & ſemel Felicitatem precabatur. Atque hoc ipſum eſt, quod mihi erat oſtendendum. SITIC. Non negauerim te probabiliter ſatis diſſeruiſſe de re huiuſcemodi. Veruntamen ſi Vlyſſes per Concordiam bonam, illam quæ cum virtute conſiſtit præciſè intellexiſſet, vt tu interpretaris, nihil profuiſſet ei magis ad Nauſicaam exorandam, quam ſi nudè Felicitatem ei præcatus eſſet. Neceſſe ergo Vlyſſem per hanc concordiam bonam, aliquam aliam proprietatem intellexiſſe quam iſtam, quod virtutes conſequatur. PROVID. Quamnam obſecro, diceres tu illum ſignificaſſe? SITIC. Hanc; quod perennis ſit, & ſtabilis, firmaque, & quæ in cunctis actionibus illorum reperiatur. Speciosa enim eſt, & auditu lucunda huiuſmodi conditio Concordiæ, ita vt valde hæc potuerit animum mouere Nauſicaæ, ad auxiliandum Vlyſſi deprecanti.

PROVID. Recte quidem ſentis in hac parte. At dicas mihi quæſo. Putas ne vllam concordiam ſtabilem, atque Perpetuam eſſe poſſe, quæ non cum virtute ſit coniuncta? SITIC. Quid ni?

PROVID. Falleris ſummopere; & vix crediderim te ſerio locutum
eſſe. Nonne apud Ariſtotelem eſt euidentiſſimum ſolam illam amici-
tiam, ſolam illam Concordiam firmam eſſe; minimeque caſum timere,
quæ Bonorum eſt hominum, & habet Honeſtum pro fine; cæteras autem
inſtabiles eſſe, & facile diſſolubiles? Sed quid Ariſtotelem memoro?
cum hæc fere omnium ſapientum fuerit ſententia? Equidem Ariſtoteles Cap. 2.
in octauo Ethicorum ex obiecti amicitiæ varietate triplicem colligit
amicitiæ ſpeciem. Vnam quidem, quæ eſt propter honeſtatem, alteram
quæ propter vtilitatem, & Tertiam, quæ ob voluptatem conſiſtit. Poſte-
riores duas non proprie amicitias vocat, ſed per accidens, oſtenditque
valde eſſe inconſtantes. Nam qui aliquem amat, niſi quia commodum,
aut voluptatem percipit, ab eo, quem amat, deſinit amare, quamprimum
vtilitas, aut voluptas ceſſat. Vtilitatis cauſſa ſenes amant, & omnes auari,
voluptatis cauſſa plerique alij; omnes tamen inconſtanter. Vbi enim duo
auari inter ſe quomodocunque amicitiam contraxerint, cum uterque eo-
rum utilitatem propriam pro fine habeat, hinc fit ut cito amicitia concor-
diaque ſoluatur, eo quod in emolumentis vterque eorum ſe potiorem ve-
lit; iis autem in rebus, quæ laborem, ſumptuſque deſiderant, ab officio
deſiſtant. Quæ quoniam ſibi quiſque exoptat, proximum quenque obſer- 9. Ethic. 6
uat, & arcet, & facile perit quod erat commune cum nemo illud tueatur.
Hæc & in amicitia voluptatis contingunt. Idem enim uoluptas poteſt in
voluptuoſis, quod & apud auaros vtile. Accedit uero & illud, quod non
ſemper voluptas delectare videtur, ſed tantum in adoleſcentia, & iuuen- 8. Ethic. 3
tute. At quia mutata ætate, alia ſequuntur, quæ delectent, ideo & amicitia 8. Ethic. 4
ipſa vna cum uoluptate deponitur, cuius repentina eſt mutatio. Hæ itaque
amicitiæ per accidens, ſolent, inquit Philoſophus, exerceri a malis erga
malos, & bonis erga malos. At amicitia cuius finis eſt Honeſtum, ſola
firma eſt, & conſtans, minimeque caſum timens. Hæc propria eſt bono-
rum, & virtutem ipſam conſequitur. Ex quo fit, ut qui talem amicitiam
ſequitur, non quidem alterum amicum diligat vt ab eo commodum ali-
quod, aut uoluptatem capiat, ſed quia illum omni bono dignum cenſet,
idque propter virtutem, qua præditum illum cognoſcit. Perfectiſſima
ergo hæc erit amicitia, qui utri Boni pari virtute præditi inter ſe copulan-
tur. Hi enim vltro, citroque bonis ſe affici volunt, quia ſunt boni. Qui
autem amicos affici bonis cupiunt illorum cauſſa, ij maxime amici haben-
di ſunt. Manebit igitur tandiu horum amicitia, quandiu boni futuri ſunt.
At virtutis manet certa, & ſtabilis poſſeſſio. Quare & talium amicorum
concordia ſtabilis erit, atque perpetua. Per eam enim, quam ipſi ſemper
retinent virtutis conſtantiam, vnum idemque & ipſi ſecum, & cum aliis
ſentiunt, recta enim, & honeſta ſibi ſemper proponunt, quorum commu-
niter cupiditate ducuntur. Iam ergo conſtat ex Ariſtotele, ſolam illam
concordiam bonam eſſe, & ſtabilem, quæ in uirtute fundatur, eſtque cum
Felicitate coniuncta. Hoc ipſum & Seneca confirmauit, inquiens. Solus
ſapiens ſcit amare, ſolus ſapiens eſt amicus. Et Plato in Lyſide. Verum mi-
hi videntur, ait, bonos dicere ſimiles eſſe inuicem, & amicos; Improbos

autem nunquam vel ſibi ipſis, uel inuicem ſimiles eſſe, ſed ſtolidos penitus, & inſtabiles. Et Iſocrates in Parænesi ad Demonicum ait prauorum hominum amicitias breuiſſimo tempore diſſolui, bonorum autem nullo vnquam ſeculo aboleri. SITIC. Iam mihi ſcrupulus omnis ademptus eſt; Teque talem præſtitiſti ô Prouide, qualem ſperabam, doctum ſcilicet, & facilem. ANON. Putas ne ad huiuſcemodi Perennem Concordiam adipiſcendam neceſſarias eſſe virtutes omnes in vtroque amicorum?

PROVID. Abſque dubio. Nam ſublata quacunque illarum, neceſſe erit, ut aliquod extremorum uitiorum inſit uel alteri amicorum, vel vtrique. Si in uno tantum extiterit, iam hic ob diſſimilitudinem hanc nō ſemper
8. Ethic. 8 poterit idem ſentire cum altero. Æqualitas enim, & ſimilitudo quædam eſt amicitia, ut inquit Ariſtoteles; ſimilitudo inquam in moribus. Quare ſicuti vnius uitium facile illam diſſoluet, ita neque inter eos exacta poterit eſſe Concordia. At utroque amicorum peccante in eodem uitio, neque amicitiam, neque Concordiam diu poſſe permanere, ſatis euidenter monſtratum eſt parum antea ex Ariſtotele. INGEN. Adderem ego, quod ſi modo in alicuius uirtutis defectu poſſit diu Concordia perſiſtere, nullo tamen modo id eſſe poſſibile in coniugatis, qui cum totam uitam ſimul degant, uix fieri poteſt quin, uel minima latente diſcordiæ cauſſa, ipſa frequenter non emergat, & in medium ſe proferat. Vnde dicendum ſit coniuges illos, qui bona, perennique concordia fruuntur omnibus etiam eſſe uirtutibus præditos, perfectéq; felices. PROVID. Optimè optimè profecto, & Ingenioſè. Iure ergo dixit Homerus nihil eſſe deſiderabilius bona Mariti, uxoriſque Concordia in re familiari adminiſtranda. Immo, audi Princeps, Ego ſtatuo maius quoddam bonum ſignificaſſe, quam ſi Felicitatem dixiſſet. Quid tibi uidetur? SITIC. Hoc certe uidetur intellectus mei captum tranſcendere; ſed expecto ut hoc quoque doceas. PROVID. Dic mihi, nonne felicitas ſecundum Ariſtotelem, operatio eſt ſecundum uirtutem? SITIC. Nil aliud. PROVID. Sola ergo uirtus ſufficiet ad illam acquirendam. SITIC. Sufficiet quidem, ſed notanda eſt illa concluſio, quæ poſita à nobis fuit in illis quas edidimus, Felicitatem eſſe quidem ſummum bonum, & per ſe bonum & deſiderabile, ſolaque uirtute acquiri poſſe; tamen reddi etiam deſiderabilius acceſſione aliorum bonorum, quæ ipſa intrinſecus non comprehendit, ut docuit Ariſtoteles in Primo Ethic. cap. 7. Sunt autem hæc pulchritudo, Nobilitas, Diuitiæ, Filij. Hæc omnia deſiderabiliorem Felicitatem reddunt, quam ſit ex ſe ipſa, uirtus tamen ea non tribuit. PROVID. Hoc ipſum illud eſt, quod ego uolebam. Vlyſſes enim dicens concordiam bonam Mariti, & Vxoris in re Familiari adminiſtranda maius quiddā ſignificauit ipſa Felicitate. Propterea quod Felicitatem ipſam expreſſit una cum bonis illis extrinſecis, quæ illam reddunt deſiderabiliorem. Maritum enim dicens, amicitiam illam ſignificauit, ad quam tantopere natus eſt Homo, ut prius in eam natum feratur, quam in ciuilem ſocietatem. Quæ Amicitia inſuper neceſſarijſſima eſt,
8. Ethi. 2 digniſſima, vtiliſſimaque in rebus & proſperis, & aduerſis, quamque Natura ipſa peperiſſe videtur, filiorum generandorum, & ſpeciei propagādæ

cauſſa

cauſſa. Hanc enim generationem adeo viſa aſt appetere Natura vt generandi actum ſumma voluptate donarit, quo promptius animalia ad ſpeciem perpetuandam accederent.Hanc igitur ob cauſſam in vnam domum conueniunt Vir,atque Mulier.Neque ob hanc modo,ſed etiam eorum parandorum cauſſa quæ ad vſum vitæ pertinent. Statim enim diſpertita ſunt officia,ſuntque alia Viri,alia Vxoris propria,vt docuit Ariſtoteles in Oeconomicis. Proſunt igitur vterque alteri,ſua in commune conferentes,ob eamq; cauſſam ſuauitas in hac tali Amicitia ineſt, utilitaſque maxima. Quæ ambæ multo magis augentur,ſi virtus acceſſerit.Hęc enim oblectati ſolent ad inuicem.Maximum ergo Mulieri bonum eſt Maritus, ſummopereque deſiderabilis eſt illa Amicitia,quæ Fœlicitatem ipſam reddit deſiderabiliorem.Hoc ergo bonum Vlyſſes Nauſicaę deſiderauit. Addidit & Familiam, nempe liberos.Qui liberi ſi non adſint,certè illa Amicitia multum videtur amittere dignitatis,& ſpecioſitatis.Commune enim bonum ſunt;quod autem commune eſt aliquorum, id omne eos coniungit, & continet. Quare Ariſtoteles id conſiderans in octauo Ethicorum, dixit coniuges liberis carentes facilius diſſociari, eo quod multum roboris, & charitatis aſſumit amicitia coniugalis ex filiorum poſſeſſione. Adde quod in filijs nos videmur quodammodo immortales reddi,qua immortalitate nil magis videtur Natura deſideraſſe.Magnum ergo bonum coniugalis amicitia. Maius ſi adſint Liberi.Maximum ſi inter eos Bona ſit concordia. Hæc enim virtutem perfectam conſequens ſignum eſt euidentiſſimum Felicitatis. Quare ut ad rem redeam,& ſi quis ſola virtute. & operatione ſecundum virtutem Felix eſſe poteſt, deſiderabiliorem tamē ſtatum obtinet ſi ſibi ſimilem vxorem ſit conſequutus,& adhuc magis ſi ex ea filios procrearit.Vere ergo dixit Homerus nihil eſſe præſtantius, nihil melius, quam cum in maxima concordia vir,& vxor rem adminiſtrant Familiarem.TVTVS. Nonne adhuc maius euaderet bonum ſi & facultates,diuitiæque accederent. Cur ergo reticuit illas Vlyſſes? PROVID. Vix fieri poteſt,aut ne vix quidem poteſt, vt ij, qui concorditer, honeſtèque rem familiarem adminiſtrant, ij aliquo indigeant,quod ad rectè,honeſtèque viuendū ſit neceſſarium.Quare qui in honeſta amicitia viuunt coniugali, hi pauperes eſſe nullo modo poſſunt. INCLVS. Veriſſima ſententia, conſona veteri illi ſapientum doctrinæ,quod Concordia res paruæ creſcunt,& è contra diſcordia maximæ dilabuntur. Et Silius Poeta Elegantiſſimè hoc ipſum ſignificauit inquiēs,

Velle, ac nolle ambobus idem, ſociataque læto
Mens æuo, ac paruis diues Concordia rebus.

PROVID. Optimè quidem, & veriſſimè. Quare non erat,quod Homerus ad Nauſicaæ Felicitatem ampliandam diuitias adderet,cum illę in honeſta Concordia contineantur.

ODYS-

ODYSSEÆ

Septimo, verſu L.

Tu vero intro eas, ne quid timeas animo;
Fortis enim vir in omnibus rebus potior exiſtit
Etiam ſi quando aliunde veniat.

De Moralibus Virtutibus agitur, & oſtenditur Fortitudinem inter omnes obtinere Principatum.

COLLOQVIVM XXVII.

ANONYMVS; ET SITICVLOSVS.

SVMMOPERE Videtur hoc loco vates noſter Fortitudinem exaltare, dicens virum Fortem ceteris omnibus eſſe anteferendum in cunctis rebus. Non enim alia ratione videtur hanc protuliſſe ſententiam, niſi quia exiſtimabat Fortitudinē inter alias virtutes obtinere Principatum, & eſſe omniū præſtantiſſimam. Quæ ſententia quia multas difficultates patitur, omneſque virtutes quodammodo videntur inter ſe de primo loco certare, ideo, mihi placuit Lectorem admonere, ne vltra legendo procederet, cupiens, vt de huiuſcemodi materia nos aliquātulum diſſereremus hoc loco. Digna enim res eſt, quæ à doctis viris, quales eſtis vos, diligenter diſcutiatur. TVTVS. Nonne de virtutibus Moralibus intelligis, quæ in actionibus verſantur, quæque appetitum ſenſitiuum perficiunt, illumque reddunt facilem vt Rationi pareat? An & de virtutibus Rationis loqueris, quæ in veritatis cognitione verſantur, & ad Intellectum pertinent? ANON. Proculdubio de Moralibus tantum loquor. TVTVS. Has ego minime puto de Principe loco certare, immo illas arbitror eſſe ſtrictiſſimo Amoris vinculo, inter ſe 6.Ethi 13. connexas, idque ſcio dictum fuiſſe aliquando ab Ariſtotele. ANON. Hoc certe non ignoro mi Tute; neque ita puto illas inter ſe certare, vt litem vllā apud Iudices agant; immo ſingulæ ſingulis libentiſſimè cederent. Attamē negandum non eſt, aliquam illarum inter omnes ita micare, veluti Solem inter Stellas, eſſeque re vera omnium præſtantiſſimam. Hoc illud eſt, quod aio eſſe controuerſum, ea de cauſſa quoniam omnibus mirificè refulgentibus, difficile eſt in eas ita intuitum affigere, vt diſcernamus, cuinam princeps locus debeatur. TVTVS. Si modo vlla eſt inter Morales virtutes differentia, & alicui illarum Princeps locus debetur, certè Prudentiæ ſine controuerſia tribuendus erit, cum ipſa dicatur aliarum regina. ANON. Neque hic de Prudentia intelligo, ſed illam excludo, vt pote quæ non propriè ad partem animæ rationalem per obedientiam, & participationem, vt aliæ virtutes pertineat, ſed potius ad eam, quæ Rationalis eſt per eſſentiam, nē-

pe

pę ad Intellectum, vt ſenſit Ariſtoteles. De hac inſuper intelligendum nolo, propterea quod locum quendam in Homero annotaui, dum illum percurrerem; ad quem vbi Lector noſter peruenerit, ſtatui vos omnes rogare, vt de Prudentia diſſeramus; cum valde locus ille, hanc ipſam tractationem expoſcat. Nunc de cæteris Moralibus virtutibus particularibus agemus, inueſtigantes, quęnam illarum ſit omnium præſtantiſſima. INCLVS. Non po eras Anonyme, materiã vllam proponere, quę mihi placeret magis hac ipſa. Ecquid iucũdius, aut illuſtrius excogitari põt virtutibus ipſis? Quod ſi in illis Principem indagamus, quid magnificentius; aut Regale magis inueſtigari poteſt? Sed vereor ne huiuſmodi diſputatio lõgior futura ſit, quam temporis huius breuitas requirat. Operæprætium enim eſſet prius omnium virtutum Naturas, & differentias enarrare, atque ita ex earundem collatione primam venari. At hoc magni cuiuſdam videtur eſſe laboris, longumque tempus requirere. ANON. Non arbitror quemquam eſſe noſtrum, qui numerum, & naturas non cognoſcat Moralium virtutum, cum hæc Ariſtoteles euidentiſſimè tradiderit in 2. Ethic. cap. 7 Tamen ſi id deſideras, ego tibi breuiter, enarrabo, & in pauca conferam, quæ de harum virtutum natura, & differentijs varijs in locis ſcripta ſunt ab Ariſtotele; ne quicquam hic deſit, quod tractationem hanc noſtram, quam inſtituimus lucidam, & perſpicuam reddat. I N C L V S. Non poſſes rem mihi magis gratam facere. Nonne vides, & cæteras omnes intentos ora tenere, expectantes, vt quamprimum incipias.

ANON. Cũ itaq; virtus Moralis cõſiſtat in illa animæ parte, q̃ rationi paret, & Appetitus eſt ſenſitiuus, erit aliquod ex tribus his; uel Facultas, uel Perturbatio, uel Habitus. Quartum addi non poteſt, Diſpoſitio. Eſt enim 2. Ethic 3
diſpoſitio uia ad Habitum. Via autem à ſuo fine & termino non diſtinguitur, niſi ſecundum magis & minus. Erit ergo aliquid illorum trium. Non eſt autem facultas, neque Perturbatio; quoniam hæc & brutis inſunt, Virtutes autem ſolis competunt Hominibus. Erit ergo Habitus. Habitus inquã talis, qui modum noſtris perturbationibus imponit, illaſque ita componit, vt mediocritatem, non Arithmeticam ſeruent, ſed Geometricam, & reſpectu noſtri. Ideo Definiens Ariſtoteles inquit uirtutem Habitum eſſe Appe- 2. Ethic.6
titus ſenſitiui, animi iudicio ſuſceptum, in mediocritate illa poſitum, quæ ad nos refertur, quamque Prudentia definiuerit. Vnaquæque ergo uirtus erit alicuius Perturbationis moderatio. Quare non modo diſtinguentur inter ſe uirtutes penes diſtinctionem Appetitus, qua diuiditur in Iraſcibilẽ, & concupiſcibilem; uerum etiam cum in eodem appetitu uariæ reperiantur perturbationes, hęque ſpecie diſtinctæ, quæ ſingulæ propriam mediocritatem poſtulant; hinc non ineptè illi faciunt, qui penes uarietatem perturbationum, uirtutum etiam differentiam conſtituunt. Quam diſtinguendi rationem ſequutus Ariſtoteles in ſecundo Ethicorum, Tredecim uirtutum ſpecies conſtituit; Vnicuiq; duo apponens extrema perturbationum, quæ uitia nuncupantur; ea uero ratione inter ſe ſunt oppoſita, ut alterum mediocritatem excedat, alterum infra conſiſtat. Prima eſt Fortitudo, quæ Mediocritas eſt collocata inter Formidinem, & Confidentiam. Hæc in Ira-

ſcibili conſiſtit,& verſatur circa ea terribilia,quę ad ſalutem corporis ſpectant. Secunda eſt Temperantia; Hæc verſatur circa voluptates,præſertim tactus, & guſtus. Extrema ſunt Intemperantia,& ἀναισθησία. Ad concupiſcibilem pertinet. Tertia circa mediocres pecunias dandas,vel accipiēdas verſatur,ſeruatque in hac re mediocritatem. Liberalitas vocatur. Eius extrema ſunt Auaritia,& Prodigalitas. At quæ circa magnas opes occupatur. Quarta virtus eſt,Magnificentia.Cuius Extrema ſunt Luxus,& Sordes.Hę duæ ad Concupiſcibilem pertinent. Circa magnos Honores mediocris Appetitus Magnanimitas,quinta eſt virtus. Extrema Faſtus, & animi paruitas. Sexta eſt Mediocritas in vulgaribus honoribus appetendis, & caret nomine Habet Extrema Ambitionem,& Honorum Contemptum.Harum ſubiectum Iraſcibilis eſt. Septima eſt Manſuetudo, quæ Iram moderatur. Conſtituitur inter Iracundiam & nimiam Patientiam, & ad Iraſcibilem pertinet. Octaua virtus eſt: quæ in ſermonibus, & actionibus verum tuetur. Iactantia, & Diſſimulatio vitia ſunt illius, & ad Iraſcibilem ſpectat. Vrbanitas Nona eſt; quæ occupatur circa iucundum, in iocis,& ſaltibus. Huius Extrema Scurrilitas,& Ruſticitas. Subiectum habet Iraſcibilem.At illa virtus, quæ nos in omni vita ita componit, vt ſermonibus & Actionibus faciles ſimus, Decima virtus eſt,& Amicitia, ſeu Affabilitas dicitur: Extrema,Moroſitas,& Adulatio. In Iraſcibili conſiſtit. Vndecima verecundia inter impudentiam,& ſtuporem.Duodecima Nemeſis inter Inuidiam, & Gaudium ex aliorum malis. Vltima Iuſtitia eſt, de qua Ariſtoteles ſe acturum pollicetur libro quinto.De qua ego illud modo dicā,quod apud Morales Philoſophos diuiditur in Iuſtitiā Vniuerſalem, & Particularem. Illa omnem virtutem quodammodo continet,eo quod virtus quęlibet Iuſtitia eſt quædam,& æquatio perturbationum:vnde & omne vitium quædam eſt iniuſtitia. De hac autem vniuerſali Iuſtitia nos minimè in præſentia agere debemus;cum de particularibus virtutibus tantummodo differere inſtituerimus. Iuſtitia vero particularis,eſt Moderatio Iraſcibilis Appetitus,per quam in omni commutatione,& diſtributione externorum bonorum,æquum experimus.Huius extrema ita ſunt conſtituta, vt nō poſſimus ad vnum inclinare quin labamur in aliud. Dum enim vni plus æquo tribuimus,alteri minus derelinquimus. Diuiditur etiam hæc; (vt id obiter moneam) in diſtributiuam, & commutatiuam, In illa ſeruatur medium Geometricum,pro quo ratio eſt habenda Actionum,& Perſonarum.In hæc ſeruatur Arithmeticum nec vlla earum rerum habetur conſideratio. Hæc ſunt Virtutum, & vitiorum Capita. SITIC. Anonyme optima methodo, ſtiloque facili in pauca contuliſti, quæcunque Ariſtoteles de hac materia conſcripſit in 2.Ethic.cap.7. & Franciſcus Piccolomineus in gradu 4.Philoſophiæ de Moribus,cap.30.Admiror eximiam memoriam,qua te Natura donauit. Equidem nulla eſt, Anonyme, ex enumeratis virtutibus, quæ non aliqua ratione videatur ſe imperio dignam patefacere. Vnde non erit facile inuenire, quod quærimus, quænam ſcilicet harum Virtutum obtineat Principatum inter alias.TVTVS. Relinquamus illi totam hanc difficultatem; ipſe enim illam fortaſſe ſuperabit,qui etiam eandem nobis propoſuit

Digitized by Google

poſuit. SITICVLOSVS. Dic mihi obſecro Anonyme, Quænam illa virtus ſit, quæ tuo Iudicio (quod magni faciendum eſſe puto in huiuſmodi negotio) cæteris nobilitate vincit, & Præſtantia. A N O N. Ego ingenue dicam, quod ſentio. Hanc puto ſine controuerſia Fortitudinem eſſe. Nec id paucis mihi rationibus perſuadeo. Primum quidem quoniam Ariſtoteles de illa prius verba fecit, quam de alijs. Secundo, quia & Homerus expreſſe aſſerit virum fortem cæteris eſſe præſtantiorem; Quæ ſententia abunde oſtendit illum exiſtimaſſe Fortitudinem cęteris virtutibus eſſe anteferendam. Tertio quoniam virtutis nomen Fortitudo ſola in propriam ſuam appellationem conuertit. Quod indicio eſt, eam ſolam nuncupari virtutem per excellentiam. Equidem Latino ſermone virtus a viro dicitur. Vir autem cōſtans aliquid, & pugnax videtur deſignare. Vnde illud, ſi viri eſtis; ideſt ſi Fortes. Græcè melius. Fortitudinem enim Græci ἀνδρίαν vocant, quod virilitatem importat. Cæſar etiam milites increpans, inquit ſe non tantum virtutem in milite deſiderare, quantum modeſtiam. Virtutem haud dubie *Leonard.* pro Fortitudine ponens. Quarto ratione probatur hoc modo. Virtus mora- *Aretin. in* lis maximè in arduis rebus, & difficilibus fulget, vt docuit Philoſophus. *Ethic. ad* Ergo illa præſtantior erit, quæ circa magis ardua verſabitur. Talis eſt For- *Eudem.* titudo, quę in attinentibus ad mortem occupatur. Mors autem eſt vltimum *1. Ethi. 10.* terribilium. Quinto. Fortitudo ratione ſubiecti, quod eſt Iraſcibilis, nobi- *3. Ethi. 6.* lior eſt omnibus ad Concupiſcibilem pertinentibus; eo quod Iraſcibilis eſt nobilior. Cęteris autem quæ in Iraſcibili conſiſtunt præſtantior eſt ea ratione quia nos intrinſecus recte componit, cæteræ vero magis in externis verſantur. At præſtantius illud eſt, quod nos intrinſecus perficit, eo quod extrinſecus tantum. Denique & Sacra Auctoritate hæc ſententia confirmatur. Nam Deus in Deuteronomio minatur ſe Fortitudinem adempturum inobedientibus. Ex hoc ſic arguo. Pœna culpæ correſpondet; ergo tanto præ- *Cap 28.* ſtantior erit Fortitudo, quanto inobedientia fuerit delictum grauius. At hæc tanto grauius peccatum erit, quanto obedientia Deo charior fuerit. At nihil charius eſt Deo obedientia. Legimus enim in primo Regum obedientiam victimis eſſe meliorem. Auferet ergo Deus præſtantiſſimum bonum ijs, qui præſtantiſſimo alteri bono terga dedere. At Deus minatur ſe Fortitudinem adempturum, non virtutem aliam. Colligitur ergo, Fortitudinem omnium virtutum Pręſtantiſſimam eſſe. I N C L V S. Negare non poſſum Anonyme, me aliter ſentire, alterique virtuti me dare Principatum. Temperantia nobilior videtur mihi cęteris omnibus. Primum ratione nominis, quod Græcè eſt σοφροσύνη ὡς σώζουσαν τὴν φρόνησιν. ideſt, quia Prudentiam ſeruat. Cum itaque Prudentia ſit aliarum omnium virtutum, veluti Regina, & Dominatrix, illa virtus, à qua ſeruatur erit cæteris præſtantior. Secundo eadem ſententia probatur, quoniam circa difficillima verſatur. Huius enim virtutis proprium eſt obſiſtere voluptati, & voluptati potentiſſimæ, quod eſt valde difficile, immo omnium difficillimum. Vnde & Ariſtoteles in ſecundo Ethicorum ſubſcribit Heracliti ſententiæ, dicentis difficilius eſſe reſiſtere voluptati, quam Iræ. Et tamen ſcimus Iram eſſe ve- *Cap. 3.* hementiſſimam perturbationem. Hinc videtur oriri Tertia Ratio, nempe

quod

Digitized by Google

quod à Temperantia cæteræ virtutes confirmantur. Cum enim omnes in voluptate, & dolore aliquo verſentur, ideo magno cum labore comparantur. Nam voluptatum blanditijs deliniti ad ea gerenda, quæ praua ſunt impellimur,& dolorum cum admouentur faces,à rectè factis deducimur. Quare qui cupit virtutes aſſequi, neceſſe eſt, vt aſſueſcat prius voluptates frenare,& dolores contemnere.Ergo qui vehementiſſimam vicerit,facilius ſuperabit & reliquas.Vehementiſſimam autem coercet temperantia,Quarto probatur ea ratione, quoniam Pulchritudo maximè omnium conuenit Temperantiæ; hæc enim maximè pulchrum, & honeſtum hominem reddit. Vnde & Cicero dicebat,quod decorum ab honeſto nequit ſeparari, & quod iuſta omnia decora quidem ſunt, tamen decorum maximè fulget in temperantia.In hanc ſententiam & D.Ambroſius inquit,quod in Temperantia maximè honeſti cura,& decoris conſideratio ſpectatur;& quęritur. At virtus ea nobilior, quæ honeſta magis, & decora. PROVID. Ego Magnificentiam profero. Hæc enim nos valde ſimiles Deo reddit. Deus enim per ſolam Magnificentiam Mundum creauit, vt ſcilicet creaturis quoque ſua communicaret bona;quod proprium eſt Magnificentiæ;Per hanc enim nos alijs ſuccurrimus propria bona illis largientes, ac benignè tribuentes. Secundo præferenda videtur ratione ſubiecti,in quod illa cadit.Hęc enim ſola præclariſſimum hominum ſtatum,& conditionem requirit;Conuenit enim ſolis opulentiſſimis,& ſplendidè natis,Tertio,quia hęc uidetur quodammodo imperare Fortunæ,ea ratione, quod bona Fortunæ, quæ alioqui fluxilia ſunt, & caduca, ab ipſa Magnificentia, in tuto collocentur, ita vt minimè mutationem ſubeant. Vnde & illud optimè Martialis cecinit.

1. Officiorum.

Martialis.5.

Extra Fortunam eſt, quicquid donatur Amicis
Quas dederis ſolas ſemper habebis opes.

Cap.32. Quarto ſacra uidetur Auctoritate confirmari. Legimus enim in Deuteronomio,virtutem hanc Deo tribuendam eſſe.Date(inquit Moyſes)Magnificentiam Deo noſtro. Sic innuens neminem alium præter Deum dignum eſſe,cui hæc uirtus tribuatur.ANON.Arbitror nos omnes ab inuicem diſſentire, & uere de nobis dici poſſe;quot capita,tot ſententiæ. INGEN. Neque ego ſum cum aliquo ueſtrum concors, qui exiſtimo Magnanimitatem maximè omnium ſibi Principatum aſciſcere.Primum quidem hanc Ariſtoteles uidetur præcipuè omnium extollere laudibus & exaltare. Virtus enim,inquit,hæc propria eſt magni animi. Magnus autem animus ille eſt, qui cum magnis rebus dignus ſit,ſe etiam dignum iudicat. Vnde concludit Magnanimum, & ſi ratione uirtutis medium ſeruet, ſuum, eſſe tamen ſummum,& extremum, quod nonniſi de dignitate uirtutis intelligendum uenit.Secundo probatur ab obiecto,circa quod Magnanimitas uerſatur.Tota enim occupatur circa maximum bonorum omnium,quod & Deo tribuimus ueluti proprium,non habentes maius.Hoc autem eſt Honor. Nec modo uerſatur circa Honorem, uerum etiam circa magnum Honorem. Quare cum Magnanimus magnis ſit honoribus dignus, concludit Ariſtoteles, quod

4 Ethic 3.

Digitized by Google

quod etiam ſit optimus.Tertio.Ariſtoteles eodem loco aſſerit Magnanimitatem eſſe veluti ſplendorem quendam, & ornamentum virtutum omniũ. Quarto.Ratione probatur,deſumpta ex eodem loco.Magnanimitatis enim proprium eſt,quicquid in vnaquaque virtute magnum eſt. Ex quo colligi poteſt hanc Magnanimitatem eſſe veluti culmen, & Epilogum quendam virtutum cæterarum. Probat etiam eodem loco Ariſtoteles ipſam continere omnes alias, ea ratione, quod nullum vitium ineſſe poſſit illi, qui verè Magnanimus ſit. A quo enim,inquit,inductus turpe aliquid faciat, cui nihil magnum eſſe videatur? Aut qua ratione quiſpiam maximo dignus erit honore,qui aliqua virtute careat? Sic itaque videtur Magnanimitas Princeps? TVTVS.Ego & ſi vobis omnibus & doctrinæ varietate ſim inferior, & diſſerendi peritia, in hoc certè conabor æquari vobis,quod ego quoque peculiarem virtutem ſumam Principatus honore decorandam, quam nemo hactenus tetigit. Ea vero eſt Manſuetudo, ſiue Clementia, quæ eodem videtur honore digna. Primum quidem id ſatis videtur ſacra Auctoritate probari, quæ teſtatur hanc Manſuetudinem ſuperare omnem gloriam. Fili (inquit Eccleſiaſtes)Mãſuetudine opera tua perfice,& ſuper hominum gloriam diligeris. Hæc nobis Deum conciliat, gratiamque ſuam ab eo impetrat. Manſuetis,inquit Salomon, Deus dabit gratiam. Vnde rectè Claudianus. *Cap.3.* *Prou.3.*

Nam cum vincamur ab omni
Munere; ſola Deos æquat Clementia nobis.

Secundo.Hæc hominum cætus deuincit,quos Iracundia turbat,ac diſſipat. Paci, Tranquillitati,ac requieti ſimillima eſt, quibus nil homini gratius, nil dulcius, nil cum ſummo eius bono excogitari poteſt coniunctius. Vnde Terentius. *Comoed.5*

Re ipſa repperi
Facilitate nihil eſſe Homini melius, atque Clementia.

Tertio. Clementia ea ratione præſtantior videtur, quia Homini conuenientiſſima eſt; idque quia Humaniſſima, Qui enim Iræ impetu rapitur, humanam conditionem exuit,ferinam induit. Ita qui nouit iram moderari, is verè Homo. Qua ratione ductus Seneca ita elegantiſſimè cecinit.

Pulchrum eminere eſt inter Illuſtres viros, *Senec.Oct.*
Conſulere Patriæ, parcere afflictis fera
Cadè abſtinere. tempus atque iræ dare,
Orbi quietem. ſeculo pacem ſuo,
Hæc ſumma virtus, petitur hac Cælum via.

A N O N. Solus Princeps ſupereſt,qui ſuam ſententiam proferat.Qui ſi & ipſe propriam virtutem alijs præferat, iam conſtabit eſſe veriſſimum, quod

quod parum antea dixi, nos tot ſententias ſequi, quot ſumus capita. SITIC. Quid ſi plures ſint ſententiæ, quam capita? ANON. Neſcio qui fieri iſtud poſſit. SITIC. Vos ſinguli vnam tantum prætuliſtis cæteris, mihi tres videntur æque de primo loco certare, quarum nullam video vos hactenus conſideraſſe. Ecce primo veritas ſe promit, quæ Regio digniſſima videtur
Exod. 18. diademate. Regia quippe virtus eſt. Nam & Iudices Populi tales quęrebat
Pſal. 30. & 50. Moyſes, in quibus eſſet veritas. De hac quoque ſcriptum eſt. Veritatem re-
Zacha. 8. quirit Dominus. Et rurſus. Ecce enim veritatem dilexiſti. Et alibi. Loquimini veritatem vnuſquiſque. Veritatem tantum, & pacem diligite. Habemus etiam in ſacris litteris Chriſtum veritatem vocari. Et conſideratione dignum eſt, quod ipſe ſe ipſum veritatem vocat in abſtracto, innuens hanc veracitatem ſibi eſſe præ cæteris charam. Quod conſiderans Gregorius ad Ioannem Epiſcopum Rauennatem ſcribens, monuit hoc eſſe Chriſtiani viri officium ne aliud in ore loquatur, aliud in corde habeat. Quod multo antea & noſter Pœta damnauit his verbis,

Iliados. 1. *Exeſus enim ille mihi eſt, veluti inferni Portæ,*
Qui aliud mente tegit, aliud & profert ore.

Quid plura? Veteres veritatem hanc in Deorum numerum repoſuerunt, Fingebatur, vt Philoſtratus ſcribit in Amphiarao, Virgo niueis inducta
Gregorius veſtibus. Virgo fortaſſe, quia incorrupta eſt veritas, nec quicquam ſecum
Gyrald. patitur inhoneſti. Niueæ vero veſtes eximiam eius dignitatem patefacere
De Dijs videntur; tantam ſcilicet ſupra cæteras virtutes præcellentiam, quantam
gent. lib. 1. habet niueus candor ſupra colores cæteros. Tandem vero idem Philoſtratus in Heroicis aſſerit hanc veritatem eſſe virtutis Matrem. Veritatis etiam imago à nonnullis effingebatur ex Græcis litteris, hoc modo. Caput eius, erat α, & ω, Collum β, & ψ. Humeri, γ, & χ, & ſic deinceps; Hac ratione indicantes virtutem hanc eſſe cæterarum principium & finem, ut uerè illud quoque dixerit Philoſtratus illam eſſe uirtutis matrem. Non creditis? Tollite veritatem, nulli nulla fides. Tollite fidem, nulla uirtus, *nulla* ſcientia. Neque affabilitati ſuæ deſunt rationes. Hæc uirtus ornamentum, & ſplendor eſt Amicitiæ; & ideo ab ea nomen ſortita eſt. Magnum bonum eſt Amicitia. At ſi hæc affabilitate & humanitate ſit ornata, iam non modo bonum erit, ſed iucundiſſimum quiddam, & dulce. At ſi hæc uirtus eſt amicitiæ ornamentum, & Societatis, erit quoque proprium hominis bonum.
1. Polit. 2. Homo enim, vt dicebat Ariſtoteles, animal quoddam eſt natura aptum ad cætus, & ſocietates. Vſq; adeo, vt ille ſtatuat eum, qui ſocietates ferre non poteſt, hominem non eſſe, ſed Deum, vel belluam. Tandem vero in mediũ ſe profert Iuſtitia particularis, rationibus onuſta. Prima eſt D. Thomæ, qui
2. 2. q 41. art. 8. ſic arguit. Bonum multitudinis diuinius eſt, quam bonum vnius. Iuſtitia
1. Ethic. 2 autem eſt bonum multitudinis, conſiſtit enim in communicatione bonorũ, quæ eſt ad alterum. Cæteræ vero virtutes videntur eſſe bona vnius, nempe ſolius poſſidentis illas. Secunda eſt Piccolominei. Iuſtitia Regum, & Imperatorum eſt propria, & ita ſola ad dominandum videtur eſſe nata. Tantum

tum

Digitized by Google

tum ergo cæteris virtutibus præcellit, quantum Imperatores, & Reges, Grad. 4.
ſuper alios homines exaltantur. Tertia eſt eiuſdem. Vniuerſa virtus cæ- cap. 50.
teras complectens Iuſtitiæ nomine honeſtatur, dicitur enim Iuſtitia vniuerſalis. Signum hoc eſt particularem Iuſtitiam præſtantiſſimam eſſe. Tandem vero probat à contrario. Nam vir iniuſtus uitupetio dignus eſt, & pœna,cum fœdati alijs vitijs,non adeo tales cenſeantur.

PROVID. Tu qui veracitatem tantopere exaltaſti, ò Princeps, dic mihi verè, & ingenue fatearis: Putas ne ſecundum veritatem, harum trium aliquam enarratarum virtutum cæteris omnibus dignitate præſtare; aut etiam omnes tres ex equo veluti Rempub'icam quandam optimatum conſtituere?

SITIC. Haud equidem ita ſentio. Sed ne illæ quoque virtutes omnino derelictæ viderentur, mihi placuit in illarum gratiam ea in medium argumenta proponere, quibus ipſæ quoque ſibi videbantur aſciſcere Principatum.

PROVID. Mihi ſane viſus ſum tale aliquid odorari, dum tam doctè diſſereres ex oculorum nutibus. Quod certè in aliquo horum Academicorum minimè obſeruaui; ſed vnuſquiſque ſuam afferebat ſententiam talibus cum circunſtantijs vt apertè appareret ſe illam iudicare veriorem. Vnde & ſperare incipio te poſſe hanc controuerſiam facile dirimere, & finem huic imponere colloquio.Nam qui aliter id fieri poterat nobis omnibus ab inuicem diſſentientibus. Dic ergo iterum obſecro, cum veritate, quænam illa ſit virtus,quæ ſit omnium præſtantiſſima,tuo iudicio.

SITICVLOSVS. Ego ſane,vt ingenue fatear, Anonymi ſententiam laudo Fortitudinem præferentis. Quam ſententiam etſi validiſſimis ille rationibus confirmauit,ego etiam ſpero me euidentiorem facturum; Si modo permittatur mihi rem altius repetere.

ANONYM. Quidni permittatur? Nunc ardet aer, & intolerabilis eſt æſtus, quem nos experiri oportebit ſi hinc diſcedamus. Locus autem iſte ita ſuauis eſt,vt potius frigeſcere iucundè videar, quam vllo noxio calore affici. Ne ergo vlla nobis ſit cura tam cito diſcedendi.

SITIC. Nil mirum, ò Amici, ſi vos quoque in hac materia diſcordes eſtis; nam & quicunque antea illam tractarunt, in varias ſententias fere omnes abierunt; quarum etiam potiores ego iterum cogar breuiter examinare. Sed prius illud mihi docere placuit, quibus regulis ſit Præſtantia metienda virtutum ſingularum.

Conſiderandum ergo prius eſt id quod Ariſtoteles docuit virtutes eſſe bona quædam animi, quæ in aliud bonum maius referuntur, ut in pro- 6. Ethic.
prium finem. Hoc autem eſt honeſta operatio. Propterea inquit uirtuti 12.
laudem deberi, operationi autem honeſtæ honorem. Honor enim præ- 3. Ethic. 7
mium eſt boni illius, quod non refertur ad alterum. Laus autem illius, quod refertur. Honeſta itaque actio eſt virtutis Finis. Porro vnaquæque virtus ſuam habet diſtinctam, & peculiarem actionem ad quam refertur, vt ad proprium finem. Vnde & ab ea ipſa actione neceſſe eſt, vt virtus

M ipſa

Digitized by Google

ipſa propriam recipit dignitatem. Quare quanto nobilior fuerit actio à virtute prodiens, tanto præſtantior virtus erit. Itaque radix ex qua vltima nobilitatis diſtinctio inter virtutes oritur, non ipſum eſt ſubiectum, ut nonnulli arbitrantur, ſed ipſa eſt actio, quæ finis eſt virtutis. Tanta ergo erit virtutis cuiuslibet ſupra alias præcellentia, quantum illius actio cæteras aliarum virtutum operationes nobilitate ſuperauerit. Quemadmodum itaque omnis actio honeſta dicitur eſſe hominis bonum, quia hominem perficit, ita etiam erit tanto perfectior actio, quanto magis illius perfectio ſe extenderit ad plura, quod rectè D.Thomas annotauit ex Ariſtotele. Veruntamen & ſi res ita ſe habeat, Ariſtoteles tamen & aliud quoddam indicauit, ad quod veluti ad ſcopum alium reſpicere oporteat, cum, qui cuiuslibet virtutis præſtantiam inueſtigare conſtituit. Eſt autem illud difficultas ipſa, quæ reperitur in exercendis honeſtis actionibus, & virtutibus comparandis. Statuit enim tanto virtutem aliquam eſſe præ-
2. Eth. 10 ſtantiorem, quanto maiori cum difficultate comparatur. Ea enim eſt virtu-
2. Ethic. 3 tis natura, atque proprietas, vt proprium ſplendorem, & dignitatem in difficultatibus patefaciat: ita vt iure dicamus eam virtutem præſtantiorem eſſe, quæ in difficilioribus verſetur.

ANONYM. Cum ab his duobus virtutis nobilitas petatur, difficultate, & boni extenſione, ſcire vellem, vtra harum ſit maioris momenti.

SITIC. Hoc ad præſens non pertinet inſtitutum. Sufficit enim in præſentia cognouiſſe, quod virtus illa cæteris omnibus eſt anteferenda, quæ duabus hiſce conditionibus illas ſuperet; & quia illius actio ad plura ſe extendit, & quia verſatur circa difficiliora. Quod ſi in nobiliori etiam conſtiterit appetitu, id multo magis ſtatuendum erit.

His ita conſtitutis facile eſt intelligere quæ nam virtus Principem locum teneat, & quod hæc ipſa non alia eſt, quàm Fortitudo. Hoc parum poſtea monſtrabo. Nunc liceat mihi aliorum ſententias examinare breuiter. Piccolomineus Iuſtitiam præfert, quia munus eius eſt actiones noſtras erga alios componere; cæteroſq; congruenter gubernare, Reſpublicas aureis ligamentis perſtringere, prodeſſe omnibus, obeſſe nemini, quod maximè virtutis eſt proprium. Hæc munera ſunt ſaluberrima, & communia; Hæc Pietatem, Religionem, Sanctitatem, complectitur, quæ nos cum Deo feliciſſimè ligant. His & illa accedunt argumenta, quæ ego pro Iuſtitia ſuperius attuli.

At ſi quis hanc ſententiam rectè conſideret, videbit illam non eſſe ad aures Philoſophi, neque illius argumenta quicquam conficere. Ariſtoteles enim in 3. Ethicorum, apertè videtur liberalitatem præferre Iuſtitiæ huic particulari, ea ratione, quoniam virtutis magis proprium beneficia in alios conferre, quam ab alijs accipere. Vnde inquit plus laudandum eſſe illum, qui ſponte largitur, quam illum, qui non accipit. Eo quod facilius eſt non accipere, quam dare. Et addit eos, qui non accipiunt non liberalitatis laudem mereri, ſed potius Iuſtitiæ. Quibus verbis oſtendit apertè liberalitatem eſſe Iuſtitia præſtantiorem, ea ſaltem ratione, quoniam maiori

cum difficultate comparatur. Addamus nos æque recte hominem diſponi erga alios per Liberalitatem,atque per Iuſtitiam,immo vero magis. Per Iuſtitiam enim nos non lædimus alios; at per Liberalitatem illis etiam opitulamur,quod maius eſt. Si per Iuſtitiam aliquando ſumus alijs iuuamento, id efficimus tribuentes vnicuique ſuum, quodque illis iure debetur; at per Liberalitatem illos iuuamus ſolo pulchri, honeſtique deſiderio noſtra largientes,quod longe eſt præſtantius.

In comparatione autem Fortitudinis, proculdubio Iuſtitia particularis illi cedit.Nam ſi de difficultate loquamur nemini dubium difficilius multo acquiri Fortitudinem,& circa difficiliora verſari, cum in formidoloſis occupetur tota,& circa mortem, quæ eſt ultimum terribilium. Nec minus vir Fortis in alios ſua bona diſtribuit, dum pro Deo, & Patria fortiter pugnat, uitæque ſubit pericula, quam Iuſtus faciat rectè cæteris bona illa diſtribuendo,quæ non ſua ſunt ipſius, ſed eorundem potius, quibus erogantur. Sunt & qui hanc Iuſtitiam particularem inferiorem faciant Temperantiæ,ea ratione,quoniam difficilius eſt obſiſtere uoluptati,quod Temperantiæ proprium eſt, quam ſit æqualitatem ſeruare, ſuis contentum eſſe, aliena non inuadere, quæ ſunt propria Iuſtitiæ. Qui quidem hac in parte rectè ſentiunt. Verum an ſola difficultas reddat virtutes præſtantiores, ut videntur iſti licenter ſupponere,non ſatis conſtat; Infra fortaſſe magis elucidabitur. Nunc ſufficiat oſtendiſſe Iuſtitiam particularem, non eſſe virtutibus omnibus præſtantiorem,vt Magnus Piccolomineus aſſerebat.

INGEN. Sunt tamen illius ualida argumenta, neque uideo, qua ratione ſolui poſſint.

SITIC. Soluuntur facile. Quod enim Iuſtitia nos rectè erga alios componat, hoc concedimus, ſed idem & alijs quoque virtutibus concedendum. Quod Reſpublicas gubernet, hoc proprium eſt Iuſtitiæ uniuerſalis,quæ ſola cęterarum virtutum continet obiecta,ratione, & reſpectu communis boni. Quod omnibus proſit,neminem lædat. Fateor. At quod hoc ſit uirtutis maximæ proprium, non conceſſerim. Præſtantiſſimę virtutis proprium eſt, non modo non obeſſe, ſed prodeſſe ſummopere, non omnibus, ſed quibus decet: non quomodocunque ſed in arduis, & difficillimis: non eorum bona illis dando, ſed propria erogando. Hoc opus, hic labor eſt; Hoc virtutis opus. At hæc non Iuſtitiæ magis competunt,quam Liberalitati, & Fortitudini.

Antonius Scainus,cæteris omnibus particularibus virtutibus Magnanimitatem præfert; poſt hanc ponit virtutem mediocrium honorum;deinde Fortitudinem,& ſic deinceps. Quam ſententiam putat ſe ſufficienter probaſſe in libro quinto ea ratione, quoniam Magnanimitas eſt ueluti Epilogus aliarum virtutum,ut ſupra Ingenioſus adnotauit. Vt autem appareat quantum ueritatis hæc ſententia contineat notandum eſt ex D.Thoma, Magnanitatem dupliciter conſiderari poſſe,uno modo quatenus eſt virtus quædam Generalis, continens quodammodo reliquas, maioreſque faciens. Altero uero quatenus eſt virtus, inquantum ponit ſpecialem modum

In Dubijs ſuper 5. Ethic.c.p. 16.

2.2 q 192 ar.4 et 5. q.134.ar. 2.

Digitized by Google

dum virtutis, quia ſcilicet verſatur circa magnos honores, & in his magnis honoribus appetendis mediocritatem ſeruat perturbationum. Quia ergo honor, circa quem Magnanimitas verſatur, eſt cuiuslibet virtutis præmium, ideo Magnanimitas dicitur omnes alias virtutes complecti ratione materiæ, qua etiam de cauſſa eſt uirtus quædam Generalis. Quoniam autem Magnanimitas in honore reſpicit rationem magni, tantummodo, & in hac magnitudine formaliter verſatur, ideo virtus quædam eſt ſpecialis. Aliæ autem virtutes, & ſi cum ſunt perfectæ operantur magna, non tamen principaliter, & primò dirigunt intentionem ſuam ad magnum, ſed ad illud, quod proprium eſt vnicuique virtuti. Hinc ergo ſequitur, quod Magnanimitas & ſi virtus quædam generalis dicatur, non illud tamen ſortitur nomen à ratione formali magnitudinis obiecti ſui, immo ratione huius magnitudinis eſt uirtus ſpecialis. Quia tamen magnitudo rerum non ſtat ſine rebus ipſis, neque magnitudo honoris ſtat ſine honore ipſo, qui eſt omnis virtutis, ſeu honeſtæ operationis præmium, ideo Magnanimitas, cuius obiectum formale eſt honoris magnitudo, dicitur omnes virtutes complecti ratione materiæ.

His ita conſtitutis perſpicuum fit Magnanimitatem, ut eſt virtus ſpecialis non eſſe aliarum Principem ſtatuendam, propterea quod bonum illius neque eſt vniuerſale, ut uirtutum aliarum, neque tanta cum difficultate comparatur.

Non eſt vniuerſale quidem, ut bonum Iuſtitiæ, aut Fortitudinis, aut Liberalitatis, aut Magnificentiæ, eo quod qui mediocritatem in magnis honoribus ſeruat, appetendis, nemini prodeſt, niſi ſibi ipſi.

Neque eſt tantæ difficultatis, quantę propria bona largiri ob deſiderium pulchri, & boni; quod eſt Liberalitatis, & Magnificentiæ; non quantæ eſt vitæ ſubire pericula, quod eſt Fortitudinis.

ANONYM. Equidem multo facilius eſt, in magnorum honorum exhibitione ſe modeſtè temperare, quam Iræ, aut uoluptati reſiſtere, quod proprium eſt Manſuetudinis, & Temperantiæ.

SITICVLOSVS. Quod autem dicebat Scainus, pro ſuæ opinionis confirmatione, conſtat falſum eſſe. Non enim in Magnanimitate directè continentur aliæ virtutes, neque earum obiecta formalia, continentur in obiecto formali illius ut dictum eſt; quod tamen probandum erat ut illarum epilogus illa diceretur.

ANONYSMVS. Hoc mihi curæ eſto. Oſtendam enim, ſi tibi placuerit hæc omnia argumenta, quæ in Magnanimitatis fauorem aut alterius uirtutis pręter Fortitudinem adducta ſunt, nullius eſſe momenti. Tu interim perge ad Fortitudinis dignitatem patefaciendam.

SITICVLOSVS. Sic faciam. Fortitudo ergo inter alias omnes virtutes Principatum tenere dicenda eſt, non illis rationibus tantum, quas Anonymus attullit, ſed & his quoque. Primum quidem, quia bonum illius eſt vniuerſaliſſimum. Fortitudinis enim proprium eſt circa vitæ pericula, & mortem hilari animo verſari, non circa quamcunque

ſed

ſed circa pulcherrimum mortis genus, qualis eſt ea, quæ euenit in bello, quippe quæ in maximo, pulcherrimoque periculo oppetatur. Quæ quidem dum vir Fortis peragit, vniuerſæ Reipublicę fert opem, ab eaque proprijs periculis arcet pericula. *Ariſt. 3. Ethic. 6.*

TVTVS. Rarò tamen euenire uidetur, vt vir Fortis ſua bona in alios transferat; ſed ſepius euenit, vt ſui tantum cauſſa pugnet, & Fortitudinem exerceat. At Liberalis nunquam Liberalitatem, neque iuſtus iuſtitiam exercet, quin alijs opituletur, & ſua impertiatur bona.

SITICVLOS. Erras ò Tute toto cælo. Fortis enim viri proprium eſt, pro iuſtitia, & æquitate pugnare, vt Plato, & Cicero definientes illam, aſſerunt. Hoc autem idem eſt, ac ſi quis dicat virum Fortem illum eſſe, qui aptus eſt, & vult bonos armis, honeſtatis cauſſa, à malorum iniuria tueri. Vnde qui conſideratius ſcripſiſſe videntur, ita Fortitudinem definiuere, quod virtus ſit, quæ bonos honeſtatis cauſſa à malorum iniurijs, armis tuetur. Hæc ergo facit, vt bonis benè ſit, nec benè, beatèque viuere prohibeantur. Quamobrem iam vides Fortitudinem ſemper bonis prodeſſe, non ſoli viro Forti. TVTVS. Nonne is, qui ſui duntaxat cauſſa pugnat, aut pugnare paratus eſt, verè Fortis habendus eſt? *Adoardus Gualand. lib. 11. c. 3.*

SITIC. Cum diſtinctione ò Tute. Si enim ira, aut libidine concitatur ad arma, nequaquam; cum in hoc à brutis non differat. Quin etſi pro Patria dimicans, ſui tantum commodi cauſſa, brutorum quorundam fortitudinem non excedit, quæ quaſi acie inſtructa oppugnantibus reniruntur: At ille ſolus, qui bonos à malorum iniurijs tuetur, ut eis bona conſeruet, idque honeſtatis cauſſa, is verè fortis dicendus eſt, quem etiam conſtat in alios, eoſque viros bonos ſua bona diffundere. *Gualand. lib. 11. c. 6*

TVTVS. Nonne legimus quamplures fortes habitos, ex eo quod pro ſua dignitate, & honore arma ſumpſerint, cum in hoſtium exercitu nominatim fuerint prouocati? SITIC. Veriſſimum. Attamen in illis caſibus dignitas, honorque viri illius, qui dimicat, non ad ſe ipſum tantum, verum etiam ad neceſſarios, immo & ad Patriam omnem pertingit, ita vt vnius decus, aut ignominia in cunctos extendi videatur.

INCLVS. Sæpenumero audiui eximium Philoſophum Herculem Taſſum, Bergomatum decus dicentem, quod qui ea de cauſſa certant, vt ſe ipſos pro ſuæ Patriæ dignitate, & parentum ſalute tanquam viros bonos, à communium hoſtium iniurijs, & calumnijs vindicent, maxima laude proſequendos eſſe. Qui vero certandi cupidi ſunt, ut armorum peritiam, aut audaciam, aut denique ſuam Fortitudinem non magna vrgente neceſſitate, etiam aduerſus ciues ſuos oſtentent, non ſolum inanis gloriæ eſſe arguendos, ſed vt impios, rabidoſque ciues damnandos eſſe, & libertate, qua tam pernicioſe in ipſam Rempublicam abutuntur, priuandos.

ANONYM. Aurea ſententia, & digna tali, tantoque viro, qualis & quantus eſt Hercules Taſſus. SITIC. Iam ergo ſatis conſtat honeſtum illud quod Fortitudo in actionibus ſeruat bonum eſſe vniuerſale, & ad alios pertingens, non minus quam bonum iuſtitiæ, aut liberalitatis. At ſi de dif-

Digitized by Google

ficultate loquamur, res ex ſe eſt euidentiſſima, cum nihil ſit difficilius, quam ita ſe componere, vt abſque omni metu, quis in formidoloſis verſetur, & Morte, qua nil terribilius, nihil eſt acerbius.

ANON. Succurrit mihi & alia ratio non ſpernenda, in hanc ſententiam, Fortitudo enim videtur eſſe Felicitatis ſuſtentaculum, & robur: Felicitas enim etſi ſummum ſit bonum, & permanens, tamen ſi quicquam poteſt il-
1. *Ethic.* 10 lam euertere, ac demoliri, id ſunt aduerſæ res, & Fortunæ caſus pleni calamitatis. Quam rem conſiderans Ariſtoteles, cum ſtatuiſſet virum felicem, nunquam euadere poſſe infelicem, ſtatim ſubdit illum beatum eſſe non poſſe, ſi in Priami calamitates incidat: eo quod graues, magnique caſus poſſint hominem ex felicitatis poſſeſſione deijcere. At ſola Fortitudo poteſt maximos, grauiſſimoſque caſus leuiter perferre. Erit ergo Fortitudo proprium Felicitatis, ſummique boni munimentum. Quæ ſola ratio ſummopere indicare videtur huius virtutis præſtãtiam. SITIC. Accedit quod in hac virtute Gradus Heroicus maxime fulget, Heroes enim præſertim ro-
Piccol. gr. 4. *cap.* 50. bore Fortitudinis ſupra humanam conditionem eleuantur. ANON. Priſci etiam, ut Ariſtoteles teſtatur, ſoli Fortitudini honores, & ſtatuas decreue-
3. *Ethic.* 6 runt, quas Reges, & Reſpublicæ illis tantum erigi voluerunt, qui in bello fortiter pugnantes occubuiſſent. Quod ſiue factum ſit ea de cauſſa, quoniã viri fortes plus cæteris Reipublicæ proſunt, ſiue quod difficilius ſit hanc adipiſci, conſtat tale præmium Fortitudini fuiſſe ab antiquis exhibitum, propterea quod illam cæteris anteferendam exiſtimauerint.

INCLVS. Iam ſatis mihi conſtat Fortitudinem eſſe omnium virtutum nobiliſſimam. Tantum illud deeſſe videtur, pro doctrinæ huius confirmatione, vt argumenta illa ſoluantur, quæ alijs virtutibus fauent, Principemque locum adſcribere conantur. SITIC. Hoc munus erit Anonymi, qui parum antea vltro ad hoc ipſum efficiendum ſe obtulit. ANONYM. Paratiſſimus ſum. Quod ego prius Incluſe dicebas pro Temperantia, facile ſoluitur. Temperantia enim ideo dicitur Prudentiam ſeruare, quia ſemper illam tenet in actu ſecundo. Cauſſa eſt voluptas, quam ipſa Temperantia coercet. Quæ uoluptas, quia nobiſcum nata eſt, & educata, ideo latenter nos inuadit, & nunquam non opus eſt Temperantia, & ex conſequenti Prudentia. Conſtat autem modum hunc ſeruandi Prudentiam ipſam nullam Temperantiæ perfectionem indicare. Omitto, quod nonnul-
Henric. Steph. in Theſauro li uident Etymon uocis huius σωφροσύνη allatum ab Ariſtotele omnino repugnare Analogiæ illi, quæ in deriuationibus ſeruanda eſt. Ad ſecundum, quod Temperantia circa difficillima verſetur, negandum hoc eſt, cum Fortitudo hanc laudem præ omnibus mereatur. Res enim formido-
3. *Ethic.* 10. loſæ, uitæque pericula, & Mors ipſa multo maiorem uim habent ad rationem à recto deducendam, quam Ira, aut uoluptas, ut patet ex Ariſtotele; Et tamen circa hæc Fortitudo uerſatur, in illis ſeruat modum, eaque ſuperat. Ad tertium, cum dicebas in ipſa Temperantia maxime ful-
22. q. 141. art. 2. & ar. 4. et 5. gere pulchrum, & decorum, reſpondet optime D. Thomas, dicens id ita eſſe intelligendum, quod Temperantiæ proprium ſit hominem ſpoliare turpi-

Digitized by Google

turpitudine illa, quæ hominem quodammodo brutum facit. Ea enim à quibus refrenat Temperantia conueniunt homini ſecundum naturam beſtialem, & ideo ab illis deturpatur, & quodammodo inter bruta reponitur. Temperantia ergo illam turpitudinem aufert, hominique propriam tribuit pulchritudinem. At reliquæ virtutes ipſæ quoque ſunt pulchræ, & tanto magis, quanto ſupra humanam conditionem hominem eleuant, ipſumque iam à brutorum turpitudine liberum, ad maius bonum euehunt. Cuiuſmodi præſertim eſt Fortitudo, vt dictum eſt.

PROVID. Expecto Anonyme, vt meæ quoque Magnificentiæ reſpondeas; iam enim ego quoque Fortitudini Primatum trado.

ANONYM. Rectè facis, nam & per hanc, magis quam per Magnificentiam Deo ſimiles reddimur. Sane per Magnificentiam quandam eminentiſſimam mundum creauit, at Maius opus fuit ſe ipſum Morti tradere, vt mundum hunc redimeret, quæ indicibilis fuit Fortitudo. Quare & ſcriptum eſt. Vicit Leo. Quando mundum creauit, poterat & innumerabiles alios creare, ſicuti & nunc poteſt, at cum Filium hominem factum Morti tradidit, vniuerſam omnipotentiam exhauſit, ita vt maius opus efficere non poteſt; qui fuit Fortitudinis effectus. Sicuti etiam veriſſima, & Excellentiſſima fuit Fortitudo Seruatoris, cum libenter mortem pro peccatis hominum pertulit. Vir ergo Fortis magis quam Magnificus ſimilis eſt Deo.

Quod dicebatur Magnificentiam optimo hominum ſtatuti conuenire, nempe opulentiſſimis, & ſplendide natis; dupliciter ſoluitur. Primum ſtatus ille non eſt Præclariſſimus; cum alioqui improbiſſimus homo talis eſſe poſſit. Secundo negatur & aſſumptum totum.

Principalis enim actio virtutis, eſt interior electio, quam virtus habere poteſt, abſque fortuna exteriori. Atque ita etiam pauper poteſt eſſe Magnificus, etiam ſi quis dicat ad exteriorem illius actum requiri bona Fortunæ. Tamen melius fortaſſe dicemus aſſerentes pauperem non modo virtutem Magnificentiæ, & actionem eius internam, nempe electionem, verum & exteriorem actum vel inuita fortuna exercere poſſe, magna erogando; non quidem magna ſimpliciter, ſed per comparationem, reſpectu ſcilicet ipſius qui talia operatur. Magnum enim, & paruum ad aliquid ſunt. Propterea Ariſtoteles ſtatuit fieri aliquando poſſe, vt ille ſit liberalior, qui minora beneficia contulit; ſi ex minoribus, quæ ſuppetant copijs largiatur. Non enim (inquit) ex numero beneficiorum, quæ dantur, ſed ex animi habitu, eius qui dat omnis eſt ſpectanda Liberalitas. Nil ergo prohibet quin eandem regulam & de Magnificentia intelligamus. Tertio dicebatur Magnificentiam Fortunæ imperare. At ego dico, magis illi imperare Fortitudinem. Illa in externis tantum bonis; quæ minoris ſunt momenti, fortunam ſuperat; hæc in attinentibus ad Vitam, & Mortem ridet iras Fortunæ; & Felicitatem ipſam tuetur vel in extremo periculo. Quod tandem dicebatur Magnificentiam dandam eſſe Deo, facilem habet ſolutionem. Primum quidem impropriè aſſignantur Deo Morales

D.Th. 2.2. q.134. ar. 1. & 3.

4. Ethic. cap. 1.

Digitized by Google

7. *Ethic.* 1. & 2. *magn. mor.* 5. virtutes, vt Ariſtoteles docuit, & D. Thomas confirmauit; ſed id tantummodo per Metaphoram fit. Non enim in Deo ſunt perturbationes, quæ virtute corrigantur. Secundo. Vtcunque conceſſo Magnificentiam conuenire Deo, dicimus & Fortitudinem ſolere in Sacris Biblijs Deo aſſignari. Legitur enim. Fortitudo mea, & Laus mea Dominus. Et alibi. Sit nomen Domini benedictum, quia ſapientia & Fortitudo eius ſunt. Nunc ad Magnanimitatis argumenta ſoluenda deſcendam, ſi Ingenioſus noſter id permiſerit.

Exod. 15. *Daniel.* 2.

INGEN. Immo rem mihi gratiſſimam facies. Nam & Prouidum noſtrum video ſummopere his tuis ſolutionibus gaudentem.

ANONYM. Vide ergo. Cum dicitur Magnanimitatem eſſe quid ſummum, falſum eſt, ſi de ipſa, quatenus eſt virtus ſpecialis intelligatur; conceditur tamen quatenus ipſa omnes virtutes comprehendit. Dicebatur ſecundo illam verſari circa maximum bonorum omnium, nempe honorem. Hoc etiam ſi concedatur non tenet conſequentia. Non enim dignitas virtutis proxime oritur à dignitate materiæ, circa quam verſatur, ſed à præſtantia honeſti illius, quod ipſa virtus producit ex moderatione perturbationis. Quæ præſtantia eo eſt maior, quo magis bonum illud fuerit vniuerſale, & quo difficilius acquiritur. At in his rebus Magnanimitas Fortitudini cedit, ut optime Siticuloſus docuit. Tertio obijciebatur Magnanimum eſſe optimum, & magnis honoribus dignum. At hoc verum eſt tantummodo quatenus Magnanimitas ſumitur vt generalis virtus, non vt ſpecialis. Ad vltimum dico Magnanimitatem eatenus dici ornamentum aliarum virtutum, quatenus importat magnitudinem, & intenſionem cuiuslibet alterius uirtutis; in qua acceptione ſumitur ut virtus generalis. At ſi præciſè ſumatur, ut habitum dicit rectè diſponentem circa magnos honores, negarem quod ſit ornamentum aliarum. SITIC. Adde quod non tenet conſequentia; eſt ornamentum virtutis, ergo eſt quid nobilius ipſa virtute. Nam & virtutes ipſæ ſunt ornamentum hominis, & tamen non ſunt nobiliores homine. ANONYM. Ad illud tandem, quod dicebatur, eſſe epilogum uirtutum omnium, ſatis reſponſum eſt ſupra.

TVTVS. Non peto Anonyme, vt meæ Manſuetudinis rationibus ſatisfacias. Ipſa enim libentiſſimè Fortitudini cedit, & illam fatetur nobiliorem. ANONYM. Sunt ergo ſua argumenta refellenda, ne uideatur uelle litem ſub iudice relinquere, quod arrogantiæ cuiuſdam eſſet indicium. TVTVS. Ego quoque tibi cedo ſicuti doctrinæ præſtãtia, ita & prudentia. Facias ergo quod lubet. ANONYM. Dicebas Manſuetudinẽ Deũ nobis conciliare, Homines deuincire, eſſe homini conuenientiſſimam, orbique quietem, & Pacem dare. Veriſſima hæc ſunt; ſed tamen per accidens ab illa fiunt. Non enim nobis Deum conciliat, Manſuetudo, quia hanc ipſa per ſe uim habeat, ſed quia Deus ita ſibi complacet Manſuetis fauere; fortaſſe quia ipſi magis propriam imperfectionem uidentur agnoſcere, & vindictas Deo relinquere. Quare conſtat hoc a ſola Dei benignitate manare, non ab huius virtutis propria facultate.

te. Præterea idem quoque & de fortitudine dici poteſt. Dicit enim Deus ſe nobis regnum daturum æternum , ſi fuerimus fortes , in bello , & pugnauerimus cum antiquo ſerpente . Homines etiam deuincit per accidens , quia ſcilicet manſueti omnibus cedunt ; aut ſaltem ita ſe gerunt, vt vnuſquiſque(niſi fortè quis omnino pudorem amiſerit)ſibi magno dedecori adſcribat,illos lædere . Dicitur etiam homini conuenientiſſima,habita ratione naturæ illius;at fortitudo illum ſupra humanam conditionem extollit. Ita quidem puto aduerſas rationes euertẽdas. SITIC.Admiror tuam memoriam Anonyme;vixque crediderim poſſe aliquem tam conſtanti ordine,tot argumenta repetere,atque refellere.Sed magis admiror te mea reliquiſſe,quæ pro tribus illis vltimis virtutibus attuli.An illa putas ita eſſe paruifacienda,vt ne quidem reſponſionem mereantur? A N O N. Nequaquam.Sed ea conſulto prætermiſi,deſperans poſſe ita ſcopum attingere,vt tu facies,qui cum ea propoſueris,nihilominus aliter ſentis. Vnde non dubito,quin tu optime omnium intelligas in quo illa peccent, & vbi fallacia conſiſtat . Ego itaque illa minime tentabo refellere. SITIC. Quia video te omnino laborem hunc declinare,ego illa breuiter ſoluam.Dicebam primũ in fauorem veritatis conuenire illam in Iudicibus; at cõuenit & Fortitudo. requirit illam Dominus, requirit & Fortitudinem. Diligit vtranque.Vtraque reddit nos ſimiles Deo.Deus eſt veritas,Deus eſt fortitudo: Homo verax Chriſtianus eſt;omne mendacium peccatum. At homo fortis,eſt etiam perfectus. De antiquorum fictionibus nihil hoc loco . Quod ſit virtutum mater verum eſt,ſed cum diſtinctione . Veritas enim illa quæ dicitur virtutis Mater,non eſt hæc veracitas,de qua hic loquimur, quæque eſt virtus veridici,per quam homo honeſti deſiderio,rem quamlibet narrat,prout ſe habet; nihil addens,aut detrahens; ſed eſt illa veritas, quæ adæquatio eſt rei ad intellectum,ſupra quam ſcientiæ omnes,& virtutes fundatur. Quod ſi ad veritatem ſermonum ſit extendenda,erit adæquatio rei ad ſermonem loquentis; ſiue hic per virtutem veracitatis vera loquatur, ſiue etiam inuitò.Ideo cum dicitur ſublata veritate fidem tolli,uerum eſt de hac veritate, non de illa,quæ vna eſt virtutum Moralium. Nam & ſi quis veritatem dicat inuitus,vel non animaduertens, non minus illi aliquando fidem adhibebo , ac ſi veridicus eſſet, propter ea quod Intellectus meus videre poteſt illius veritatis neceſſitatem . Vnde & illud falſum ſublata fide ſcientias tolli, ſi illud de humana fide intelligatur . Ad amicitiam pergo . Falſum eſt affabilitatem ideo amicitiam vocari,quia ſit amicitię ornamentum,ſed ita vocatur per ſimilitudinem quandam . Eſt certè ornamentum quoddam amicitiæ,ſed accidentale, & extrinſecum;quod ex eo patet,quoniam Ariſtotele teſte hæc mediocritas,quam amicitiam dicimus, & ſi quodammodo ſit ſimilis amicitiæ ; caret tamen eo animi motu , amoriſque affectu in eos,quibus cum verſatur;quo prædita eſt Amicitia. Et ideo affabilis æque ſe præbet talem erga omnes ſiue notos , ſiue ignotos . Poſita erat vltimo loco Iuſtitia, cuius argumenta facilem habent ſolutionem. Primum, quod erat D.Thomæ iam ſolutum eſt.Oſtendimus enim Iuſtitiam particularem non eſſe vniuerſalius bonum fortitudine : eſſe autem alia ratione inferius.

4. Ethi.6

Secundum

Secundum quod erat Magni Piccolominei, concludit de Iuſtitia vniuerſa, non de particulari.

Tertium ſoluitur ea ratione', quod Iuſtitia vniuerſa nomine Iuſtitiæ appellatur, non quia hæc Iuſtitia Particularis ſit nobilior ſed per ſimilitudinem quandam, & analogiam.

Quartum videtur potius contrarium conficere. Magis enim punitur ille, qui magis peccat. magis autem peccat, qui contra facillimam, omnibuſque quodammodo infuſam virtutem operatur, quam qui contra difficillimam. Nec tanta pœna dignus eſt, qui optimus non euaſit, quanta qui vel à communi probitate receſſit. At virtus quò nobilior, eò etiam paucioribus conuenit, maiorique acquiritur cum difficultate. ANON. Dicamus ergo Homerum rectè ſtatuiſſe, quod fortis homo, cæteris hominibus cunctis ſit præferendus; Rectè inquam quoniam Fortitudo optima virtus exiſtit, & vniuerſale bonum.

Addens autem omnibus in rebus eſſe potiorem, hoc quoque rectè facit; propterea quod Fortitudo difficillima eſt uirtus, & qui aliquando illam potuit adipiſci, nullo negotio cæteras quoque adipiſcetur.

ODYSSEÆ
Sexto, Verſu CCII

Extra uero aulam ingens Hortus prope ianuas
Quatuor iugerum, circa autem ſeptum deductum eſt utrinque.
Ibi uero arbores proceræ creſcebant florentes
Pirus, & malus punica, & alij mali pulchrum fructum producentes
Ficuſque dulces, & oleæ uireſcentes.
Harum nunquam fructus perit, aut deficit
Hyeme, neque æſtate, toto anno durans, ſed ſane ſemper
Zephyrus ſpirans hæc creſcere facit, aliaque matureſcere.
Pirus poſt pirum, feneſcit pomum poſt pomum,
Porro poſt vuam vua, ficus autem poſt ficum.
Ibi autem ei fructuoſa vinea radicatur
Huius alterum quidem apricum lato in loco
Areſcit Sole, alias ſane vindemiant
Alias autem calcant, longe autem vuæ maturæ ſunt,
Florem emittentes, nonnullæ vero aliquando matureſcunt,
Ibi exculti horti ad extremam ſeriem
Omnis generis producuntur toto anno florentes
Duo autem fontes aderant, alter quidem per hortum totum
Diſpergitur, alter autem ex altera parte ſub aulæ limen vadit
Ad domum excelſam vbi aquantur ciues.

Et

Quænam ſit Phæacum Inſula, & potuerit ne Alcinous Rex arte vlla parare ſibi Hortum, qui perpetuo fructus ederet, an autem id ſit penitus fabuloſum.

COLLOQVIVM XXVIII.

INGENIOSVS.

QVID Vobis videtur ò amici, de hoc Alcinoi horto? TVT. Fabula miranda quidem, ſed nõ credenda hæc eſſe videtur. Qui enim fieri poteſt, vt fructus nunquam, ne hieme quidem ab arboribus deficiant, quando vi frigoris externi arborum facultates ita torpeſcunt, vt non fructus modo, verum & folia vbique terrarum decidant, & Plantæ ipſæ omnino perire videantur? INCLVS. Non tam miranda eſt hæc res, vt tu illam facis Tute. TVTVS. Tu ne aliquando hortum vidiſti talem? INGEN. Nequaquam vidi, ſed nõ leui argumento adducor ad credendum id alicubi terrarum ſine repugnantia euenire poſſe TVTVS. Afferas obſecro, non leue argumentum hoc. INCLVS. Quia non ſemel vidi prunos bis in anno producentes fructum. Imò quotieſcunq; æſtatis calor producitur vſque ad menſem Septembris, prunus quì in horto eſt R. Gherardi Licinij bis in anno inuenitur pruna producere. Primum quidẽ menſe Iunio, ſecundo vero circa finem ſeptembris. Tale quiddam & de perſicis ferè ſemper ſcio Terni euenire, idque ego non ſemel obſeruaui. Nec id mirum. Videmus enim arbores omnes tunc folia producere, cum aer incipit caleſcere, Sol vero accedere ad verticem: fructus autem cum iam ſatis incaluit. Vnde mihi minimè dubium eſt, quod ſi apud nos perpetuus eſſet calor, qualis eſt æſtatis tempore, nunquã fructus, aut folia deciderent niſi alijs erumpentibus. Eadem enim cauſſa permanente, & idem effectus manet. At quia neceſſe eſt vt apud nos tandem hiems, & brumale tempus autumno ſuccedat, propterea fit, vt fructus omnino pereant, ſterileſque quodammodo arbores fiant. Attamen videmus hunc anni circulum nõ adeo arboribus imperare, quin earum nonnullæ bis in anno fructum ferant. Quid ergo mirum, ſi in illis regionibus in quibus anni tempora ferè æqualia ſunt ſemper & quibus æſtas ridet perpetua, vt ſub æquinoctiali, (in qua mundi parte forte reperitur hæc Phæacum inſula) perpetuo etiam arbores fructus edant, & nunquam deſinant? INGEN. Non nega uerim hunc tuum diſcurſum Incluſe, eſſe ſatis apparentẽ, non tamen quicquam ad rem noſtram facit, neque poteſt hunc Homeri locum confirmare. Phæacum enim Inſula, cui Alcinous dicitur imperaſſe, non modo non eſt ſub æquatore, ſed neque intra tropicos Hæc enim Inſula aliàs Phæacia dicta, illa eſt, quæ hodie Corcyra nuncupatur, & noſtro Idiomate Corfù. Quę non adeo à nobis eſt remota vt neſciamus ibi non amplius hæc videri miracula, quæ hic Homerus narrat. INCLVS. Negandum tamen non eſt Corcyram calidiorem eſſe multo his noſtris regionibus. Nam & Ptolemeus

ſtatuit

Digitized by Google

Tabula 10 Europæ. ſtatuit in illa inſula longiorem diem non excedere horas 14.min.40. Vnde conſtat depreſſiorem in illa eſſe polum, quam apud nos ſit, quibus longior dies ferè horarum eſt ſexdecim. Quemadmodum ergo longior dies, qui fit Corcyræ, breuior eſt noſtro longiſſimo, ita & de longiori nocte ſentiedum Vnde conſtat Solem Corcyræ non adeo deprimi vbi fuerit in tropico Capricorni, vt apud nos deprimitur. Calidior ergo erit illa regio. INGEN. Non nego calidiorem eſſe, & ſcio ibi citius fructus omnes matureſcere, noſtriſque eſſe præſtantiores, ac ſuauiores; at quod perpetuo ita ſit calida, vt nunquam in illa fructus à plantis deficiant, idque naturaliter, falſum eſt, & reclamat experientia. SITIC. Neque Io. Boterus, qui ſatis diligenter illius Inſulæ proprietates deſcripſiſſe viſus eſt, tot de illa narrat miracula. Videamus illũ obſecro. Sic ait. (E celebre Corfù per li giardini d'Alcinoo, celebrati da Homero. Hà, 60. miglia di longhezza; 24. di larghezza; 120. di giro. E' di figura quaſi ſimile ad vn arco riuolto verſo Oriente, montoſa verſo mezo dì, piana verſo tramontana. Hà terreno non molto abundante, eſſendo pouero di acqua, e ſaſſoſo, e i venti meridionali vi abbruciano le biade mature. Onde gli habitanti laſciando di ſeminar grani, piantano in lor vece viti, oliueti, & pomari. Ciò che produce non cede in buontà, & in perfettione à coſa alcuna del ſuo genere. Produce uini, cere, mele, ogli eccellenti, cedri, naranzi, frutti ſemplici rari. Onde ſi può anco conoſcere la gran temperie dell'aere.) Ex quibus fortaſſe quis poteſt ſuſpicari Homerum, vt talem inſulæ feracitatem indicaret, ea vſum fuiſſe hyperbole dicens ibi fructus nunquam deficere. INGEN. Non improbanda conſideratio. Tamen quia Homerus aſſerit Corcyræ ficus, vuas, poma, pira indeſinenter produci toto anno, uidendum nobis eſt an id fabuloſum ſit figmẽtum, necne. Atque ſi ſit fabula, oſtendendaerit non fabuloſis argumentis illius impoſſibilitas, ſin minus inuenienda eſſent illa media, quibus natura, aut ars tam mirabilem effectum poſſit producere. INCLVS. Quanam ratione poterimus nos hæc præſtare? INGEN. Ego in hac re procedendum puto cum huiuſmodi diſtinctione. Hortus Alcinoi ab altera duarum cauſſarum factus eſt adeo ferax, ut Homerus ait, ſcilicet uel à ſola regionis natura, & temperamento, quæ ita ſit fertilis, ut mediocri accedente terræ cultu fructus producat perpetuò; uel id fiebat ui artis alicuius reconditæ, quæ quandam inferens regioni, & plantis illis uiolentiam, producere illas cogebat extra propria tempora. Quemadmodum nos quoque uidemus noſtrates agricolas artibus nonnullis fructuum maturitatem accelerare, eoſq; præcoces reddere. INCLVS. Quam putas harum cauſſarum ibi habuiſſe locum? INGEN. Primam minimè cenſeo. Tres rationes efficaciter id perſuadent. Prima ſitus eſt regionis, quæ non adeo eſt Æquatori vicina, ut hiemem frigidum ſatis non habeat, cum nox in illa extendatur, uſque ad horas 14.min.40. Secunda eſt, quoniam Homerus refert mirabilem hunc eſſectum non in tota inſula conſpici, ſed tantum in Alcinoi horto, qui quatuor iugerum erat. At ſi à regionis natura id eueniſſet, id factum fuiſſet non in ſola illa particula, ſed in inſula uniuerſa. Tertia eſt, quia experientia reclamat. Non enim hæc ibi hodie fiunt, cum tamen eadem ſit regionis illius,

ſitus, & inſulæ natura, quæ prius, idem ſitus, iidem in illa venti ſpecie, eædem aquæ, idem cęlum, Sol idem, & eadem anni tempora. Cum itaque non amplius hæc Corcyræ obſeruentur, quæ Homerus dicit, ergo eorum cauſſa non erat ſola inſulæ natura, ſed alia accedebat cauſſa, quæ non alia eſſe poterat niſi Ars. Arte ergo quadam vſum fuiſſe Alcinoum arbitror, qua immortalem hortum redderet, aut ſane nobis fabulam narrat Homerus. INCLVS. Mihi valde arridet hæc opinio, crediderimque facile fuiſſe Alcinoo, medio Artis alicuius in illa regione tam mirabiles effectus operari, cum & apud nos non pauca ſimilia cernantur, non modo, vt tu ais, in fructibus præcoquendis, miranda, verum etiam in eorum figuris, atque coloribus immutandis. Quæ tamen omnia, & plura etiam felicius ſuccedere credendum Corcyræ, cum ibi Zephyrus ſæpe flare dicatur, qui ventus, quaſi ζωήφορος dictus eſt, vt pote τὸ ζῆν πᾶσι φέρων, eo quod ipſo flante plantæ omnes germinant ac pullulant, & augentur. Vnde & à Plinio dicitur nutricium exercere afflatu ſuo. Dicit enim Boterus ibi ventos meridionales abundare, quod nonniſi magno poteſt eſſe adiumento ad ea effecta præſtanda. *Lib. 18. Cap. 34.*

PROVID. Hæc quidem ſatis rectè dicuntur, attamen non arbitror anni tempora poſſe arte vlla ita mutari, aut eorum vires vſque adeo augeri, vt arbores tunc producant cum ſteriles eſſe deberent. INGEN. Ego vero cum Incluſo conuenio, non illud repugnare, ſed medio artis fieri facile poſſe, præſertim in calidioribus regionibus, cuiuſmodi eſt Corcyra. Non enim deſunt auctores magni nominis, qui facile eſſe inquiunt vuas verè producere, immo & omnibus anni temporibus. Hoc ſaltem verè fieri potuit in Alcinoi hortis ſi hic quoque fieri poteſt.

PROVID. Qui ſunt auctores iſti, aut qua ratione docent id fieri poſſe? INGEN. Auctor eſt Ioan. Baptiſta Porta, dicitque hunc in modum. Si verno tempore, quando ceraſum ſua gerere mala conſpicimus, nos tunc vuas optamus, ſic non deerit copia, vt ex Tarentini, & Pamphili elicitur dictis. Quando ab ijs gummi effluere deſijt, ne putreſcati, & vermiculetur, emuſcari iube lanuginem quandam, quæ obuallat arborem, officiet enim inſitis multum. Sit inſitio, quam emphyllismon vocant, ſic enim facilius coaleſcit. Arboris inde cortex relaxetur, & tenuis, validuſque cuneus inter lignum, & librum adigatur, ſed ſenſim leui manus libramento, ne corticis faſcia lædatur. Cuneo ſubducto ſurculus præacutus nigræ, & feracis vitis immergatur, & ligetur. Sic verè conſueto ceraſiorum tempore fenerabit vuas, cum cogatur ſubiecti trunci alimoniam ſurripere. Idem quoque piro, & malo facies, ſi diuerſis liber temporibus. PROVID. Hoc certè arcanum eſt mirabile, ſi vera hæc ſunt. INGEN. Franciſcus Boſius noſter hoc expertus eſt, & feliciter ſucceſſit. Quare iam vides nos poſſe vuas habere perpetuò, ſi diuerſis arboribus eadem fiat inſitio, alijs vuas verè, alijs principio æſtatis, in fine alijs eaſdem producentibus, iuxta proprium producendi tempus. Autumno verò ipſa vitis, per ſe ipſam vuas dabit. RROVID. Hieme vero, quomodo habebimus vuas? Hoc enim opus, hic labor. *In 1. Magiæ natur. cap. 1.*

INGEN.

INGEN. Hoc ipſum quoque idem auctor docet, qui ſic ait. At ſi quam voles ficum ſerotinam facere, cum iam minuti groſſuli fuerint, eos decutito; ſic alterum edens fructum in hiemem differt ſeram maturitatem, dummodo tempus ſuffecturum partui ſuperſit, & generare alias poſſit. Vuas poſſumus non diſſimiliter ſerotinas habere. Hæc Porta. Addo ego tempus ad ea peragenda ſuperfuturum Corcyræ ob innatam caliditatem. Quare iam vides impoſſibile non eſſe vuas habere, quolibet anni tempore. De ficubus etiam idem docet Porta, nos eaſdem autumnales vernas facturos, & biferas, eodem modo, quem & de vuis dixerat. Singulas vero nos præcoces habituros docet, & maturiores ſi columbaceum ſtercus, oleum, & piper indiderimus, & linierimus. Quare hoc modo perpetuas ficus quoque haberemus, non minus atque vuas, dummodo plantæ non deſint, quibus diuerſæ artes adhibeantur. Sic enim dum fructus ab vna decidunt, præ maturitate, in alia ſuccreſcant denuo, & in alia maturitati ſint vicini. Hoc autem in illis regionibus præcipuè euenire credēdum quæ ſui natura ſunt horum fructuum feraces, qualis eſt Corcyra. PROVID. Quid de malis, piriſque dicemus? Nam & de his Homerus aſſerit eos nunquam ibi deficere ſolitos, alio poſt alium erumpente. INGEN. Idem Porta inquit nos perpetuo fructus habere poſſe, ſi malum in citrium inſeratur, cum perpetuæ fęcunditatis toto anno ſit arbor, poma ſemper habens. Subnaſcentibus ergo alijs, nos & tempeſtiuè, & tardius habebimus. His arboribus, citrijs nempe, credendum eſt Alcinoum vſum fuiſſe, ad horti ſui perpetuitatem, cum talium arborum ſit illa inſula feraciſſima, fœcundiſſimas illas habens. Quare iam vides Prouide ſi loci natura, & ars rectè iungantur impoſſibile non eſſe hortum parare, cuiuſmodi ille erat Alcinoi. Quod ſi & apud nos quoque multa eiuſmodi mirabilia effecta producuntur, credendum eſt Alcinoum cum & inſulam aptiſſimam ad has artes adiuuandas, recipiendaſque nactus eſſet, arcana etiam ſecretiora, quæ hodie ignorantur ab hominibus conſecutum fuiſſe, quibus non hæc modo, verum etiam maiora naturæ miracula produceret. Ita vt minimè mirum ſit, ſi tam mirabilem hortum ipſe plantauerit.

Digitized by Google

ODISSEÆ
Sexto, verſu CLXVII.

Porro poſtquam hoc audiuit, ſacrum robur Alcinoi
Manu præhenſum Vlyſſem Prudentem, varium conſilio
Leuauit à foco.

Quid ſit Prudentia, & quomodo ſe habeat ad Morales Virtutes, ſecundum Ariſtotelem, cuius etiam Doctrina defenditur, & refelluntur Aduerſarij. Agitur & de conſilio, & oſtenditur qua ratione Vir Prudens dicatur abundare varietate Conſiliorum.

COLLOQVIVM XXIX.

ANONYMVS.

POTES, O Ingenioſe, optime intelligere quam ob cauſſam ego hic Lectorem noſtrum à legendo retardauerim. INGENIOS. Neſcio certè. ANON. Nonne mihi pluries ſignificaſti, te ſummopere deſiderare, vt in his noſtris colloquijs aliquando de Prudentia verba fierent: Habere enim te quam multa, quæ Ariſtotelicæ obijcias opinioni? INGEN. Fateor. ANON. Ergo accomodatiſſimus eſt locus iſte, pro huiuſmodi diſceptatione inſtituenda. Licet nulla ſit pagina in Odyſſea, quæ ad huiuſmodi tractationem nos nō inuitet, vbique Homero celebrante eximiam Vlyſſis Prudētiam. INGEN. Nunc quoque idem deſiderium manet. Eritque mihi gratiſſimum ſi hodierno colloquio de ipſa Prudentia tractemus, vt tandem videam an Ariſtoteles tantum aberrarit in cognitione eorum, quæ ad Prudēntiam pertinent, quantum nonnulli cenſent. ANON. Ego pro viribus nitar, vt tibi ſatisfaciam, idemq; puto & doctiſſimos hoſce viros facturos eſſe. TYTVS. Vt ego quoque intelligam diſputationem ueſtram, illud primum rogabo vos, vt dicatis mihi de qua Prudentia acturi eſtis. Anne de illa intelligitis, quam Ariſtoteles etiam irrationalibus animalibus tribuit, vt formicis, araneis, & apibus? ANON. Nequaquam. Metaphorica enim eſt illa prudentia, ad quam redigi etiam illa poteſt, quam pueri ab infantia præſeferunt. Neque etiam de illa intelligo, quæ verius ſagacitas, & verſutia nuncupatur, qua Diabolus etiam, & ſicarij Prudentes vocantur; ſed de illa Humana Prudentia loquimur hoc loco, quæ propriè ſumitur, & cum morali virtute coniuncta eſt, media quęrens pro attingendo honeſto. Quam definiens Ariſtoteles dixit eſſe habitum animi cum vera ratione coniunctum, ad ea peragenda conducens, quæ ad vitam bene degendam pertinent. INGEN. Hæc primum Prudentiæ definitio illa eſt, quam ego video magnopere dānari,

1. Metap. cap. 2.

nari,

nari, tanquam imperfectam, & quę nullo modo prudentiæ naturam explicet. ANON. Quis illam damnat? INGEN. Adoardus Gualandus Epiſcopus Ceſenas, in ſua Morali Philoſophia, Libro vndecimo. ANON. Quid obſecro dicit ille, in huius definitionis improbationem? INGEN. Recenſebo ſingula ordinatè, vt ſi forte illa reiicere uelis minus laborandum ſit tibi. Inquit primum, Ariſtotelem cum ſtatuiſſet Felicitatem nil aliud eſſe, quam operationem ſecūdum virtutem optimam, iure debuiſſe in progreſſu docere quonam modo ſingulæ actiones ſecundum virtutem exercendæ eſſent; de hoc autem nihil aliud dixiſſe, niſi eo modo agendum eſſe, vt recta ratio præſcribit. Hoc autem ſimile eſſe, ac ſi quis diceret, Medicum illum eſſe, qui ita ægrotum curat vt Ars dictat. Quo ſolo præcepto conſtat neminem fieri Medicum poſſe. Addit ſecundo, quod cum in libro 6. Ethicorum expectandum ab Ariſtotele videretur ut doceret, quo tandem modo ratio recta agendum eſſe præſcriberet, nihil tamen aliud dixiſſe illum, niſi rectam hanc rationem eſſe Prudentiam, quæ habitus eſt rerum agendarum cum recta ratione. At hoc non ſufficere ut lectores intelligant, quid & quo modo agere oporteat ut prudentes fiant, & felicitatem conſequantur. Sed idem eſſe, ac ſi quis dicens Medicinam eſſe artem curādi, exiſtimaret eius definitione ſe uniuerſam tradidiſſe doctrinam, qua ualetudo comparetur. quod quidem longe abeſt ab abſoluta artis traditione. Nuſquam igitur ait apparere apud Ariſtotelem quid, aut quomodo agere oporteat ut Prudentia imbuti optatum finem adipiſcamur. quod tamen noſſe illum oportet, qui Prudens futurus ſit. Tertio improbat in Ariſtotele, quod Prudentiam faciat Virtutem quandam non intellectus Actiui, ſed miſtam, quæque in utraque potentia cōſiſtat, Intellectu ſcilicet, & Appetitu. ANON. Vnde id colligit? INGEN. Ex eo quoniam ſecundum Ariſtotelem Prudentia dicitur appetitum dirigere. Et quoniam tunc rectam rationem eſſe Ariſtoteles ſtatuat, quando irrationalis animæ pars inſtructa uirtutibus, rationalem non impedit, quo minus ſuum officium exerceat. Quarto illud damnat, quod Ariſtoteles ait uirtutem facere propoſitum rectum hominis, principiumque conſeruare, qui finis eſt, & cuius gratia, Prudentiam uero illam eſſe, cuius opera optatum antea finem aſſequimur. Inquit enim prudētiam illam eſſe, per quam non modo media cognoſcimus, & inuenimus pro fine conſequendo, ut dicebat Ariſtoteles, uerum etiam per eandem cognoſcimus, & appetimus finem ipſum cuius gratia, & per eam rectè erga finē ipſum honeſtum diſponimur; non autem id virtus præſtat. Vnde concludit Ariſtotelem plura tribuere Morali uirtuti, quam oportebat. ANON. Huius poſitionis quænam affert fundamenta? INGEN. Quoniam, inquit, omnem appetitum cognitio præcedit, à qua pendet ipſa appetitio. Et intellectus actiuus requiritur ad electionem rectam, quæ à uirtute procedit, ut dicebat & Ariſtoteles ipſe. Quare ſicuti per eundem intellectum neceſſe eſt nos cognoſcere finem ipſum, ut erga ipſum rectè diſponamur per uirtutem, dicendum erit & prudentię opera, quæ intellectus ipſius uirtus eſt, nos & cognoſcere, & appetere finem ipſum. Tandem uero & illud damnat, quod inquit Ariſtoteles, prudentiam cum uirtutibus omnibus iungi, neceſſario,

Cap. 1. & 2.

Digitized by Google

neceſſario, ſicuti & virtutes omnes inter ſe iunctæ ſunt, & cum Prudentia; dicens & hic committi inanem circulum, alias ab ipſo reiectum, & prætcrea doctrinam hanc experientiæ repugnare. Non enim, inquit, inconueniens eſt, vt vna tantum quis, aut altera præditus cæteris careat. Quod factum probat non in ſingulis modo hominibus, verum & in populis ipſis. Plato enim Spartiatas fortes, ac temperantes uocat, iniuſtos tamen. Maſſilienſes iuſti ac temperantes habiti ſunt. Romani fortes ac iuſti. Suntque nonnulli meticuloſi, ſed liberales. Et hoc probat eſſe rationi conſentaneũ, quia cum virtutum habitus, ex frequentatis actibus fiant, & non confeſtim omnes, quaſi diuinitus infundantur, pauper, qui in actibus temperantiæ exerceri poteſt, in ijs autem, quæ ad liberalitatem ſpectant non poteſt, temperans forte, non tamen liberalis euadet, idemque de cæteris. ANON. Cum Auctor ille Prudentiæ definitionem ab Ariſtotele allatam damnet, debebat ipſe potiorem, magiſque conuenientem afferre. INGEN. Attulit. ANON. Quænam ea eſt? INGEN. Eſt, inquit, virtus, per quam qui ciuili facultate imbutus eſt nemini nocet non laceſſitus, iuuat quos poteſt. ANONYM. Docet ne quid quando, aut quomodo agere oporteat cum, qui velit Prudentis nomen conſequi, & dici neminem lædere, & omnibus prodeſſe, quibus poteſt? INGEN. Non docet, nec arbitror neceſſarium fuiſſe, cum id cognitu ſit facile. ANON. Cognitu facile, inquis? Mihi non magis hoc facile videtur, quam illud cognoſcere quod ipſe in Ariſtotelis definitione deſiderabat. Dic mihi, obſecro. Si ego omnia bona mea diſtribuens illis, quibus poſſum, nulla ratione habita temporis, aut perſonarum, ita iuuero quos poſſum, tribuens eis bona mea; dicarne prudens iuxta illius ſententiam? INGEN. Arbitror quod non. ANON. Et tamen neminem lędo, & iuuo quos poſſum. INGEN. Diceret fortaſſe te non iuuare decenter, neque ſecundum virtutem liberalitatis, ſed prodigalitatis errorem committere. Prudentiam vero illam eſſe, quæ omnes iuuat, ſed recte, & ſecundum virtutem quamlibet. ANON. Quid agendum mihi vt bona mea liberaliter, & prudenter diſtribuam? INGENIOS. Diceret te debere cum mediocritate, rectaque ratione donare. ANON. At hoc, quomodo agendum? quæ eſt hęc mediocritas? quomodo illam ego vnquam conſequar? Hoc neutiquam apparet in ſua illa generica, & vniuerſali Prudentiæ definitione. Incidit ergo in foueam quam fecit, idem erratum committens, de quo Ariſtotelem auſus eſt redarguere. INGEN. Dicet fortaſſe virtutem ipſam liberalitatis, eſſe habitum talem, cuius opera poſſit homo mediocritatem ipſam conſequi. ANON. At in idem recidet inconueniens. Nam expectandum erit denuo ab eo, vt doceat quomodo liberalitatem conſequamur. Præterea, quid opus erit ipſa prudentia? Aut quid aliud erit ipſa quam liberalitas? idem autem & de cæteris dicendum veniet virtutibus. INGEN. Iam incipio anguſtias experiri, ad quas hæc opinio compellitur. Certè enim ſi uelit Prudentiam a virtutibus aliqua ratione diſtinguere, neceſſe eſt vt dicat Prudentiam illam eſſe, quæ mediocritatem & decentiam in qualibet actione ſeruandam inueniat, & homini oſtendat, quam deinde agendo per virtutem ſeruet, atque ita honeſtum conſequatur. Video autem hoc in ipſam

Lib. 11. c. 2.

N recidere

recidere Ariſtotelis doctrinam. ANON. Rectè vides,& rectè ſentis. Amplius autem ſcias, me non ignoraſſe, quid ille Auctor de re hac ſcripſerit, ſed placuiſſe mihi ita te interrogare,ut tuam memoriam experirer. Nec magno labore omnia illius dicta refellam, & Ariſtotelis ſententiam confirmabo,dummodo ſciam me tibi,cæteriſque Academicis his rem gratam facturum. INGEN. De me non eſt quod dubites; iamdiu enim ſcis me iſtud ſummopere optare. Hos autem viros Doctiſſimos,cum ego uideam intentis oculis, & ore ſermonem tuum quietè obſeruare, arbitror eadem hac ipſa materia non minus delectari. Propterea rogo te ne amplius immoreris,ſed quamprimum tractationem hanc exordiaris. PROVID. Admiror te,Anonyme,quod tam ſiniſtrè de nobis ſentias,vt ſuſpiceris, quenquam noſtrum te non libentiſſimè, & ſumma cum voluptate auditurum. ANONYM. Exordiar ergo,annuentibus vobis omnibus. Dico itaque omnibus eſſe in confeſſo, vitam hominum per ſolas virtutes morales rectè peragi,illumque rectè viuere,qui ſecundum virtutem viuat. Virtutes autem morales nil aliud ſunt, ex omnium ſententia, niſi habitus quidam in irrationali animæ parte reſidentes,per quos ipſa facile operatur ſecundum decentiam illam, quæ homini probo conuenit. Vnde etſi virtutes in parte irrationali conſiſtant, non tamen in omni, ſed in illa ſolum, quæ cum ex ſe irrationalis ſit,poteſt tamen rationali parti obedire, & obtemperare. Pars ergo iſta nulla alia eſt niſi appetitus ſenſitiuus, qui diuiditur in Iraſcibilem, & concupiſcibilem. Huius ergo appetitus actiones illæ ſunt, quæ virtute morali perficiuntur. Atque de hoc non arbitror nullam eſſe debere controuerſiam. INGEN. Nulla eſt,quod ego ſciam. PROVID. At ego ſcio eſſe hoc valde controuerſum. Idem enim Gualandus aſſerit virtutum moralium ſubiectum non aliud eſſe,quam intellectiuũ appetitum, nullo modo ſenſitiuum. ANONYM. Hic quoque Ariſtotelem uexat? qua ratione? PROVID. Non aliam afferre uidetur mihi,niſi potentiam, quæ natura eſt irrationalis, cuiuſmodi eſt appetitus ſenſuum, non poſſe vllo modo rationalem reddi; fore enim ut propriam naturam mutaret.Et tamen negandum non eſſe, quod ſi appetitus ſenſuum rationi paret, & ſecundum rationem operatur,rationalis factus ſit,ſequitur enim rationis obiectum,cum tamen ipſe proprium habeat quod ſequatur. Hoc autem idem eſt, inquit, ac ſi quis dicat lapidem omiſſo centro, ad quod naturaliter deſcendit, ſurſum poſſe aſcendere,& circunferentiam petere. ANONYM. Tam abſurda ille ſcripſiſſe potuit? Hac ratione videtur exiſtimaſſe illam potentiam eſſe rationalem formaliter, & per eſſentiam, quæ in obiectum illud ferri poteſt, quod ſit ratione comprobatum; quod quam ſit abſurdum nemo non videt. Omne etiam imperium tollit, quod, Philoſophorum omnium conſenſu, rationali tribuitur parti, in rationis expertem; per quod imperium mens ipſa non modo cohibere irrationalem partem poteſt,ne mentem ipſam à propriis actionibus impediat; uerum etiam tanquam auriga quidam poteſt irrationalem ipſam impellere ad agendum plus minuſue,tanquam equum parentem ſibi. Neque intelligere uidetur non eam eſſe uirtutis moralis uim, ut appetitum inſtruat ad ea agenda,& intelligenda,

Ariſt. 1. Ethic. vlt.

Lib. 10. c. 8.

quæ

quæ ſunt ſecundum rationem; ſed tantum illud efficere, vt appetitus ipſe promptè rationis imperio pareat, quicquid illa præceperit. Hoc autem non eſt rationalem reddi formaliter, vt ipſe videtur intelligere, ſed ſolum (vt ita dicam) obedientialiter, quod non repugnat naturæ irrationali per eſſentiam. Vno verbo, hæc eſt omnium ferè Philoſophorum, & præcipue Ariſtotelis ſententia in primo Ethicorum, quod virtus Moralis in parte rationali per participationem ſeu obedientiam, conſiſtat. De qua re poſſem ego longam texere diſputationem, niſi temporis anguſtia ab ea re me cogeret abſtinere; & niſi ſcirem præſtitum hoc egregiè fuiſſe ab Excellentiſſimo Franciſco Piccolomineo, in quarto gradu à Cap. 7. vſque ad 15. Id ſufficiat dixiſſe Gualandi rationem nullius eſſe momenti, ad infringendam Ariſtotelis doctrinam. Quod enim ait irrationalem facultatem, non poſſe rationalem reddi, uerum eſt ſi in eo ſenſu intelligatur, vt quæ irrationalis eſt per eſsentiam rationalis per eſsentiam fieri non poſſit. At quod irrationalis non poſſit per acquiſitum habitum, rationalis fieri per obedientiam parendo rationali, hoc falſiſſimum eſſe aſſerimus, probarique ab eo debebat. Appetitus ergo ſenſuum cum per uirtutem implet mandata rationis non fit rationalis per eſſentiam, ſed per obedientiam; neque proprium deſerit obiectum formale, non enim concupiſcibilis vnquam fertur in aliud, quam in uoluptatem, ſiue aliud quiddam, quod ſtatuatur illius proprium obiectum. At quando concupiſcibilis rationi paret, feretur etiam in idem, puta in uoluptatem, ſed tunc illa uoluptas erit honeſta, & ſecundum rectam rationem. Appetitus ergo non propriè neque formaliter, & immediatè fertur in rectam rationem hanc, qua voluptas illa decoratur, ſed tantum fertur in voluptatem, quatenus eſt appetitus; & rationi paret, quatenus eſt virtute imbutus, quicquid tandem illa præceperit, dummodo intra limites, & cancellos proprij obiecti imperium maneat. *Cap. vlt.*

PROVID. Optimè intelligo, atque ita prorſus dicendum. Tu perge, & Ariſtotelem explica, & defende.

ANONYM. Sic faciam. Sunt ergo morales uirtutes in appetitu ſenſuum, perficientes illius operationes. Quæ perfectio eſt, vt modum rationi congruentem ſeruent. Cum enim ille appetitus minimè ſit rationis compos, euenit ut per eum nos ſimus ad varias perturbationes faciles, inconſtantes, & leues. Vnde re aliqua indigebat, quæ illum firmaret, recteque eius perturbationes (ſunt enim hæ operationes illius) componeret, & ſecundum rationem rectam illas efficeret. Atque res hæc uirtus eſt ipſa moralis, quæ habitus eſt eiuſdem appetitus, acquiſitus aſſuetudine, & per multos actus editos prius, ut ipſe quoque Gualandus aſſerit. Vitium autem ipſum quoque habitus eſt, ad actiones inclinans minimè rationi congruentes, & eodem modo comparatur. Eſt ergo uirtus moralis habitus in appetitu ſenſitiuo reſidens, per quam facile rationi paret, & illas operationes edit, quas recta ratio dictauerit. Quæ uero ſint hæ operationes ſecundum rectam rationem, expreſſe docuit in ſecundo Ethicorum Ariſtoteles, capi-

Digitized by Google

te ſecundo, quo loco uarijs rationibus docuit eas eſse quę mediocritatem ſeruent, neque ad nimium, neque ad parum declinantes. Vitioſas enim eſſe, vtcunque a mediocritate recedant. Neque hoc contentus, de duplici egit mediocritate in cap.6. De Arithmetica inquam quæ abſoluta eſt, ſtabilis, & firma, quæque reſpectu rei ipſius deſumitur; & de Geometria, quę ſecundum circunſtantias variatur, & eſt reſpectu noſtri, docuit autem mediocritatem, quam operationes appetitus ſeruare debent, vt rationi congruæ dicantur, eſſe Geometricam. Non enim ſemper eadem uia procedendum eſſe vt ſecundum virtutem operemur, ſed varia, & varia, ſecundum varietatem circunſtantiarum. Veluti & antea diximus uirum pauperem eandem patefacere liberalitatem poſſe pauciſſima largiendo, quam diues oſtentat largiſſime erogando, propter differentiam perſonarum. Cum itaque appetitus, ſecundum virtutem operans mediocritatem ſequatur rectæ rationi congruentem, extrema declinans, ipſe vero per ſe ipſum cognoſcitiuus non ſit, neque rectæ huius rationis capax, neceſſe erat in homine reperiri potentiam aliquam, quæ poſſet hanc mediocritatem inuenire. Hæc autem nulla conuenientius poterat aſſignari, quam intellectus ipſe, qui propria eſt, & peculiaris hominis ratio. Neque hoc ſatis fuit, ſed oportebat intellectum hunc habitu aliquo, & facultate roborari, per quam facile, & promptè mediocritatem inueniret ſeruandam in actione qualibet, ne eueniret aliquando vt probus vir, quique virtute præditus eſt, aut erraret à recto, aut data agēdi occaſione ipſe inſtar ſtolidi, & inertis in otio marceſceret, neſciens qua ſe vergat. Eſt ergo Prudētia intellectui data, per quā ipſe facile medium inuenit ſeruandum in ſingulis perturbationibus. Quo medio inuēto, virtus prōptè exequitur, amplectiturque modū illum, quē ratio dictauit. Recta itaq; ratio rerum agendarum hæc eſt Prudentia, quæ habitus eſt in mente conſiſtens, nō in appetitu ſenſuum, atque propterea virtus moralis non eſt, cum tamē ſit maxime illi coniuncta; Eſt.n. dux virtutum moralium, & vltimum Prudentiæ, eſt principiū virtutum. INGEN. Vellem te hoc magis explicare. ANON. Vide. Vltimū Prudentiæ eſt decretum, & ſententia, quæ præeligenda eſt; Præelectio autem, ſeu appetitio illius decreti eſt proximū, ac principale principium actionū à uirtute morali prodeuntium. Hinc patet, quam verū ſit id quod dicit Ariſtoteles 1.eq; Prudentiam ſine virtute morali, neq; virtutem ſine Prudentia poſſe conſiſtere. Hoc ſecundum patet, propterea quod in perturbationibus ſeruari congruens modus non poteſt, niſi Prudentia illum mōſtrante; Quod autem Prudentia neceſſario virtutem moralem requirat, ſic probatur. Cum enim illa ſit Habitus mentis inueniens per deliberationem medium ſeruandum in actionibus, illudque appetitui oſtendens; neceſſe erit illum, qui talem habitum ſit adepturus, primo ſibi finem honeſtum proponere, ſuæ conſultationis, atque erga illum eſſe rectè diſpoſitū; Neq; ſufficit ſi ſemel tantum ita ſit conſtitutus, ſi habitū prudentiæ uelit adipiſci, ſed oportet vt in tali diſpoſitione erga finē honeſtum, cōtraxerit habitū, vt ſemper in ſuis actionibus obeundis honeſtum ſibi proponat. At nemo ita eſt erga finē honeſtum

neſtum conformatus, qui præditus non ſit uirtute morali. Hæc enim ſola nos conſtanter,& firmos reddit in qualibet honeſta actione, & appetitione. Hinc ergo fit,ut nobis per virtutem rectè,& conſtanter diſpoſitis erga finem honeſtum, ratio deinde excitetur in actionibus omnibus ad inueſtiganda media pro eodem honeſto attingendo. Atque ita habitus ille comparatur,in intellectu,per quem facile, & promptè medium illud in qualibet actione reperitur;qui habitus eſt ipſa Prudentia. Virtus ergo ſine Prudentia exire in actum non poteſt; & ſine uirtutę Prudentia non acquiritur. Ob hanc adeo mirabilem connexionem factum eſt, vt Ariſtoteles in definitione virtutis Prudentiam quoque aſſumpſerit, & Prudentiam definiens finis quoque honeſti meminerit, erga quem nos virtus rectè diſponit. Ita vt quodammodo viſus ſit vti circulo in definitionibus. Quod quidem & ſi proprie circulus non ſit,ea tamen de cauſſa factum eſt, quia neque virtus ſine Prudentia,neque hæc ſine virtute poteſt conſiſtere. Patet ergo quid ſit Prudentia ſecundum Ariſtotelem, & quomodo ſe habeat ad Morales virtutes. Viſne Ingenioſe, ut oſtendamus,nihil officere Ariſtotelicæ huic doctrinæ,ea,quæ tu ſupra ex Gualando retuliſti. INGEN. Hoc tantum opto; nam in omnibus mihi omnino arridet hæc Peripatetica doctrina. ANON. Animaduerte itaque diligenter an ego cuncta eo ordine repetam, quo fuere propoſita. Dicebat primum non docuiſſe Ariſtotelem,quomodo ſingulę actiones ſecundum virtutem exerceantur, dixiſſe autem tantum debere illas agi ſecundum rectam rationem. Certè miror quamobrem Doctiſſimus vir ab Ariſtotele requirat,vt arte doceat ea, quæ in ſingularibus actionibus ſeruanda ſint; cum ars nullo pacto de ſingularibus habeatur. Quod ſi fortaſſe regulam quandam requirat uniuerſalem, ſecundum quam actiones ſingulæ dicantur agi rectè, & ſecundum virtutem nonne hanc videre potuit in ſecundo Ethicorum, capite ſecundo, quo loco Ariſtoteles pluribus argumentis oſtendit, actiones illas bonas eſſe,& ſecundum uirtutem,quæ mediocritatem ſeruauerint, vitioſas autem,quę vel excedant, vel infra mediocritatem conſiſtant? Clarius autem mediocritatem hanc explicuit in capite.6.dicens Geometriam eſſe,& reſpectu noſtri. Non ergo huiuſmodi præceptum, idem eſt, ac ſi quis dicat Medicum illum eſſe,qui ſecundum artem curat; ſed potius ac ſi dixiſſet illum ſecundum artem medicam curare,qui contraria contrarijs tollat. INGEN. Deſiderabat forte Gualandus, vt cum Geometrica mediocritas variabilis ſit iuxta varietatem circunſtantiarum, Ariſtoteles allatis omnibus actionum uarietatibus,unicuique ſuam mediocritatem aſſignaret. ANON. Non arbitror virum illum eo deuenire potuiſſe abſurditatis, vt ea,quę impoſſibilia ſunt,ab aliquo eſſet petiturus. Nouerat enim actiones in ſingularibus fieri,& infinitis modis variari poſſe,quos regulis comprehendere nemo poterat. INGEN. Tamen ego quoque ambigo, quid mihi agendum eſſet, aut qua uia intelligere poſſem nunc hoc,non illo medio utendum eſſe pro honeſto aſſequendo. ANON. Prudentia te docebit. Non tamen mathematica certitudine,ſed quatenus ſubiecta hæc materia variabilis, & inconſtans ferre poteſt. Nam & Ariſtoteles hoc præuidit, & propterea ingenuè faſſus eſt, ſe huiuſmodi doctrinam

2. Ethic. 6
6. Ethic. 5

2. *Ethic.* 2. non ſubtiliter tractaturum, ſed craſſa, ut aiunt, Minerua, rationibuſque probabilibus tantum; ſciens in his actionibus, quas moralis hec Philoſophia conformat nihil eſſe firmitatis, eaſque, cum ſingulares ſint, nec ſub artem, nec ſub præceptionem vllam cadere. Atque hinc quoque patet nihil illud obeſſe nobis, quod ait, Ariſtotelem imperfectè Prudentiam explicaſſe dicens, quod ſit recta ratio rerum agendarum. Hoc enim ſufficiebat ad Prudentiæ doctrinam noſſe cuiuſnam potentiæ hic eſſet habitus, & quodnam illius munus eſſet. Nam in quo conſiſtat recta ratio rerum agendarum, iam dixerat antea eſſe mediocritatem. Non tamen explicarat cuiuſnam facultatis, & habitus eſſet huiuſmodi mediocritatem inuenire. At hoc eſt Prudentiæ, quæ habitus eſt Intellectus actiui. Ad tertium facilis reſponſio. Etſi enim Prudentia appetitum dirigat, ſimplex tamen eſt habitus intellectus; non aliter atque auriga equos dirigens, non compoſitum animal eſt ex equo, & homine, ſed ſimplex eſt homo. Neque rectè idem colligit, dicens Prudentiam ideo virtutem eſſe miſtam quia tunc adſit, quando irrationalis pars inſtructa virtutibus, rationalis non impedit actiones. Nam vt hoc ſit verum, nil aliud neceſſe eſt, niſi uirtutem moralem neceſſario cum Prudentia eſſe coniunctam, quod nos libenter concedimus. Sic ars aurigæ nunquam in actum tranſit, niſi vbi equi paruerint, non tamen auriga ex equo componitur, & homine; ſed homo ſimplex eſt. Quarto negat virtutem moralem nos rectè erga finem diſponere, ſed id officium dicit eſſe Prudentię. Falſum eſt hoc. At inquit omnem appetitum præcedit aliqua cognitio. Fateor, neceſſe eſſe ut prius honeſtum cognoſcamus, antequam illud expetamus; Fateor & intellectum eſſe illum quo honeſtum illud cognoſcimus; at quod ex eo fiat ut per Prudentiam illud expetamus, non per uirtutem moralem, nullo modo concedam. Quæ enim eſt hæc conſequentia? Concedam quidem Prudentiam aſſumpto tanquam principio, communi bono, & fine de medijs conſultare; at quod per illam nos conſtanter erga illum rectè ſimus diſpoſiti, hoc uirtutis eſt proprium; ut oſtenſum ſupra. Ad ultimum de circulo, dico quod non uerè eſt circulus inter virtutem moralem, & Prudentiam. Prudentia enim non requiritur neceſſario, vt uirtus acquiratur, licet ipſa quoque ſimul cum virtute comparetur; ſed neceſſario eſt requiſita tantummodo ad actum ſecundum virtutis, ut ex dictis patet. At Prudentiæ habitus acquiri non poteſt ſine præexiſtente virtute, vt oſtenſum ſupra. non ergo propriè ille circulus eſt, neque una ex alia pendet in eodem genere cauſſæ, ut ille ſupponit. Tandem uero quod ait uirtutes morales non neceſſario ſimul iungi, & ſi id ſit aduerſus Ariſtotelem, diſtinctione tamen quadam indiget, de qua fortaſſe aliquando loquemur. Interim illud ſilentio pręterire non poſſum, quod ille recipit alacriter ex Platone Spartiatas fortes extitiſſe, ac temperantes, iniuſtos tamen. Hoc enim euidentiſſimè pugnat, cum ſua ipſius doctrina. INGENIOSVS. Qua ratione, obſecro?

Lib. 11. *c.* 3 ANONYMVS. Nonne ille ſtatuit Fortitudinem illam eſſe, quæ bonos honeſtatis cauſſa à malorum iniurijs armis tuetur, ut eis bona conſeruet, malis autem illa eripiendi uires adimat? Non ergo poterit uir For-

tis

tis alicui iniurius eſſe,neque bona iniuſtè adimere. Quomodo ergo Spartiatæ fortes ſimul erant, & iniuſti? Qui enim iniuſtus eſt, non alijs bona conſeruat,ſed ipſe malus exiſtens illa ſurripit. INGEN. Neſcio quid ad hoc reſpondere Gualandus poſſit. ANONYM. Quod poſtremo loco in huius confirmationem addit, dicens virtutes non neceſſario ſimul connecti, quia ex diuerſis actibus acquiruntur, facile ſoluitur, per ea, quæ Piccolomineus docuit, de modo quo acquiruntur Morales virtutes. Tribus enim modis in nobis gignuntur. Primum proprie, & proxime; idque aſſuetudine. Secundo per connexionem, & conſecutionem ex actione propria alterius virtutis ei iunctæ.Cum.n.morales uirtutes ſint complicatæ,nec una conſiſtere ualeat ſine reliquis(hoc deinde probabo,ne uidear principium petere) ob eam cōnexionem per actiones proprias unius,altera producitur.Tertio produci poſſunt per principia priora,nēpe per contemplatricem Philoſophiam;per quam cum mens verum intueatur, poteſt nos dirigere in attinentibus ad bonum. Congruens.n.diſpoſitio appetitionum ſenſus ſequitur rectam Mentis conſtitutionem,in homine per Naturā rectè affecto. Atque hoc modo gignuntur virtutes in nobis ſecundum eminentiā quandam.Hinc Plato,Alexāder,Simplicius,& Auerroes in Proœmio Phyſicorum aſſerunt ſpeculatiuam Philoſophiam parere probos mores. Vide Piccolomineum.Sic patet nihil labefactare connexionem virtutum, quod ipſæ ex frequentatis actibus gignantur, nam & alijs producuntur modis. TVTVS. Ego ſcire uellem, quamobrem Homerus cum Vlyſſem vocaſſet Prudentem,appellauit deinde eum uarium conſilio.

Grad.4. cap.17.

ANONYM. Hoc facile explicabo, & ſimul etiam præſtabo quod antea me dicturum promiſi de virtutum connexione. Fortaſſe & quæ dicta ſunt hactenus dilucidabuntur magis. Scias ergo Prudentiam nullo modo ſtare ſine Conſilio,ſiue Conſultatione.Inquit enim Ariſtoteles nos eos Prudentes in re aliqua uocare,qui in ea re conſilio plurimum ualent, & illum omnino Prudentem eſſe, qui conſilio polleat. Et iure quidem ita ſtatuit. Cum enim Prudentiæ munus ſit medium adinuenire,per quod honeſtum, *6. Ethic.5* in actionibus attingatur, certè illud nunquam inueniet, niſi prius inueſtigauerit. Talis autem inueſtigatio ad Mentem pertinet, & Conſultatio nuncupatur. Quæ ita definiri ſolet. Quod ſit inueſtigatio per rationem mediorum latentium, quæ ſunt in poteſtate noſtra, quæque ad nos pertinent,ut potiora inueniamus pro conſequendo fine.Dicitur inueſtigatio mediorum, ad differentiam finis ipſius, circa quem non uerſatur conſultatio. Cum enim conſultatio de illis ſit, quæ ſunt in noſtra poteſtate, ut mox dicam,non poteſt eſſe de fine ultimo noſtrarum actionum; Omnis enim noſtra actio ex neceſſitate finem ſuum quærit,& ad illum rēdit. Media tamen, quibus illum conſequimur uaria ſunt,& in noſtra poteſtate.

SITIC. Nonne uidemur aliquando in conſultationem ponere & finem ipſum, ut cum ambigimus, & meditamur cui uitæ generi applicare nos debeamus? Sanè uitæ genus finis ultimus eſse uidetur.

ANONYMVS. Non eſt tamen, neque ut talis appræhenditur, ſed vt medium quo nos poſſimus ſummum bonum,& Felicitatē adipiſci,

vt recte Piccolomineus annotauit, Conſultamus enim tunc temporis, quonam vitæ genere nos facilius poſſimus felicitatem conſequi. SITIC. Aſſentior. ANON. Dicebatur etiam in definitione; quæ ſunt in poteſtate noſtra, ad excludenda ea, quæ non poſſunt aliter ſe habere; de his enim non eſt conſultatio, ſed de his ſolum quæ cum aliter ſe habere poſſint, ſunt etiam in noſtra poteſtate. Non enim conſilium capimus an cælum moueatur, neq; an Chriſtianorum exercitus debeat Turcas fugare; ſed qua ratione diu viuere, aut diuites euadere poſſimus; hæc enim præterquam quod ſunt contingentia, ſunt etiam in poteſtate noſtra. Dicebatur, quæ ad nos pertinent;
7. Ethic. 7 ad excludenda ea, quæ nihil ad vitam noſtram bene degendam ſpectant, ſed ad alios tantum pertinent. Propterea Ariſtoteles prudentem deſcribēs, dixit eſſe qui rectè conſilium in ijs capere poteſt, quæ e re ſua ſunt, & omnino ad bene viuendi rationem pertinent. Terminatur autem hæc conſultatio ad dictamen illud, quo vnum medium cæteris præponitur. ita vt ipſa conſultatio ſit officium cognoſcentis facultatis. Vnde patet Prudentiam ſine conſultatione conſiſtere non poſſe. TVTVS. Hoc non illud eſt quod ego poſtulabam; ſed illud potius, cur Homerus dicat Prudentem virum abundare varietate conſiliorum. ANON. Scio; ſed non poſſunt omnia ſimul tractari. Neceſſe erat prius videre quid conſilium eſſet; iam vidimus. Nunc explicabo quomodo Prudens dicatur abundare conſilijs. Animaduertendum ergo Prudentiam dupliciter nobis competere; vel cum poſtrema ſui perfectione, vel cum imperfectione aliqua. De Prima Homerus intelligit, cum Vlyſſem prudentem vocat; & de hac ipſa intellexit Ariſtoteles in 6. Ethicorum dicens Prudentis proprium eſſe in ijs, quæ ſibi bona, & ex vſu ſunt, non ſigillatim, vt quænam ad bonam valetudinem, aut ad vires, ſed VNIVERSE, quę ad bene, beateque viuendum conducant conſultare poſſe. Quo loco expreſſe ſignificauit Prudentiam in ſua perfectione ſumptam, non in vna ſed in omni humana actione verſari, omnem dirigere, & perficere, & ex conſequenti cum omni virtute morali eſſe coniunctã. Prudentia vero cum imperfectione dici illa poteſt, quæ illis competit, qui cum non omnibus virtutibus ſint præditi, ſed aliqua tantum (ſcio quid antea promiſerim) in actionibus ad illam pertinentibus tantum Prudentes videntur, rectèque media decernunt, non in alijs; vt contingit illis, qui cum diu verſati ſunt in Arte militari, rectius pro eo actionis genere conſulunt, quam pro alio, Exactiuſque fortitudinem ſunt aſſecuti, quam Temperan-
6. Eth. 12 tiam, vt de Cæſare legitur, & Alexandro. Si ergo perfecta Prudentia ſecum iunctas habet omnes morales virtutes, neceſſario vir perfectè Prudens conſilijs abundabit, cum in quibuſq; actionibus, ad vnamquanque virtutem attinentibus optimè nouerit conſultare. Nam ſicuti virtutes ſpeciè differunt, ita & actiones ex illis prodeuntes ſpecie diſtinguentur, & ſimiliter diſtincta erunt illa conſilia, & media, quibus perfectum, & abſolutum in ſingulis aſſequimur. Alio enim conſilio vir fortis, vtitur pro honeſto attingendo, alio temperans, alio liberalis. Prudentia ergo, cum actiones omnes dirigat, neceſſe erit & virum Prudentem multa cognoſcere, multiſque conſilijs abundare. TVTVS. Prudentes ergo illi, qui vna tantum virtute pollent,

Digitized by Google

lent, quales Cæſarem dixiſti, & Alexandrum, non ita dicentur eſſe conſilio varij. Nonne? ANON. Ipſi quoque πολύμηται, ſeu ποικιλομῆται dicentur, & varij conſilio, ſed alia ratione. Vis ne illam dicam? TVTVS. Obſecro te. ANON. Scias ergo, quod cum virtus mora is ſit habitus ſeruans in perturbationibus mediocritatem cum conſtantia, mediocritas hęc, vt dictum eſt, in duplici differentia reperitur. Alia enim eſt Arithmetica, conſtans, ſemper eadem, minimèque variabilis; & reſpectu rei deſumitur. vt 4. medium eſt inter 2. & 6. Alia eſt Geometrica quæ conſiſtit in proportione hoc modo. Quod ſicuti 6. excedit 4. in proportione ſeſquialtera, ita 9. excedit 6. Erit ergo 6. medium Geometricum inter 4. & 9. TVTVS. Hæc omnia noui. Sed vellem exemplificari in propoſita materia de Perturbationibus, nō autem numeris, vt plerique faciunt. ANON. Ego exemplificabo. Nonne putas inter omnium hominum iras reperiri aliquam, quæ ſit omnium vehementiſſima, & aliam, quæ ſit leuiſſima? TVTVS. Quid ni? ANON. Illa ergo Ira, quæ medium ad amuſſim locum inter illas tenuerit in leuitate, & vehementia mediocris dicetur Arithmeticè. At illa dicetur mediocris Geometricè, quæ conuenit, & benè aptatur circunſtantijs rei. TVTVS. Hoc non eſt intellectu facile. ANON. Declarabo me ipſum. Ira, quam quis exercere deber aduerſus eum qui Patrem percuſſerit, aut Patriam prodiderit, vehementior certè eſſe debet, quam illa, quæ conueniat in eum, qui verbis tantummodo laceſſiuerit aliquem. Nonne? TVTVS. Proculdubio. ANON. Vtraque tamen mediocris erit Geometricè. Quia ſicuti hæc leuis ita bene aptatur leui iniuriæ, ita illa vehemens conuenit vehementi. Eodem modo & de reliquarum virtutum actionibus, & mediocritatibus res venit intelligēda. TVTVS. Planiſſimum certè eſt exemplum iſtud. ANON. Quando ergo dicimus uirtutem moralem ſeruare mediocritatem in actionibus, de Geometrica intelligimus, non de Arithmetica. Hinc conſtat, quod quis in diuerſis mediocritatibus eandem poteſt virtutem pateſacere, & æque perfectam, iuxta diuerſitatem circunſtantiarum; ſic Ariſtoteles dicebat eum qui in tenui fortuna ſit conſtitutus, quamuis parum largiatur, eandem tamen liberalitatem oſtendere, ac ſi multum det, iam ditior factus. Cum itaque hæc Geometrica mediocritas ſit mutabilis, iuxta varietatem circunſtantiarum, oportebit & illum, qui vna virtute ſit præditus, ea etiam eſſe Prudētia, quæ conſilijs abundet. Cum enim ſua ille virtute vti poſſit ſecundum varia tēpora, & conditiones varias, in quibus & actionum circunſtantiæ mutantur, neceſſe erit illi varia cognoſcere media, variaque conſilia, vt quæcunque tandem ſe ſe offerat occaſio illam virtutem exercendi, ipſe ſciat medium adinuenire in ſuis actionibus ſeruandum, vt ſemper ſecundum virtutem illam, honeſtum conſequatur. Quamobrem ſiue de exactè Prudenti viro loquamur, ſiue de non exactè tali, ſemper verum eſt Prudentem virum multa conſilia poſſidere, & vt ait Homerus ad varia ſe ſe accōmodare. Quamuis exacte Prudens omnia illa contineat recta conſilia, quæ & imperfectus, & alia inſuper, ſicuti, & pluribus eſt præditus virtutibus. SITIC. Ne ſucceñſeas, Anonyme, ſi dixero te in euidentē contradictionem incidiſſe. ANON. Imuno tibi gratias habebo ſi mihi illam indicaueris. SITIC. Dixiſti parum

antea Prudentiam imperfectam cum vna virtute tantum conſiſtere poſſe, cum tamen antea pollicitus fueris te euidenter oſtenſurum virtutes omnes inter ſe connecti, ita vt vna ex alterius actione reſultet. A N O N. Si accurate meum ſermonem obſeruaſſes, ò Princeps, vidiſſes me non incautè in huiuſmodi apparentem contradictionem incidiſſe. Quam tamen vt videas nullius eſſe momenti, iterum aſſero & virtutes omnes ſui natura connecti inter ſe, & vnam ex alia conſequi; & ſimul aio poſſe ab inuicem ſeparari, ſi tamen hoc eadem cum diſtinctione intelligatur, quam & antea Prudentiæ aptauimus. Virtutes enim ipſæ quoque bifariam nobis competunt, vel ſecundum exactam ſui perfectionem, vel cum imperfectione aliqua. Illa dicitur virtus exactè perfecta, cui nihil deeſt pro honeſto rectè, conſtanterque attingendo. Nulla autem virtus poteſt hoc pacto omnibus eſſe numeris abſoluta, quæ non cum cæteris virtutibus omnibus ſit coniuncta. Ipſæ enim virtutes omnes mutuo ſe perficiunt, ſibique opem ferunt. S I T I C. Oſtendendus eſſet modus. A N O N. Oſtendere poſſem multifariam, multiſque modis, ſed eo contentus ero, quod cuiuslibet virtutis actio requiritur ad perfectionem alterius. Eſto enim vt quis ſit Temperans, minimè autem Liberalis, & illi offeratur magnum auri pondus vt inhoneſta voluptate fruatur; aut non fruetur; atque ita cum reſiſtentia id fiet, non cum voluptate, repugnante Auaritia; vnde non ſecundum virtutem abſtinebit; quæ enim ſecundum virtutem fiunt, cum voluptate fiunt: aut ſi fruatur, temperans non erit amplius, cum non conſtanter agat ſecundum virtutem. Hæc itaque ſumma perfectio virtutis, non tantum pendet ex intrinſecè pertinentibus ad ipſam virtutem, verum etiam ex ijs, quæ ſunt extrinſeca; quia hæc quoque actiones alterius virtutis perficiunt. Vt allato exemplo Auaritiæ conſtat. Quæ cum ſit extrinſeca temperantiæ, lædit tamen illius operationem. Patet ergo non poſſe virtutem vllam eſſe intrinſecus, & extrinſecus abſolutam, niſi cum cæteris virtutibus omnibus ſit coniuncta. Virtus porro quæ non omnino perfecta eſt, poteſt ipſa ſola ſine alijs conſiſtere. Talis autem dicitur illa, quæ illas tantum conditiones, & (vt ita dicam) formalitates continet, quæ pertinent intrinſecus ad ipſius eſſentiam conſtituendam. Sunt autem hæc Conſtantia, Prudentia, Electio, Honeſtique deſiderium. Conſtantia quidem quia ſi Virtus eſt, ergo eſt habitus. Prudentia, quia illam ſequitur. Electio, quia eſt habitus electiuus. Honeſti deſiderium, quia honeſtum eſt finis illius. Huiuſmodi virtus licet à proprio contrario non poſſit, niſi maxima deijci cum difficultate, eo quod intrinſecus perfecta eſt; dicitur tamen imperfecta, quia illis deſtituta eſt auxilijs, quæ extrinſecus illam roborant, atque perficiunt. Talia autem auxilia ſunt virtutes reliquæ. Temperans igitur de quo modo loquebamur, nunquam errabit à ſcopo, victus à proprio contrario aliquo, non enim vlla voluptas tactus, vel guſtus poterit vnquam illum cogere, vt intemperanter agat; poterit tamen id efficere contrarium alterius virtutis, qua careat. Vt allato exemplo patet; vbi obiectum Auaritiæ, Temperantiam deſtruit. Vides ne S I T I C V L O S E, quomodo vtrunque ſit verum, & virtutes omnes inter ſe connecti, & non connecti?

necti? SITIC. Optimè video, ſicut tu quoque exactè, & luculentiſſimè omnium videris mihi rem hanc explicaſſe. INCLVS. Ego quoque neſcio quid deſidero, in hoc tuo diſcurſu, Anonyme. ANON. Quid? INCLVS. Dixiſti ſæpius Prudentiam virtuti morali medium illud præſcribere, quod agendo ſeruet. Hoc videtur aduerſari Ariſtoteli; qui *9. Eth. 13.* dicit Prudentiam verſari circa media, pro honeſto attingendo. At medium illud, quod virtus ſeruat agendo eſt finis eiuſdem virtutis, & in eo poſitum eſt honeſtum, quod à virtute quæritur.

ANON. Subtiliſſima, acutiſſimaque dubitatio. Quæ tamen non *Picc. grad.* difficulter ſoluitur. Dico enim finem virtutum duplicem eſſe, vnum *5 cap. 37.* quidem communem, alterum proprium. Finis Communis eſt ſummum bonum confuſe, & uniuersè ſumptum. Proprius uero illud eſt definitum, ac peculiare honeſtum, in medio poſitum, quod proximè, atque diſtinctè, a diſtinctis uirtutibus quæritur. Hac diſtinctione ſtante, dico utrumque uerum eſſe, & Prudentiam circa media uerſari, ut inquit Ariſtoteles, & inſuper eandem præſcribere uirtutibus omnibus medium illud, quod ipſæ ſequantur, & in actionibus ſeruent. Hoc enim medium, quod à Prudentia præſcribitur, quique finis proprius uirtutum dicitur, habet rationem medij, pró conſequendó ſummo bono, Beatitudineque attingenda.

In tantum enim nos mediocritatem in actionibus ſingulis ſeruare ſtudemus, inquantum ſimili uia arbitramur nos felicitatem conſecuturos. Ideo Prudentia aſſumpro tanquam fine communi bono, communique fine, de cæteris, ut de mediis rectè conſultat, & circunſcribit. Quæ tamen media ſunt Fines proprij virtutum Moralium. Atque ita patet ſolutio difficultatis.

ODYS-

ODYSSEÆ

Septimo, Verſu CCXXX.

Sed me quidem cenare ſinite, quamuis dolentem,
Non enim odioſo uentre peius aliud
Eſt. Qui iubet ſui recordari ex neceſſitate:
Et ualde afflictum, & in membris dolorem habentem.
Sic ut ego dolorem quidem habeo mentibus, hic autem ualde ſemper
Comedere iubet, & bibere, & me omnium
Obliuiſci facit, quæ paſſus ſum, & repleri iubet.

Agitur accuratè de cauſſis Famis. Et cauſſa oſtenditur, cur ſolus venter inter cætera membra illam ſentiat.

COLLOQVIVM XXX.

INGENIOSVS.

PROFECTO Eximius uates hoc loco graphicè depingit magnam Famis, uentriſque eſurientis importunitatem, qui nullis aduerſitatibus uictus, nullis doloribus humanis preſſus, nunquam officij obliuiſcitur ſui, ſed ſemper alterutrum agit. Vel enim quæ ingeſta ſunt alimenta atterit, & in chylum conuertit, aut exinanitus iterum poſtulat ingeri, ut denuo repleatur. Qua in re ualde uidetur moleſtus eſſe, ita ut omnium quodammodo obliuiſci faciat, una excepra comeſtione, & repletione ipſius. Ego hic Lectorē noſtrum retardaui, non quod his uerſibus aliquid reconditū contineatur, ſed quia anſam præbent multa de Fame tractandi, quæ ſcio apud Philoſophos, & Medicos eſſe ualde conuerſa. Adhuc enim ſub iudice eſſe uidetur lis illa, in qua de immediata cauſſa famis agitur; nec ſatis ut puto conſtat, quamobrem ſolus uenter, uel illius officium inter cæteras animalis partes illam patiatur. Quorum omnium ſpero nos dilucidationem inuenturos ſi more noſtro parumper de hac ipſa re diſſeramus. PROVID. Quid? quod neque in ipſa famis definitione & natura conueniunt Ariſtoteles, & Galenus; illo reponente eam ſub appetitionis genere, hoc autem
2. Animę faciente illam ſenſationem quandam. Ariſtoteles enim inquit famem ap-
cap. 3. petitum eſſe calidi, & ſicci; Galenus uero in primo de cauſſis ſymptomatū
Cap. 7. ait famem eſſe ſenſum ſuctus factum in ore uentriculi INGEN. Hæc quoque non ſpernenda eſt difficultas, & controuerſia, quanquam ea duo neceſſario concurrant in fame. Non enim unquam quis fameſcit, qui cibum non appetat, calidi & ſicci nomine nuncupatum ab Ariſtotele; nec aliquis cibū

appetet, qui ſenſum ſuctus non patiatur in ore ventriculi. INCLVS. Scis Ingenioſe neque me, neque Principem noſtrum vnquam operam Medicinæ dediſſe, ad quam huiuſmodi diſputatio pertinere videtur. Quare grauati non debebis, aliqua etiam noſtri gratia repetere, quæ Medicis fortaſſe vulgaria videbuntur. Hoc ea de cauſſa dico, propterea quod cum tanquam notiſſimum receperis in fame concurrere illa duo appetitionem calidi, & ſicci, & ſenſationem ſuctus, nollem te ita cito pertranſiere, ſed nos quoque docere, quomodo hæc intelligas. SITIC. Nunc ego quoque de hac ipſa re ipſum rogaturus eram; nam vt ingenuè fatear neque quid ſit ſenſus ſuctus intelligo, neque qua ratione cibus calidus & ſiccus dicatur ab Ariſtotele ſatis mihi notum. INGEN. Libentiſſimè vobis morem geram. In famis itaque generatione quinque reperiuntur actiones, & corporis alterationes, quas Medici ſymptomata Græco ſermone vocare conſueuerunt Quæ alterationes, ſeu ſymptomata ordine quodam ſe deinceps conſequuntur. Harũ prima vacuatio eſt quædam, qua animal cute tenus in ambientem aerem digeritur. Hanc euacuationem ſequitur ſecundum ſymptoma, nempe appetentia naturalis euacuatarum partium, per quam appetentiam partes ipſæ ſecundum vim ingenitam ipſis attrahunt ex proximis ſibi ſimile alimentum. Succedit tertio ipſa ſuctio ventris, quæ ex continua illa attractione conſurgit. Sicuti enim partes, quę in extimo ambitu ſunt, euacuatæ trahunt alimẽtum ex proximis, ita hæ ex alijs ſibi proximis, & ſic deinceps, donec tandem ad venas, quæ ad ventriculum pertinent euacuatio peruenit; quæ tanquam radices quędam ex ventriculo nutrimentum trahunt, qui ventriculus ita ſe habet in animalibus, ſicuti & in ſtirpibus terra. In eo tantum differentia eſt, quod terra perpetuo paratum alimentum rigantis ritu ſubminiſtrat, ventriculus autem, vbi à trahentibus partibus fuerit exiccatus, alimentum non habet vltro, quo ipſe repleatur, niſi animal comedat. Vnde natura quartum ſymptoma concitauit, quod eſt ſenſus penuriæ ventriculi. Sentiens enim animal penuriam in ventriculo, à continua ſuctione concitatam, excitatur ad appetendum cibum. Et hæc appetentia animalis conſequens ſenſum penuriæ in ventriculo, quintum eſt, & vltimum ſymptoma; quod reperitur in fame. Ex his autem quinque ſymptomatis, primum animalibus ineſt; quatenus conſtant ex calido, & humido, & communicant cũ rebus externis; quod commune eſt & mixtis omnibus, quæ plus minuſue partim à proprio calore, partim à cauſſis externis diſſipantur. Secundum, & tertium conueniunt illis, quatenus vi vegetabili ſunt prædita, communicantque cum plantis. Quare & inſtar plantarum ſunt ſemper in actu ſecundo. Quartum, & quintum inſunt illis vt ſenſu ſunt prædita. Appetentia enim illa poſtrema, quæ ſenſum ſuctus, ſeu penuriæ conſequitur, animalis operatio eſt, toto genere diſtans ab illa priore naturali. Conſtat ergo ex his neque appetentiam cibi, quam propriè famem eſſe dixit Ariſtoteles, ſine ſenſu penuriæ; neque penuriæ ſenſum, qui vere fames eſt ſecundum Galenum ſine appetentia cõſequente poſſe conſiſtere. SITIC. Neſcio quid de te dicam Ingenioſe. Parum antea magnam dixiſti controuerſiam eſſe de cauſſa famem excitante, & tamen nunc tot illius cauſſas recenſuiſti, vt euidentiſſimè

tiſſimè conſtet apud te nullam huius rei controuerſiam eſſe. INGEN. Rectè re,an ſecus ego de hac materia ſentiam,aliorum eſto iudicium. Quod autem res admodum ſit controuerſa, non de qualibet famis cauſſa intellexi, ſed de proxima, atque coniuncta. Nam ſi fames ſit ſenſus quidam, vt Galenus dicebat, obſcurum eſt quidnam ſit proprium obiectum ſenſationis illius. Si vero ſit appetentia animalis, cum ex triſti ſenſatione oriatur, ignoratur quænam ſit illa ſenſatio,ad quam illa conſequitur.SITIC.Nonne dictum eſt ſenſationem hanc eſſe penuriȩ,& indigentiȩ ventriculi? Dicam ego hanc indigentiam ferire ſenſum,& famem excitare.INGEN.Tu, qui Philoſophus es,& Princeps Academicæ Philoſophicæ noſtræ,hȩc poteris pronunciare? An ignoras famem eſſe dolorem quendam moleſtiſſimum, indigentiam autem non poſſe moleſtam dici, neque dolorem parere? Hæc indigentia,mi Siticuloſe,priuatio eſt quȩdam,neque per ſe ſentitur, ſed per accidens tantum. At illud quod dolorem aptum eſt concitare, res debet eſſe poſitiua,propriam habens actiuitatem,quȩ celeriter ſenſoriū alterans,atque corrumpens,triſtem faciat ſenſationem. At nulla priuatio id efficere eſt apta. Quod enim ſenſorium tactus corrumpere eſt aptum,id aliqua primarum qualitatum, eaque excellenti præditum eſſe debet,aut ſal-

Gal. 7. de Placit. 14. tem illarum vna,quæ ſenſu tactus percipiuntur,vt ſunt acutum,obtuſum, aſperum,lene,vel aliud ſimile;quorum nullum eſt indigentia,aut omnino priuatio. ANONYM. Ego aliquando Medicum quendam audiui, de hac re loquentem,qui aſſerebat obiectum ſenſationis huius moleſtæ,eſſe frigiditatem cuiuſdam melancholiæ, quæ perpetuo à ſplene ad ventriculum tranſmittitur. Hoc autem magna cum emphaſi perſuadere nobis conabatur.INGEN.Noui ſciolum illum. Errabat Anonyme. Non modo quia melancholia, quæ à ſplene in ventriculum eructatur, perpetuo, & æqualiter eructatur, fames autem ſuccedit per certa temporis ſpatia: verum etiam quoniam hæc ipſa melancholia & ſi aliqua ratione concurrat ad famis generationem,non poteſt tamen eam immediate cauſſare.Patet hoc ipſum ex obiecto ipſius appetentiæ.Fertur enim appetitus ille in alimentum,quatenus eſt aptum replere ventriculum.Orietur ergo ex illa ſenſatione,qua cognoſcimus eiuſdem alimenti defectum, & inanitionem. Appetimus enim ea,quibus priuamur; & appetitu ſenſitiuo ferimur in illud, cuius defectū, vel contrarium percipimus ſenſu. Conſtat autem neque melancholiam, neque illius frigiditatem propriè opponi alimento, aut repletioni, neque poſitiuè,neque priuatiuè.PROVID.Equidem ſi Medicus ille ſeriò loquebatur,parum verſatus erat in Philoſophia.ANON.O ſi ſcires quantum ſibi tribuat, quantumque cæteros omnes paruipendat,obſtupeſceres. PROVID. Noui hominem.O ſi tu quoque ſcires quo in numero habeatur à doctis viris omnibus, quotquot illum cognoſcunt,diceres illum ſimiam eſſe Medicorum.Sed omittamus hoc hominum genus Ingenioſe,vt ad rem noſtram redeamus, dicerem ego ſenſatum illud dolorificum, quod à ventriculo fameſcente percipitur,eſſe ventriculi ipſius diuulſionem,ſeu ſolutionem à ſuctu vaſorum factam.Hȩc enim ſola videtur poſſe ſentiri.INGEN. Addis ne aliud? PROVID. Non aliud. INGEN. Neque tu videris mihi

ſcopum

ſcopum attigiſſe. Si enim ſola continui ſolutio famem facit immediate, cur non omnis ſolutio idem facit? Cur cæteræ quoque corporis partes cum ſecantur, aut vulnerantur non fameſcunt? Adde, quod ſi à ſuctu ventriculi continuitas ſoluitur, conſumptis eius partibus; multo magis eiuſdem continuitas deberet eſſe diuulſa in conualeſcente; atque adeo, vt vna cibi ingeſtione non videatur poſſe emendari; & tamen vbi cibis plena fuerit interna ventriculi capacitas continuo fames ceſſat. PROVID. Hoc meam non deſtruit opinionem. Propterea quod diuulſio illa, quam venæ ſugentes pariunt in ventriculo, quamque ego dico famem concitare, illa eſt tantum, quæ chyli conſumptionem conſequitur intra ventriculi inanitates. Propterea etiam in conualeſcente genito chylo, fames ceſſat, licet in talibus ventriculus gracillimus ſit in propria ſubſtantia. INGEN. Nil valet hoc ſubterfugium. Eſt enim vnicuique conſpicuum in diuturna fame propriam ventriculi ſubſtantiam conſumi, & quo magis conſumitur, eo vehementiorem fieri famem, ita vt euidentiſſimè conſtet tam defectum propriæ ſubſtantiæ alimentalis ventriculi, quam humiditatis chyloſæ poſſe appetentiam facere. Scias tamen ò Prouide, hanc tuam ſententiam maximè omnium (meo quidem iudicio) ad veritatem accedere. PROVID. Vt video, verſatiſſimus es in huiuſmodi materijs; propterea vt ego quoque ſciam quantū ad veritatem acceſſerim, tu tuam, quamprimum aperito ſententiā. INGEN. Aperiam ea lege, vt vos quoq; libere dicatis, qualenam veſtrum de illa ſit iudicium. Dico ergo quod fames vel dolor eſt quidam, vel non eſt ſine dolore. Hoc eſt euidentiſſimum. Quærere ergo oportet, quænam ſit immediata cauſſa doloris huius. Quod vt innoteſcat, notandum erit ex Hippocrate, Platone, atque Galeno, dolorem ex illis rebus eſſe, quæ naturam ſuam habent in fieri, vt motus, & tempus; non autem ex illis quæ naturam habent permanentem, vt domus, aut albedo. Dolor enim eatenus fit, quatenus natura alteratur. At poſtquam aliquid iam alteratum eſt, corruptum, aut diuiſum, non amplius dolorem infert. Vnde colligitur & in fame triſtem illam ſenſationem, quæ percipitur, non aliter triſtem videri, niſi dum fit illa mutatio, quæ triſtis eſſe iudicatur, non autem poſtquam facta eſt. Cum autem negari non poſſit, moleſtam illam ſentationem, quæ in fame percipitur, eſſe ſenſationem euacuationis, ſeu penuriæ ventriculi, (illius enim oppoſitum, quod directè appetimus eſt repletio) ſequitur tunc tantum famem ſentiri, atque moleſtare, quando ſuctio fit ventriculi, & euacuatio; nō poſtquam facta eſt. Fameſcit ergo homo tamdiu, quandiu percipit ventriculum exinaniri. Quod ſi fieri poſſet, vt poſtquam magna ſuctio facta eſt, tandem illa ceſſaret, etiam nullo aſſumpto cibo, fames quoque ipſa deſineret, quantumuis ventriculo indigente. Cuius rei cauſſa eſſet, quod ſuctio non fieret amplius, atque ita nulla eſſet ſenſatio triſtis, quæ in continuo fluxu habet eſſentiam. Rectè ergo Galenus dixit ſenſum hunc triſtem eſſe ſenſum ſuctus, ſic innuens obiectum ſenſationis huius eſſe ipſam ſuctionē, & inanitionem ventriculi. SITIC. Nondum exactè percipio, quomodo huiuſmodi ſuctio, ſentiatur vt moleſta. INGEN. Scio te experiri velle ingenium, & doctrinam meam, & ideo te ita fingere; dicam tamen, quod ſicuti

Lib. de locis in homine. In Timeo. 1. de ſymp. cau. 6.

ventriculo

ventriculo fameſcente, ſi contingat illum bono alimento repleri, talis repletio fiet cum voluptate, ita quando plenus exiſtens aliqua de cauſſa euacuatur, veluti cum venæ ſugunt ab eo, neceſſe eſt illud cum triſtitia fieri, eo quod ab eo recedat ſuccus ille, quo ipſe delectabatur. Suctio igitur dicitur moleſtè ſentiri, quia receſſus illius dulcis ſucci, & amici ventriculo ſentitur dum ipſe ventriculi ipſius ſubſtantiam deſerens, ingreditur ſugentes venas. SITIC. Huiuſmodi receſſus videtur mihi eſſe priuatio quædam. INGEN. Immo eſt verè. SITIC. Non poterit ergo triſtem vllam ſenſationem parere, vt quoque ſupra de inanitione aſſeuerabas. INGEN. De inanitione iam facta intelligebam, non de ea quæ fit. Neque ſuctus iſte, ſiue receſſus alimenti à ventriculo famem facit aliter, niſi dum fit. Qui enim iam factus eſt non ſentitur. SITIC. Quicquid dolorem facit, debet aliquid eſſe poſitiuum, vt antea dicebas. non ergo ſuctus iſte ſenſationem triſtem faciet. INGEN. Certè obiectum triſtis ſenſationis vel quid erit poſitiuum, vel nō ſine poſitiuo. Priuatio autem eo modo moleſta eſt, quo & ſentitur. Sentitur vero non per propriam ſpeciem ſed per oppoſitam. SITIC. Hoc optimè noui. Nam & Ariſtoteles docuit cuiuſque ſenſus officium eſſe non modo proprium obiectum cognoſcere, verum & per idem obiectum eiuſdem priuationem percipere. Viſum enim iudicare inter lucem & tenebras, auditum vero inter ſilētium ſonos; & nigrum apparere licet ſit negatio, quia viſus deficit. Et ſcio etiam Galenum dicere planiciem corporis tactu dignoſci priuatione illius aſperitatis, ſeu perforationis, quam corpus aſperū imprimit. INGEN. Sic ergo & os ventriculi acutiſſimo ſenſu præditum, ſicuti ſentit cum voluptate aduentum alimenti; ita cum à proprio ſuauiq; ſucco, quod cōtinebat deſeritur, ſentit priuationem illam, per receſſum ſui oppoſiti poſitiui, & triſtitia afficitur priuatione illius voluptatis, quam percipiebat ex eiuſdem ſucci præſentia. Hinc ergo fit, vt contraria repletio quæ fit alimento, apprehendatur vt bona, ſicque appetitus inſurgat ad alimentum expetendum. SITIC. Iam optimè omnia intelligo. Sed vnde fit, vt acida omnia ſoleant nobis amiſſam appetentiam reuocare? INCLVS. Pulcherrimum Problema. INGEN. Quia ventriculi humiditatem ſubſtantificam, & chyloſam conſumunt, & exiccant acida omnia, ideo appetentiā pariunt, & ſenſum ſimilem ſenſui ſuctus. Sunt enim acida ſubſtātia tenuis, & ſicca poteſtate. Quo fit vt tenuitate quidem in intimos poros penetrent ventriculi, ſiccitate vero humiditatem illius depaſcantur. SITIC. Hoc ergo multo magis efficere deberent amara & acria quæ cum tenuia ipſa quoque ſint, & ſicca magis, calida etiam ſunt, vnde maiorem humiditatis conſumptionem efficere deberent, & vehementiorem famem concitare. INGEN. Amara, & acria appetentiam non reuocant, vt acida, propterea quod ſuo calore humiditates colliquant. Quibus deinde cum repleantur pori, & inania ſpatia ventriculi, fit vt ipſe minimè defectum, neque ſuctionem ſentiat. Acida vero corrodunt ventriculi ſubſtātiam, & humiditates exiccant abſque colliquatione, ideo ſenſum ſuctus pariunt, vel ſimilem illi, quia ſaltē ſenſum defectus excitant. PROVID. Nonne antea confeſſus es Ingenioſe, venarum radices è ventriculo ſugentes famem concitare, ſiue chylum ex ipſo

2. Anima tex. 103. et 138.
3. Meteorum.

ipſo ventriculo fugant, ſiue alimentalem illius ſuccum rapiant? INGEN. Hoc ipſum aſſerui dum tecum diſſererem. PROVID. Rem ego intimius modo conſiderabam, tandemque reperi tuam hanc ſententiam ſuſtineri nullo modo poſſe. Scilicet quod vtriuſque ſucci, ſeu humiditatis ſuctio æquè poſſit famem prouocare. INGEN. Quæ ratio id monſtrat?

PROVID. Duæ ſunt potiſſimæ. Prima eſt, quoniam ſequeretur hoc abſurdum, quod vnius famis, duæ eſſent immediatæ cauſſæ, ſpecie differentes; idque in eodem genere cauſſæ; quod dici non debet. Patet conſequentia. Quoniam ſpecies ſuctus, ſeu euacuationis variatur iuxta materiæ differentiam, conſtat autem chylum ſpecie differre à ſucco alimentali ventriculi. Hic enim eſt humidum quoddam ſanguineum, quo partes ipſæ nutriuntur, per ventriculi tunicas diſtributum, quod venæ ipſæ deportarunt; Duæ ergo ſuctiones, ſpecie differentes erunt immediata cauſſa eiuſdem effectus, quod dici non debet. Altera autem ratio oſtendit defectum ſucci illius alimentalis famem efficere haud poſſe. Quoniam in conualeſcente, cuius uentriculus ſucco illo graciliimus eſt, & indigentiſſimus, vbi ſemel cibo repletus fuerit, ceſſat illico fames, quod non contingeret ſi defectus humidi illius famem concitaret, non enim unica cibi ingeſtio tantum defectum corrigit. INGEN. Nihilominus tamen, Prouide, ſi ſuctio chyli famem excitare apta eſt, multo magis dicendum id efficere poſſe ſuctionem illius humiditatis, quæ verum eſt ventriculi alimẽtum. Etſi enim chylus ventriculi inanitates repiens famem tollit, paſtio tamen illa, quam ex chylo ventriculus capeſſit vera illius nutritio non eſt, ſed ex qualitatis cognatione, & conuenientia oblectatio quædam eſt, & ſatietas nutritionis æmula. Quare chylus non eſt proximum ventriculi alimentum, ſed ſolus ſanguis, qui totius corporis ultimum nutrimentum dicitur & Ariſtoteli, & Galeno. Quia tamen fames affectus eſt animalis facultatis, ideo contingit illam ſatiari, ab omni eo, quod triſtem ſenſationem illam ventriculi valeat corrigere, alimentique defectum vel per imaginem quandam reficere. Vnde chylus licet verè non nutriat ventriculum, quia tamen illi eſt ſummopere familiaris, ideo ex eius raptu in ventriculi tunicas ſenſus oblectatur, triſtis ſenſatio tollitur, & fames auſertur. Hoc tamen non tollit, quin multo melius ipſa ſit apta ſatiari, ex veri alimenti aduentu, quod ſanguis eſt, quam ex apparenti, quod eſt chylus. Quare & illud ſequitur utriuſque ſubſtantiæ defectum famem ipſam concitare. Nec quicquam obſunt allata in contrarium argumenta. Ad primum reſponſio eſt in promptu. Non enim ſuctio chyli, qua chyli, neque ſanguinis, qua ſanguinis famem excitant in ventriculo; ſed ambæ id faciunt, quatenus conueniunt in unum; Quia ſcilicet utraque ſuccum euacuat familiarem ventriculo, illiuſque inania ſpatia cum oblectatione replentem. Quare non duæ ſunt immediatæ cauſſæ, ſed vna. Secundum etiam facile ſoluitur. Ventriculus ſiquidem conualeſcentis valdè indiget humido ſubſtantifico, & alimentali; vbi tamen cibis repletur ceſſat fames, non quidem quia ſublatus iam ſit omnino defectus, ſed quia ceſſat ſuctio à ventriculo. Fit enim fames (inquit Galenus) cum venæ ex ipſo ventriculo aliquid trahunt, veluti emulgentes, fugen-

Fernelius li. 6. Phyſ. cap. 1.

teſ,ue. Non ferens autem eum ſuctum ventriculus offenſæ eius medelam cibum comparat. Quippe venæ hoc pacto ad obiectos cibos conuertuntur, atque ex iis nutrimentum trahunt, nequaquam ex ventriculo. Fitque poſt cibi ſumptionem, ut & venæ ſimul ad cibos ſe conuertant, & ventriculus iiſdem oblectetur, & fames ceſſet ex toto. Conualeſcentis ergo ventriculus cibis plenus minimè fameſcit, etſi penuria illa laboret. Non enim ille fit amplius, neque augetur, ſed iam facta eſt, & ideo non ſentitur, neque eſt moleſta. PROVID. Nondum patet utra famis definitio ſit potior Ariſtotelica ne, an Galenica; Hoc quoque tractari vellem.

INGEN. Quid, obſecro, cenſes o Prouide, in hac controuerſia dicendum. PROVID. In primis damnandum Valleſium puto, ſtatuentem in fame vtrunque reperiri, & ſenſum ſuctus, & appetitionem. Damnandum inquam, ſi intrinſecè illud intelligat. Senſus enim ſuctus, & appetitio cibi, diſtinctę ſunt ſpecie operationes animæ, & ſingulæ perfectæ. Quare *Ariſt. 7. Metaph. cap. 4.* non poterunt unam aliquam eſſentiam conſtituere, aut neceſſe eſſet earum alteram ſe habere vt potentiam, alteram autem vt actum, quod dici de illis non poteſt. Non enim ſenſatio eſt actus appetentiæ, neque è contra.

INGEN. Ego quoque ita ſentio. Sed quam tandem præferemus definitionem? *Thom. a Vega. ca. 61. Artis med.* PROVID. Ego, cum Galeno ſentio dicente famem eſſe ſenſum ſuctus. Nos enim dicimus aliquem torqueri fame, & famem eſſe rem moleſtiſſimam, & quoſdam periiſſe fame, quæ omnia falſa ſunt ſi fames importat appetentiam. INGEN. Quid dices ad Ariſtotelem? PROVID. Dico definitionem illam traditam eſſe per cauſſam finalem. Eſt enim fames dolor conceſſus animanti ad quærendum alimentum. INGEN. Ego quoque dicam quod ſentio. Neutra definitio videtur repręhendenda. Tuque ſatis rectè tuam comprobaſti Galenicamque definitionem. Mihi potior tamen videtur illa Ariſtotelis; eo quod ferè omnes per famam appetitum intelligunt. Galenus ipſe quoque in primo de cauſiis ſymptomatum famem uocat appetentiam, quæ ſenſum ſuctus conſequitur; ſæpiuſque eo ipſo in capite *Cap. 7.* illam appetentiam nuncupat. Quin & illi, qui tecum ſentiunt ſępe dicunt famem naturalem ventriculi non aliud eſſe, quam tractum naturalem alimenti. Ergo & fames animalis erit appetentia animalis eiuſdem alimenti. Galenum tamen non damno, neque illius definitionem; quam tamen dico traditam eſſe per cauſſam propriam, & immediatam; quod & Ariſtoteles non raro fecit, vt cum definiens Lunæ defectum, dixit eſſe terræ interpoſitionem. Et multo melius videtur mihi aſſerere Galenum definire famem per immediatam cauſſam, quam facere Ariſtotelem definientem per finalem, quod non ita fit rectè, neque conuenienter. Quod autem nonnulli dicunt famem rem eſſe moleſtam, nonnullos periiſſe fame, verè dicitur ratione cauſſæ ipſius. Ita quidem ſentio; nec valde refert vtcunque quis credat, aut cenſeat, res enim eſt exigui momenti.

PROVID. Poſſem aliqua ſubiungere, ſed eo ipſo nomine abſtineo, ne tempus conteramus milium terebrando.

ANONYM. Maiori ergo conſideratione dignum eſſet cur Ariſtoteles definiens dixerit famem appetitum eſſe calidi, & ſicci. Nonne expletur ali-

Digitized by Google

aliquando frigidis, & humidis? immo æſtatis tempore nos talia videmur appetere alimenta. SITIC. Id factum eſt, quia id quo veſcimur comparatione illius, quod potamus calidius eſt, & ſiccius. INGEN. Vnde factum, obſecro eſt, vt quod fame appetimus calidius ſit, & ſiccius eo, quod ſiti deſideramus? Dicas quęſo? SITIC. Certè nimis cita fuit mea reſponſio, & ad pauca reſpexi. Eia tu doceas omnia. INGEN. Notandum ergo, quod cum fames ſit appetitus alimenti, alimenti autem proprium ſit pati, ideo fit, ut qualitates propriè conuenientes alimento, vt alimentum eſt, paſſiuæ ſint magis, quam actiuæ. Sunt autem paſſiuę ſecundum Ariſt. ſiccitas, & humiditas, actiuæ calor, & frigus. Non poteſt autem propria qualitas alimenti eſſe humiditas, propterea quod fames eſt appetitus illius, quod corporis ſolidas partes reficere poteſt, quod humiditas haud efficere ualet, ſicut ſiccitas ipſa. Colligitur ergo primo famem eſſe primariò appetitum ſicci. Eſt tamen & ſecundario calidi, ut optime Zabarella notauit, quia cum ſit appetitus cibi ad reparandum id quod deperditum eſt ex partibus corporis, magis autem ſit uitale calidum frigido, ideo fames magis calidi eſſe dicitur, quam frigidi. Et pręterea quia id, quod conſumptũ fuit, calidum erat, calidis ergo reficiendum. Quare licet quis frigidis cibis utatur, non tamen ex illis alimentum capiet, niſi prius calefiant concoctione. Solutum ergo eſt primum argumentum. Secundum etiam ſoluitur. Quia ille qui alimenta capit frigida & humida, non ſimplici fame laborat, ſed ſiti quoque. Quod ſi tali cibo contingat & famem expleri, per hoc non ſtat, quin fames appetitus ſit calidi, & ſicci. Tunc enim expletur, quia alimentum illud ex omnibus elementis eſt mixtum, poteſtque diuerſis qualitatibus, explere diuerſa deſideria. SITIC. Optimam doctrinam afſers Ingenioſe. Sed nollem te obliuiſci alterius capitis, quod ab initio colloqui) diſcutiendum propoſuiſti; vndenam ſcilicet fiat ut fames in ſolo ventriculo percipiatur, immo in ſolo illius ore, non in cæteris mẽbris, licet in illis quoq; ſenſus non deſideretur, & conſumptio fiat, ita ut ſentire illam poſſint non minus quam ventriculus, atque fameſcere. INGEN. Minime huius oblitus eram, ò Princeps. SITIC. Eia ergo hoc ipſum quęque caput abſoluas, adueſperaſcit enim, & nouus Princeps creandus, aliaq; nonnulla tractanda ſunt ad Academiæ dignitatem pertinentia. INGEN. Non potui non illis ſatisfacere qui me interrogarunt, aut aduerſus meam ſententiam aliquid oppoſuere. SITIC. Poſt hac nemo te interrogabit, nec quicquam opponet, me iubente; tantum huic materiæ finem imponas. INGEN. Quam breuiſſimè potero, id præſtabo. Qui dicunt immediatam cauſſam famis eſse ſolutionem continui dolorificam, in uentriculo factam, aiunt famem non ſentiri in cæteris membris, ut in uentriculo, propterea quod trahentibus membris facile concedunt uaſa, vaſis hepar, hepati uentriculus. Ideo, inquiunt, non ſequitur ſolutio in horum aliquo, ſed in ſolo ventriculo, cui non concedit ullum ulterius membrum. Ex qua tamen ſolutione iterum colligitur eiuſdem opinionis abſurditas, de cauſſa famis. Si enim ſenſatum illud dolorificum in fame, eſt ſolutio continuitatis ventriculi, conſtat neque membris uaſa, neque uaſis hepar, neque hepati uen-

2. De gen. & corr.

2. Anime 27.

Digitized by Google

triculum ita poſſe concedere, vt omnino tollatur triſtis illa ſenſatio, quæ ex ſolutione oriebatur. Si enim per conſumptionem partium ſoluta eſt earundem continuitas, quantumuis caruenulæ illæ, quas gignit conſumptio, ſanguine ex vaſis attracto repleantur, non tamen huiuſmodi repletio poterit famem auferre, manente eandem ſolutione, donec attractus ſanguis in ſubſtantiam aliti mutatus ſit, quod non ita ſubitò fit, ſed poſt aliquod temporis ſpatium. Tamen ſicuti opinio illa de cauſſa famis propè ad veritatem accedit, ita & reſponſio hæc valde accedit ad veram problematis huius ſolutionem. Accedit inquam illa ſententia ad ueritatem, quoniam ipſa diuulſio partium neceſſario ſuctionem conſequitur, uideturque quodammodo eſſe conditio ſine qua non illa ſuctio ſentiri poſſit. Si enim ſugentibus uenis à ventriculo illius humidum, ſtatim aliud ſimile in locum prioris ſuccederet, ſuctio quidem fieret, non tamen ſentiretur; at quia quo magis ſugunt, eo magis exinaniuntur illius cauernulæ, & quodammodo ſeparantur partes, ea ratione, quod ubi prius inter ſe communicabant per ſuccum familiarem, poſt ſuctionem plenæ remaneant aere, ideo dum talis ſuctio peragitur, ſentitur per humidi priuationem, & diuulſionem partium. In tantum peccat opinio, quod videtur diuulſionem factam eſſe cauſſam famis, non fientem, quod dici non poteſt, vt iam cōſtat. Quod ſi de fiente intelligat, in eo differet à noſtra, vt modo dicebamus. Non enim ipſa diuulſio partium proprium eſt obiectum ſenſus illius, qui famem concitat, ſed eſt quid conſequens obiectum. Dum enim humidum recedit, diuulſio fit. Vnde & proprium obiectum famis non eſt coniunctio partium, ſed repletio. Sed neſcio quomodo in hanc rem incautus inciderim. Redeo vnde digreſſus ſum. Et dico quod allata reſponſio de cauſſa cur fames in ſolo ventriculo ſentiatur prope accedit ad veritatem. Duabus enim de cauſſis fit vt fames in ſolo ſentiatur ore ventriculi; Prima eſt, quoniam cæteræ partes, & ſi perpetuo conſumantur, perpetuo etiam trahunt ſibi ſimile alimentum ex partibus uicinis, & vaſis. Vnde fit ut eodem ferè tempore repleantur, quo etiam euacuatæ ſunt; unde ſuctio ſentiri minimè poteſt. At in ore ventriculi non ita contingit. Cum enim ad ipſum vniuerſa illa tractio, & ſuctio terminetur, ipſi tamen nullum membrum adeſt, ex quo trahat, ut repleatur. Quo fit vt ibi valde manifeſta ſuctio ſit, valde ſenſibilis. Dicet fortaſſe aliquis veſtrum, quod & ſi cæteræ partes ſtatim inueniant ſuctionis medelam, nempe ſui ipſarum repletionem ex vicinis uaſis, non tamen eodem tempore fieri euacuatio, & repletio, ſed neceſſe eſt vt euacuatio, per aliquod ſpatium, præcedat. Cur ergo non ſentitur, inquiet? Reſpondeo, quod & ſi eadem præcisè particula non poteſt ſimul, & ſemel euacuari, atque repleri; ſi tamen accipiamus partem aliquam ſenſibilis magnitudinis, hæc ſi ex uno latere conſumitur, atque diuellitur, ab innato, aut extranco calore, eodem temporis momento ex alio latere trahit alimentum ſui ui attractrice, quæ ſemper eſt in actu ſecundo, vt dicebat Ariſtoteles. Hinc fit, ut quantum percipere doloris deberet ex euacuatione, tantundem ex repletione percipiat voluptatis. Cumq; huiuſmodi dolores, & voluptates

Digitized by Google

luptates, ſuctiones, ſeu conſumptiones, & repletiones, per minutulas admodum partes fiant, euenit ut & leuiſſimi ſenſus ſint, & inſuper adeo inter ſe confundantur, ut obſeruationem omnino fugiant, ita ut diſtingui minimè poſſint, uoluptate dolorem corrigente, & dolore uoluptatem offuſcante.

Altera huius rei cauſſa eſt differentia ſenſoriæ facultatis in membris, & ore uentriculi. In illis quidem non adeo eſt exquiſita, vt leuiſſimos illos, citoque tranſeuntes dolores, & uoluptates percipere, & diſtinguere ualeat, in ore autem uentriculi exquiſitiſſima eſt, & ualentiſſima. Quæ cauſſa eſt, vt exactiſſimè ſuctionem ſentiat, & utrunque uitæ principium, cor, & cerebrum una ſecum afficiat. Quod fortaſſe Homerus noſter conſiderans hoc loco aſſeruit nil odioſo ventre peius eſſe, id de famelico intelligens, atque latrante. Intelligebant enim & ueteres famem eſſe dolorem quendam oris ventriculi, quod cum facile duo illa principia in conſenſum trahat, à quibus cæteræ omnes uitalem facultatem, ſenſum & motum recipiunt, facile euenit ut cui ſtomachus fame premitur, huic reliqua etiam corporis membra quodammodo langueſcere, & pati uideantur. Hæc ſunt, quæ de propoſita materia, dixiſſe uolui, libentiſſimè tamen omnia ſubijciens acerrimo ueſtro iudicio, & examini. SITIC. Ego pro omnibus loquar, nam & in eorum frontibus legi poteſt, quid ipſi de hac doctrina ſentiant tua Ingenioſe. Dico ergo breuiter ſummopere placuiſſe omnibus nobis, diſcurſum hũc tuum, doctum, ſimul & facilem, atque iucundum. Dixitque mihi modo in aurem Hoſpes noſter, pleroſq; medicos auctores de huiuſmodi quidem re tractaſſe, neminem tamen ita doctè, & facile ſcopum attigiſſe, ut tu uideris aſſecutus. INGEN. Hoc mihi gratiſſimum eſſe debet, cum laus hæc à uiro laudatiſſimo proueniat. SITIC. At uidete amici, quomodo res hæc ſe habeat. Ego qui à Siti nomen meum ſortitus ſum, Principatũ meũ Fame terminaui. Riſibile dictu. Eia Polydore affer ſchedulas, Iacobum aduoca, ut nouum Principem ſortiar. POLYD. Sunt hic omnia parata.

SITIC. Sanè in eum, qui doctrina, & moribus fulget, & longiſſimè ſplẽdet, male conuenit obſcurum nomen Anonymi. Sors ipſa aliud illi detulit conuenientius, atque ſplendidius. PROVID. Obſcurè loqueris Siticulosè. Fac vt nos quoque intelligamus. SITIC. Quod ego dico tale eſt. Anonymus noſter Princeps uocabitur. Rectiuſque conuenit ei Principis nomẽ, quam Anonymi. Nonne? PROVID. Certè Anonymi appellatio nimium diſtat ab illius eximia doctrina, morumque Præſtantia. ANONYMVS. Vobis gratias ago, quod tam egregiè de me ſentiatis. At de noua hac dignitate nil aliud dicam niſi cæcam ſortem mihi illam detuliſſe. Hoc ſatis, ad indicandum uerè illam cæcam eſſe. INCLVSVS. Ignoſcas ò Princeps ſi tam citò tibi contradicam. Sors cæca omnino non eſt, cum Deus illam regat, Sortes, inquit Salomon, mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperãtur. *Prou. 16.* Hanc ego, ſicut & cæteras, quas nos miſimus, crediderim Deum gubernaſſe.

O D I S S E Æ

Septimo, verſu CCVIC.

- - - - Semper enim iuniores deſipiunt.

Adoleſcentes Prudentes eſſe non poſſe, eo quod experientia rerum Humanarum neceſſario requiratur ad Prudentiam adipiſcendam.

C O L L O Q V I V M XXXI.

S I T I C V L O S V S.

INtellextin Euſebi? EVSEB. Quid me intellexiſſe interrogas, Doctiſſime Siticuloſe? SITIC. Intellextin Homerum aſſeuerantem iuniores omnes deſipere? EVSEB. Proculdubio hoc intellexi. Sed quænam cauſſa te mouit vt me an intellexerim interrogares, Siticuloſe venerande? SITIC. Quoniam te, omneſque tuæ ætatis homines lædere videtur hæc ſententia, qua Homerus ſtatuit iuniores homines deſipere. EVSEB. Ergo ne putas me lædi ab Homero, quia me, iuueneſque omnes deſipientes vocet? Erras (ignoſcas Siticuloſe) erras toto cælo. Vtinam non deſiperem. Quid aio? Gratias ago Deo Immortali, qui talem me creauit, ut ego meam deſipientiam cognoſcerem. Non deſipiunt, Siticuloſe, non deſipiunt, qui propriam deſipientiam fatetur; deſipiunt illi, qui plus ſibi arrogant, quam conueniat. Socrates etiam quia nihil ſe putabat ſcire, ſapientiſſimus omnium ab oraculo fuit iudicatus. Sed ſcio te iocari, Siticuloſe; Non quod exiſtimem te immeritò vocaſſe me deſipientem; ſed quia te alienum ſemper cognoui ab omni mordacitate, moreque inculto. SITIC. Non equidem negauerim, me immeritò te deſipientem vocaſſe, cum ſemper te nouerim, optimè indolis adoleſcentē, & indefeſſum in libris euoluendis, colloquijſque hiſce noſtris conſcribēdis; ſed vt uideam quantum profeceris non verebor te interrogare, & parumper tecum diſſerere de re huiuſcemodi. Quid ergo cenſes de hac Homerica ſententia? Putaſne uerum eſſe, quod iuuenes omnes deſipiant? EVSEB. Libentiſſimè reſpondebo quod ſentio, quodque mihi uideor in hiſce colloquijs audiendis, & conſcribendis didiciſſe. SITIC. Dicas alacri animo. EVSEB. Arbitror cum diſtinctione procedendum, & cum diſtinctione reſpondendum. ANONYM. Ne timeas, hilariter reſpondeto. EVSEB. Dicam vt potero. Sæpius audiui in hac Nobiliſſima Academia, duplicem eſſe rationalis animæ partem, per quam homo cęteris animantibus præſtat. Alteram quidem eſſe rationalem per eſſentiam, quæ ipſa mens eſt; alteram autem per obedientiam, quæ eſt ipſe appetitus ſenſitiuus. Vnde & intel-

intellexi duplicem virtutem ſtatuendam eſſe, qua homo ipſe perficiatur. Alteram quidem, quæ parti rationali per eſſentiam competat, quæ etiam virtus ſcientia nuncupatur cuius finis eſt cognitio veritatis. Altera autem, qua appetitus ipſe ſenſitiuus rectè componatur; quæ virtus moralis dicitur, cuius finis eſt actio honeſta. Et ſicuti ex varietate obiectorum ſcibilium varietas conſurgit ſcientiarum, ita ex varietate perturbationum variæ virtutes morales conſtituuntur, quarum tamen omnium Dux, & Regina eſt ipſa Prudentia, quæ ſicuti ſine virtutibus omnibus conſiſtere non valet, ita ſine illa virtutes ipſæ nunquam reperiuntur, cum ſit illarum veluti vinculum, atque perfectio, præſcribens illis medium, quod ipſæ ſequantur. ANONYM. Optimè omnia recenſuit, ne iota quidem vnum prętteriens. SITIC. Sed quid ex his omnibus colligis Euſebi? EVSEB. Hoc colligo, quod ſicuti duplex eſt hominis virtus, duplex quoque erit deſipientia: Quarum altera Prudentiæ ipſi aduerſabitur, & imprudentia nuncupabitur, per quam homines male media cognoſcent pro honeſto attingendo; Altera vero ipſius ſcientiæ erit contraria, quæ propriè ignorantia vocabitur veritatis. SITIC. Nondum uideo, quorſum hæc tua diſtinctio tendat. EVSEB. Breuiter dicam. Cum Homerus ſtatuit iuniores omnes deſipere, ſi de deſipientia ipſa Prudentiæ oppoſita intelligatur, Fateor ego quoque vt plurimum veriſſimam eſſe ſententiam: aioque Homerum de huiuſmodi deſipientia intellexiſſe. Si vero quis de propriè vocata ignorantia veritatis hanc deſipientiam intelligat, certè neſcio quid dicam, dubiaque admodum mihi videtur eſſe hæc Homerica enunciatio. *Ariſt. 1. Ethic. cap. ultimo.*

PROVID. Optime, optimè. Quid inquis Siticuloſe, audebis ne amplius iuniores prouocare? SITIC. Equidem fateor Euſebium noſtrum hactenus optimè reſpondiſſe, ſed adhuc duo ab eo explicanda ſuperſunt. Primum; cur ipſe ſtatuat Homerum hoc loco per deſipientiam, intellexiſſe imprudentiam; alterum, quomodo ſic intellecta Homerica ſententia, ſit veritati conſona.

EVSEB. Quod Homerus de imprudentia intelligat, cum ait iuniores ſemper deſipere, ex eo patet, quoniam de illa deſipientia loquebatur, quæ opponebatur uirtuti illi, de qua Nauſicaam commendabat Vlyſſes, coram Patre Alcinoo. Ea vero Prudentia erat, Inquit enim Vlyſſes Nauſicaam laudans.

Eam ſupplicaui, illa vero ab indole neutiquam aberrauit bona,
Vt non ſperare poſſis adoleſcentem obuiantem
Facturum: ſemper enim iuniores deſipiunt.
Quæ mihi cibum dedit affatim, & ſplendidum vinum
Et in flumine lauit, & mihi has veſtes dedit.

Quibus conſtat Nauſicaam de virtute illa laudari, quæ in rebus agendis occupatur; & eſt Prudentia ipſa. Atque hinc conſtat & oppoſitam deſipientiam, qua iuniores omnes affici ſtatuit, non aliam eſſe, quam imprudentiam. Non tamen cum eo rigore id uenit intelligendum, ut nullo mo-

Digitized by Google

do adoleſcentes euadere Prudentes poſſint; cum hoc ipſo loco Poeta fateatur adoleſcentulam Nauſicaam prudenter egiſſe; ſed ſic puto accipiendam eſſe ſententiam, vt rariſſimum ſit Prudentiam reperiri cum ætate adoleſcenti. PROVID. Optime ſentit. Nam & Ariſtoteles fauet, immo & ratio ipſa huic ſententiæ. Ariſtoteles quidem ſtatuit longo vſu, & experientia rerum humanarum Prudentiam acquiri, ea de cauſſa quoniam ſingularium rerum eſt ipſa Prudentia, & eorum, quæ aliter poſſunt euenire.
6. Ethic. c. 8. & 13 Quæ omnia per experientiam nota fiunt; adoleſcentes autem non ſunt experti. Experientiam enim parit temporis longitudo. Eadem de cauſſa eo ipſo loco ſtatuit adoleſcentes, neque ſapientes, neque naturales Philoſophos euadere poſſe, licet in Mathematicis excellant aliquando. Principia enim an Philoſophiæ, per experientiam innoteſcunt, quam adoleſcentes non habent; Mathematicarum autem propoſitiones in abſtractione conſiſtunt, nec indigent experimento. SITIC. Tu breuibus complexus es & Ariſtotelis ſententiam, & rationem, cum tamen ego te non interrogauerim. Hanc prouinciam obſecro relinquas Euſebio.

Colloq. 27. & 29. EVSEB. Nec mihi aliæ rationes deerunt ad idem comprobandum. Dictum enim in præcedentibus colloquiis eſt Prudentiam cum virtutibus moralibus ita coniunctam eſſe, vt neque hæc ſine illis, neque illæ ſine Prudentia conſiſtere poſſint. Quare qui Prudentiam aſſequi cupit, is ut & virtutes omnes adipiſcatur neceſſe eſt. At hæ non natura nobis inſunt, ne-
2. Ethic. 1. que doctrina generantur in nobis, ut Ariſtoteles docuit, ſed aſſuetudine, & longa in honeſtis actionibus exercitatione. Si ergo Prudentia exacta non ſtat ſine virtutibus omnibus, neceſſe eſt eum, qui Prudentiam iam eſt adeptus, in actionibus omnibus honeſtis exercitatum eſſe, earumque plenam habere experientiam. At hoc nonniſi longo temporis decurſu euenire poteſt, neque adoleſcens poteſt, tot eſſe expertus, neque in tantis actionibus verſatus. Varietas enim euentuum, quæ temporis eſt ἀπογονή, ſola varietatem parit operationum. In adoleſcentia uero non poſſumus tot euentuum varietates obſeruaſſe, & ideo neque Prudentes in ea ætate eſſe poſſumus. Idem probatur conſiderando Prudentiæ officium, quod erat medium inuenire per conſultationem, quo nos honeſtum aſſequamur. Quod medium ego pluries audiui debere Geometricè ſumi, neque habere ſemper eandem naturam, ſed diuerſimodè uariari, iuxta differentiam
Ariſt. 6. Ethic 8. circunſtantiarum, quæ in actionibus contingunt. Prudentem ergo verſatum eſſe oportet in circunſtantijs actionum rectè dignoſcendis, ſi rectè medium ſit inuenturus. Neque illud eſt ſatis, ſi talia in uniuerſum tantum agnoſcat, ſed ad particulares varietates, immo & ad indiuidua illum deſcendere neceſſe eſt. Cum enim Prudentia actiones noſtras dirigat, illis medium præſcribendo, actiones autem ſingularium ſint, & circa ſingularia uerſentur, ipſæ quoque circunſtantiæ à Prudenti uiro perpendendæ ſingulares erunt. At uero quia ſingulares ſunt, ſola cognoſcuntur experientia; quia uero infinitis prope modis contingit illas complicari, ideo ut quis ualeat tantam obſeruare varietatem, longo eget tempore, ita ut minime ſufficiat adoleſcentia.

SITIC.

SITIC. Graue onus illud eſt, quod Prudenti viro uideris imponere, ut omnes circunſtantiarum mutationes, & varietates obſeruet, cum tamen ipſæ infinitis modis inter ſe poſſint complicari. Hac ratione nemo Prudens poſſet iure nuncupari.

EVSEB. Ego illa recenſeo, quæ in ſuperioribus colloquijs à uobis omnibus concluſa fuere. Errores mei, prius veſtri dicendi ſunt.

PROVID. Egregia reſponſio. Tu ergo ipſe ruam oppoſitionem ſoluito. EVSEB. Vt tamen omnino tibi ſatisfaciam, Siticuloſe Doctiſſimè, & ut etiam videas me domi non contereretempus, dicam quid ego in ſimili controuerſia legerim apud auctores.

SITIC. Dicas obſecro. EVSEB. Inquiunt Prudentiam in conſultando non omnino exactum quærere, & atomon, ſed eo eſſe contentam, quod ſecundum rei naturam cognoſci poteſt, quodque ut plurimum euenit. Ea enim eſt Philoſophiæ moralis conditio, ut ſuas concluſiones non omnino demonſtratiuè colligat, & exactè, vt fit in Mathematicis, ſed ſyllogiſmo probabili eſt contenta. Quare etſi Prudentiæ officium ſit in actionibus medium inuenire, nil tamen refert ſi aliquando medium illud non omnino ſit exactum, & vndique abſolutum, ſed ſufficit ſi tantum ad illud accedat, quantum in materia adeo variabili homini conceſſum eſt attingere, & obſeruare. *Ant. Scain. 6. Ethic 9*

ANONYM. Audebis ne poſthac Siticuloſe hunc adoleſcentem laceſſere, aut imprudentiæ arguere? Audiſtin quam præclare, atque memoriter noſtra conſeruauerit colloquia? Dignus certe omni laude.

SITIC. Ego nunquam illum imprudentem uocaui, ſed tantum dixi Homericam hanc ſententiam adoleſcentibus minime fauere, quod neque Euſebius ipſe negauit, ſtatuens difficillimum eſſe adoleſcentem Prudentem eſſe. Ego vero poſthac profiteri potero, me aliquem uidiſſe, qui cum Nauſicaa ipſa ſit conferendus, Prudens adoleſcens, hunc autem Euſebium noſtrum dico, tanta cum dexteritate, atque Prudentia hodie mihi ſatisfecit. TVTVS. Tu ergo quoque huic adhæres opinioni, ſemper, vel ut plurimum iuniores deſipere, & imprudentes eſſe?

SITIC. Quidni? ſi tam egregiè probatum id fuit ab hoc adoleſcente, nõ rationibus modo, verum & ex conſenſu aduerſariorum. TVTVS. Expectabam certè te omnia confutaturum, quæ dixit hactenus. SITIC. Abſit. Imò ea omnia magis confirmabo ex communi Philoſophorum omnium ſententia, ſi nouero me uobis rem gratam facturum. ANONYM. Gratiſſimam facies mihi, omnibus. SITIC. Quam ſit difficile adoleſcenti Prudentiam adipiſci non modo ex illis patet, quæ doctè Euſebius retulit, verum etiam ex antiquorum opinionibus de modo, quo in nobis Prudentia gignitur. Alij enim Prudentiã cum Sapientia iungi cenſuere, vt Plato. Et quoniam ſapientia in nobis per doctrinam gignitur, eodem modo, & Prudentiam gigni exiſtimauit. Alij vero dixere Prudentiam nobis eſſe Natura inſitam. Ariſtoteles uero cenſuit eam longo rerum vſu, & experientia produci, vt dictum eſt. Hæ enim opiniones omnes, etſi inter ſe adeo diſcrepẽt, in eo tamen conueniunt, quod earum quacunque admiſſa, ſemper tamen verum *Piccolom. Grad 5. cap. 31.*

eſſe

eſſe conſtabit, Prudentiam raro reperiri in adoleſcentibus, ſed eſſe ſenectutis propriam. TVTVS. Si hæc vera ſunt, quæ dicis, videtur ergo dicendum nullam illarum opinionum eſſe omnino falſam. SITIC. Rectè ſentis. Omnes aliquid includunt veri. Plato enim & ſi decipiebatur, in eo, quod doctrina ſola putabat virtutes acquiri, & Prudentiam vna cum ſapientia, in eo tamen rectè ſentiebat, quod ſapientia multum ad Prudentiam conferat. Contemplatrix enim Philoſophia dux eſt Prudentiæ per cognitionem veri; Cum enim Mens verum intuetur, ſimul etiam dirigitur in attinētibus ad bonum, faciliuſque videt honeſtum. Vnde non omnino eſt à veritate alienum, quod Prudentia per doctrinam acquiratur. Præſertim cum per varias præceptiones Prudentum virorum, ille dirigatur, qui euaſurus eſt Prudens. Qui vero dicebant Prudentiam nobis per naturam competere, id ita intelligebant, quod ipſa Prudentia quoddam particulare temperamentum conſequatur, quod qui adepti eſſent confeſtim Prudentes euaderent, abſque alia cauſſa concurrente. Hi quoque & ſi errabant, exiſtimantes ſolū temperamentum ſufficere, ad Prudentiam adipiſcendam, in eo tamen ad veritatem accendebant, quod vim aliquam & temperamento tribuerent. Vere enim quoddam temperamentum reperitur ad Prudentiam inclinans, vt oſtenſum à Perſona noſtro optimè fuit in commentario ſuo in Gal. librū Quod Animi mores. Quare ſi Prudentia temperamentum omnino non conſequitur, propenſio ſaltem ad Prudentiam ipſam, quę ſemen quoddam eſt illius, & imperfecta, natiuaque Prudentia nuncupatur, ineſt à natura, & à temperamento ipſo procedit. TVTVS. Scire vehementer cupio, quodnam ſit temperamentum hoc, ad Prudentiam inclinans. SITIC. Hoc ipſum inuenies apud Ioannem Baptiſtam Perſonam citato Commentario, pagina. Tandem (vt ad rem noſtram redeamus) Ariſtoteles inquiens Prudentiam experientia comparari, & longo rerum vſu de proprie dicta Prudentia loquitur, quæ conſtans eſt, & firmus habitus ad agendum, ea dirigens, quæ homini bona ſunt. Loquiturque de cauſſa non inclinante, aut adiuuante, ſed de formante, firmanteque habitum ipſum, eundemq; abſoluente. Quo ſenſu veriſſima eſt ſententia, vt ipſe Ariſtoteles docet in 2. Ethicorum cap. 1. & in 6. Ethic. cap. 7. 8. & ſequētibus. TVTVS. Oſtendendum ſumpſeras ſecundum haſce omnes opiniones Prudentiam in adoleſcentibus non eſſe; Vereor ne id tibi è memoria exciderit. SITIC. Haud excidit. Nunc doceo. Primum ſi de rerum vſu loquamur, à quo nos cū Ariſtotele ſentimus Prudentiam propriè gigni, iam oſtenſum eſt antea adoleſcētes vix poſſe illam rerum experientiam habere, quæ valeat Prudentiam parere, ita vt hæc ſecundum Ariſtotelis doctrinam ſolis ſenibus concedi videatur. De doctrina etiam & ſi non negauerim iuuenes poſſe in doctrinis excellere, rariſſimum tamen illud eſt, propterea quod & ſcientiarum cognitio quandam experientiam requirit. INGEN. Hæc fuit etiam Euripidis ſententia, qui aliquando ſic cecinit.

6. Ethic. 3

O fili non omnia ſenectuti incommoda
Adſunt, ſed ipſa experientia
Poteſt aliquid dicere iuuenibus prudentius.

In Phœni.

HOSPES.

HOSPES. Quid attinet Euripidem afferre, cum & ſacrę litteræ ipſæ videantur ſapientiam, atque Prudentiam facere ſenum proprias propter experientiam. Legitur apud Iobum.

In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore Prudentia. Cap. 12.

SITIC. Optime. Saltem illud eſt conſpicuum, atque veriſſimum ſenes doctrina magis præſtare iuuenibus, vt hac quoque de cauſſa magis illis conuenire Prudentia videatur. Quod ſi temperamentum inſpicimus, quod inclinat ad Prudentiam hoc ſolis ſenibus, minimè iuuenibus videtur eſſe conceſſum. In ſenibus enim contemperatus eſt ille feruor ſanguinis, qui conſultationem perturbabat, peruertebatque iudicium, & ſententiam rectam. Lenitæ inſuper ſunt perturbationes, animum diſtrahentes, quarum requiete, & compoſitione anima dicitur fieri ſapiens, & prudens. Iuuenibus inſunt contraria. Hinc patet quæcunque tandem admittatur ſententia de generatione, & cauſſis Prudentiæ, colligi Prudentiam rariſſimè iuuenibus, ferè ſemper ſenibus competere: quod ego oſtendere, confirmareq; promiſeram. Homeri ergo ſententia dicentis iuniores ſemper deſipere, id eſt imprudentes eſſe, eſt veritati conſona, viroque Philoſopho digna. Nam etſi abſolutè vera non eſt, neque continet neceſſariam veritatem, vt plurimum tamen ſic euenit, ob traditas rationes. INCLVS. Merito ergo ſcriptum fuit Cap. 25. à Sapiēte in Eccleſiaſtico, ſenem fatuum, & inſenſatum eſſe odio dignum, quando ſapientia, atque prudentia eſt adeo propria illius ætatis, quemadmodum & humilitas pauperum, & veracitas diuitum. Sic enim eo loci ſcribitur. Tres ſpecies odiuit anima mea, pauperem ſuperbum, diuitem mendacem, & ſenem fatuum, & inſenſatum. INGEN. Succurrunt mihi modo & aliæ Poetarum auctoritates eandem ſententiam comprobantes. Sophocles ait in Tyrone

Senectus omnia docet, moraque temporis.

Et Menander Comicus

Quamuis cætera longum tempus nobis auferre
Soleat, prudentiam tamen firmam facit.

Et alter quidam

Senectus ò fili iuuenilibus annis
Sapientior eſt, atque tutior,
Experientia vincit imperitiam.

SITIC. Hæc tamen omnia ita ſunt intelligenda, vt dictum eſt ſupra, ſcilicet vt plurimum ita contingere. Nam ſicuti non omnes ſenes ſapientes ſunt, neque prudentes, ita non omnes iuuenes ſunt imprudentes, aut imperiti. ANON. Hæc regula de iuuenibus, quam Homerus affert fallit ſæpenumero, mea quidem ſententia, in nobilitate Veneta. Videntur enim illi

nobiles

Nobiles à natura inſitam habere Prudentiam; non inquam illam imperfectam tantum, quæ ſemen eſt perfectę, ſed illam dico, quæ firmus eſt habitus agendi; Nam quid aliud conijcere poſſumus, cum plurimos illorum adhuc adoleſcentes conſpiciamus prudentiſſime ſe gerere cunctis in actionibus? SITIC. Quod prudentes naſcantur nobiles Veneti, eo modo, vt dixiſti, equidem dici non poteſt, vt ex dictis conſtat. At quod non pauci illorum Prudentiam etiam in iuuentute adipiſcantur id ex optima eorum diſpoſitione naturali procedit iuncta rectiſſimæ educationi, atque exercitationi in virtutibus, quarum rerum ipſi ſunt ſtudioſiſſimi. HOSPES. Ego ſane quam multos ex nobilibus illius noui, qui cum nondum ætatem virilem attigiſſent maximæ tamen prudentiæ ſpecimen dabant; Attamē vnus videtur mihi quaſi per miraculum ante tempora omnem ſapientiam, atq; prudentiam conſecutus. Hic autem eſt Illuſtriſſ. LAVRENTIVS IVSTINIANVS, Senator Ampliſſimus. Qui cum ab ineūte ætate elegantiorum ſcientiarum ſtudio addictiſſimus fuerit, tantum in illis profecit, vt in iuuenili etiam ætate, ſenilem adeptus ſit Prudentiam; nunc vero magno ſit ſuæ familiæ ſplendori, atque ornamento. Hunc ſi loquentem audiatis, diceretis vtique illum alterum eſſe Neſtorem, tantam ſuauitatem, tantamque Prudentiam in ſermonibus illis ſuis experiemini. TVTVS. Viri character ex ſermone cognoſcitur, inquit Menander. HOSPES. Et rectè quidem dictum. Tantarum illius viri virtutum teſtis eſt Alma Vrbs Venetiarum, quæ verè dici poteſt Lapis Lydius ingeniorum, humanæque Prudētiæ. Quæ ciuitas illum nondum virilem ætatem egreſſum conſpicit ſenilibus, altiſſimiſque dignitatibus exornatum. ANON. Aderam & ego, quando illum ſalutaſti, ò Hoſpes, gratiſſimumque mihi fuit, tantum virum cognouiſſe. At dicito mihi Siticuloſe. Cum oſtenſum ſit hactenus iuniores ferè ſemper deſipere deſipientia illa, quæ Prudentiæ opponitur, idque propter inexperientiam magna ex parte, quid dicendum cenſes de illa deſipientia, quæ ſcientiæ eſt contraria? Anne putas idem quoque & de ignorantia ſtatuendum, quod & de imprudentia? SITIC. Nonne dictum eſt antea Homerum de huiuſmodi deſipientia non intellexiſſe? ANON. Dictum equidem, attamen argumenti ſimilitudo mihi videtur poſtulare, vt & de huiuſmodi quoque controuerſia diſſeramus, an ſcilicet experientia ſit ad ſcientiam ipſam neceſſaria, nec ne. Nam & ſi Ariſtoteles in ſexto Ethicorum, dum docet Prudentiam vſu rerum, et experientia gigni, ſimul etiam ſtatuit Philoſophiam cum quidem diuinam, tum etiam naturalem, ſine experientia acquiri à nobis non poſſe, propterea quod Principiorum cognitio ab experientia pendeat, dicatque pueros ipſos quia non ſunt experti neque ſapientes, neque naturales Philoſophos euadere poſſe; mathematicos tamen poſſe fieri propterea quod ad intelligenda Mathematica nulla experientia ſit opus; controuertitur tamen à Philoſophis hæc ſententia, alijs quidem ſtatuentibus experientiam non eſſe ad ſcientiam vllam neceſſariam; neque repugnare, quod aliquis abſq; vlla experimentali cognitione perfectus ſcientificus euadat; alijs verò ita oppoſitæ opinioni adhærentibus, vt & Mathematica ipſa axiomata ſine experientia intelligi exacte non poſſe ſtatuant. Ego itaque ita ſtatuo. Volo

huiuſmodi

Digitized by Google

huiuſmodi quæſtionem a vobis agitari; An ſcilicet experientia ſit ad ſcientias adipiſcendas neceſſaria. Hoc enim cognito facile eluceſcet, an iuuenes neceſſario deſipiant in hoc ſenſu. Verum quoniam mihi Polydorus noſter retulit quendam me aduocare, ſtatui rem hanc in futurum differre colloquium, quod erit ſeptimo Kal. Iulias. Qua die etiam omittetur Homerica Lectio. Adeſtote ergo omnes.

QVÆSTIO.

An ad Scientias adipiſcendas ſit Experientia Neceſſaria.

COLLOQVIVM XXXII.

PROVIDVS.

CVM Diſcutienda nobis hodie illa ſit quæſtio, quam ſuperiori proximè preterito colloquio Princeps noſter propoſuit examinandam, egoque nonnulla ad hoc argumentum pertinentia conſiderauerim, ne ordo inter loquendum peruertatur inutilibus, extraneiſque interrogationibus interpoſitis, antequam veſtrum aliquis propriam ſententiam proferat, mihi libuit ex Principe noſtro ſciſcitari, tituli explicationem; non enim mihi videtur ſatis manifeſtus. Obſcuritas autem conſiſtit in verbo, Experientia, Anne de illa hoc loco intelligis experientia ò Princeps, de qua ſuperiori colloquio verba fecimus, quæ in vſu longo, & exacta rerum humanarum, & euentuũ cognitione conſiſtit? ANONYM. Certè paulo latius hic ſumitur Experientiæ nomen. Hoc enim loco experientia omnem cognitionem ſignificat, quam ſenſus ipſe ſubminiſtrauit, de re exteriori. Immo ne omnem quidem hanc. Duplex enim eſt hæc quoque. Alia enim proprie experientia dicitur, quæ ipſa eſt cognitio complexa per ſenſum habita de connexione, vel diuiſione terminorum enunciationis alicuius; vt cum quis cognoſcit album deſcendere. Alia vero impropriè eſt experientia, quæ ipſa quoque ſenſitiua eſt cognitio, ſed ſine vlla affirmatione, aut negatione, ſimplexque ſenſatio appellatur. Vt viſio albi. De hac improprie vocata experientia vnicuique conſtat eam omnino neceſſariam eſſe ad ſcientias omnes; Ignoratis enim terminis ſimplicibus, neceſſe eſt omnia ignorari. Terminos vero ſimplices nullo modo cognoſcere intellectus poteſt, niſi ſenſus aliquis illos ſubminiſtrat. Nihil enim vnquam ab intellectu apprehenditur, quod aliqua ratione prius à ſenſu non cognoſcatur. Atque hoc valde patet de cognitione acquiſita. Illa vero, quæ inuentione comparatur, non minus ſenſu indiget. Intellectus enim cum ex ſe ſit indeterminatus ad omnia cognoſcenda, indigebat

digebat aliquo determinante, per quod magis ad vnum, quam ad aliud conſiderandum excitaretur; quod nullum aliud eſſe poteſt, quam ſenſus ipſe. At vero difficultas tota conſiſtit in proprie dicta experientia, atque de hac ipſa ego dum quæſtionem propoſui, intelligendum eſſe volui. I N-C L V S. Certè in huiuſmodi controuerſia neque Ariſtoteles ipſe ſibi videtur omnino conſtare. Quod enim in ſexto Ethicorum dixit confirmaſſe videtur in primo Metaphyſicorum inquiens artem, & ſcientiam ab experientia prouenire. Et tamen parum infra expreſſe fatetur reperiri artificem, & ſcientificum poſſe, abſque vlla experientia. SITIC. Videtur tamen omnino præferenda eſſe affirmatiua quæſtionis pars, tribus potiſſimum rationibus. Quarũ prima eſt huiuſmodi. Oportet aſſignare aliquod determinãs intellectum ad coniungendos, vel ſeparandos hoc vel illo modo terminos vniuerſalium propoſitionum. Tale autem eſſe non poteſt ſimplex notitia terminorum. Erit ergo cognitio eorundem complexa per ſenſum habita. Minorem propoſitionem oſtendo, exemplo huius propoſitionis. Si ab æqualibus, æqualia demas, quæ remanent ſunt æqualia. Quid enim prodeſt ad huiuſmodi propoſitionem conficiẽdam noſſe ſimplices terminos, quid ſit æquale, quid demere, quid remanere? Certè nihil, ſed niſi quis aliquãdo id fieri experientia cognouerit, nunquam poterit huiuſmodi terminorum talem complicationem conſtruere. Et ne putetis hæc me abſque auctoritate proferre, argumentum eſt doctiſſimi Iauelli. Eiuſdem etiam, immo & Petri Fonſecę eſt hoc ſecundum. Ab extremo in extremum non licet naturaliter pertranſire non tranſeundo per medium. Sed cognitio ſimplex termini ſingularis incomplexi, & complexa vniuerſalis ſunt duo extrema. Ergo nõ poterit intellectus ab illa, ad hanc peruenire, niſi per medium tranſeat. Tale autem medium nullum aliud eſſe poteſt, niſi cognitio ſenſitiua enunciationis, quæ experimentum appellatur. Tertio inductione probatur. Nemo enim aſſentitur principio vlli, niſi prius illud expertus ſit in multis indiuiduis, & in nullo reperiat inſtãtiam, aut certè cum proponitur illud apud ſe conferat cum multis ſingularibus, videatque num ita ſe habeat nec ne. Ecquis enim, inquit Petrus Fonſeca, aſſentitur his principijs, omne totum eſt maius ſua parte; ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent ſunt æqualia; qui non millies ea cum puer eſſet expertus ſit in rebus ſingularibus. In Principijs autem proprijs, ſicuti eſt definitio naturæ, definitio motus, & ſimilia, ipſe labor ea inueniendi, & examinandi ſatis apertè indicat, quanta prius experientia ſit opus, cum à poſteriori, & longo experimento, ac inductione colligi ſolent. TVTVS. Validiſſima videntur mihi hæc argumenta. PROVID. Et ſi tibi videantur talia, non ſunt tamen. Dic mihi Siticuloſe, cum inquis ad ſcientias neceſſario experientiam requiri, de quonam ſciendi genere intelligis, an de eo, quod à poſteriori procedit, docetq; tantum quia; an de illo quod à priori exordiens cauſſam docet propter quid? SITIC. De hoc ſecundo ſciendi modo ego intelligo. PROVID. At cum duplex ſit ſcientia, altera quidem quę cognitio dicitur Principiorum; altera vero quæ concluſionis, de quanam intelligis, cum ais ad eam neceſſariam eſſe experientiam? SITIC. De vtraque. PROVID. At vero cum neceſſarium

1. Metap. quæſt. 6. Fonſ. 1. Metaph. Cap. 1. q. 4. ſect. 3.

ceſſarium intelligatur dupliciter; Nam & inuenitur neceſſarium ſimpliciter & eſt illud, ſine quo res nullo modo fieri poteſt, vt nauigium neceſſarium eſt ad nauigandum; & aliud dicitur neceſſarium ſecundum quid, ſine quo res quidem fieri poteſt, ſed tamen ægrè, & magna cum difficultate, vt equus neceſſarius dicitur ad iter faciendum; ſcire hoc quoque vellem, de quanam ſpecie neceſſitatis intelligas cum ais experientiam neceſſariam eſſe ad ſcientiam. SITIC Faſtidioſus eſt hic tuus diſſerendi modus, ò Prouidè. De neceſſitate ſimpliciter intelligo. PROVID. Equidem faſtidioſus tibi videbitur, meus diſſerendi modus ſtatim enim oſtendam te rem corticetenus tantum conſideraſſe, totoque aberrare celo. Rogabo tamen te, vt aliquantulum etiam ſuſtineas meam in diſſerendo imperitiam: Hunc enim fructum referes, quod veritatem conſequeris, & errorem tuum exues. SITIC. Dicas quid vis, omnia æquo animo feram. PROVID. Primum ita ſtatuo. Quod ſiue experientia ſit ad ſcientiam neceſſaria, ſiue non, certè ſcientia concluſionum non alia indiget experientia ab illa, quæ neceſſaria eſt ad Principiorum cognitionem. Quid ad hoc reſpondes, Siticuloſe? SITIC. Concedo libenter. Cognitis enim præmiſſis demonſtrationis, ſtatim concluſio eluceſcit vi illationis neceſſariæ, abſque vlla experientia. Quod patet exemplo Mathematicarum. Nam Geometra, vt Fonſeca notauit, pauciſſimis poſitis principijs, ſcientiam acquirit multarum concluſionum, quarum connexiones nunquam in rebus expertus erat. PROVID. Reſpondiſti, vt volebam. Affero ſecundam concluſionem, quæ eſt huiuſmodi. Si prima, immediata, & communiſſima principia non indigent experimento vt cognoſcantur; neque cætera indigebunt, quæ mediata ſunt, & minus cõmunia. Concedis ne hanc? SITIC. Quid ſi negem? PROVID. Ego illam probabo eà ratione, quoniam minus communia principia ſunt concluſiones quædam ex communioribus deductæ, ex iiſque pendent. At cognitio concluſionis, vt modo dicebatur, ſtatim ex ſe reſultat, cognitis principijs. SITIC. Concedo hæc omnia. Quid bone Deus, hæc ad rem noſtrã faciunt? PROVID. Quid faciant videbis modo ex tertia hac cõcluſione, quam ego veram eſſe profiteor. Et eſt huiuſmodi, quod ad cognoſcenda principia prima, & immediata non eſt experientia neceſſaria ſimpliciter, ſed ſufficit ſimplex notitia terminorum. SITIC. Nunc video, quo tendas. Negatur, negatur hæc tua concluſio. PROVID. Duas habet partes Siticuloſe, hæc ipſa concluſio; prima eſt, experientiam non eſſe ſimpliciter neceſſariam; altera eſt ſufficere ad principiorum cognitionem quod ſimplices termini cognoſcantur. Vtranque partem diſtinctè oſtendam. Primam ſic probo; quoniam cognitio experimentalis non poteſt eſſe cauſſa, neque totalis, neque partialis cognitionis principiorum. Nõ totalis, eo quod ipſa imperfectior, & incertior eſt cognitione principiorum. Hæc enim eſt vniuerſalis, certa de omnibus, ita vt & de infinitis, & neceſſaria, illa vero neceſſaria non eſt, deque paucioribus certa, atque finitis. Non poteſt autem vlla cauſſa totalis effectum producere ſe ipſa nobiliorem. SITIC. Hic erras Prouide. Experientia enim & ſi eſt cognitio tantum definitis, concludit tamen de omnibus, etiam infinitis, quotieſcunque non affertur inſtantia in contrarium.

PRO-

PROVID. Vulgare eſt hoc refugium, nulliuſque momenti. Conſtat enim nullum experimentum, quantumuis frequens, & quotidianum poſſe ex ſe oſtendere intellectui neceſſitatem veritatis vllius, qualem nos eſſe principiorum obſeruamus; in quibus nos cognoſcimus non poſſe rem aliter ſe habere: vt conſtat in eo. Omne totum eſt maius ſua parte. Hanc inquam neceſſitatem nullo modo oſtendere poteſt experientia ex ſe; quæ tantummodo connexionem terminorum oſtendit, cum abſtractione ab eo, quod neceſſario, vel non neceſſario ita coniungantur, etiam ſi nulla in cõtrarium afferatur inſtantia. INCLVS. Profectò ita ſe res habet velit nolit Siticuloſus noſter. SITIC. Neſcio quid ad hoc reſpondeam. Sed quid dices ad eũ, qui experientiam faciat partialem cauſſam cognitionis neceſſariæ principiorum? PROVID. Quæram quænam ſit altera cauſſa ſocia? SITIC. Intellectus, inquam ego. PROVID. Neque aliam poteras afferre. Si ergo hic intellectus vna cum experientia producit cognitionem neceſſitatis, aut id facit per ſolam notitiam terminorum, aut quia videt terminos ita connecti in re. Si primo modo dicas non erit ergo neceſſaria experientia ad ſciẽtiam. Poſſunt enim ſimplices termini cognoſci abſque experimento. Si ſecundo modo dicas, ſequetur illud abſurdum, quod frequentior, perfectiorque experientia perfectiorem, certioremque ſcientiam pariet, quod tamen cernimus eſſe falſum. Sunt enim nonnulla, quæ vix ſemel per experientiam cognita, neceſſariam de ſe cognitionem præbent, vt totum maius eſſe ſua parte; cum tamen è contra alia reperiantur; quę licet frequentiſſimè obſeruentur, non tamen cognoſcuntur, vt neceſſario vera; ita vt intellectus videat repugnantiam contrarij. Cuiuſmodi ſunt Æthiopem eſſe nigrum, Homines in ſenectute caneſcere; & ſimilia. ANON. Nondum tam accommodatum, tamque verum argumentum audiui in ſimili negotio. SITIC. Ego quoque cogor aſſentiri. PROVID. Supereſt ſecunda pars concluſionis oſtendenda, quod ſcilicet ſimplices notiones terminorum ſufficiant ad cognitionem axiomatum, & primorum principiorum. Hæc autem primo probatur per Ariſtotelem dicentem in primo Poſteriorum, nos intantum principia prima cognoſcere, inquantum terminos cognoſcimus. Et preterea ex eo patet, quoniam nulla alia remanet cauſſa fidem infallibilem faciens de vniuerſali, neceſſariaque veritate propoſitionis. Hoc autem facile eſt experiri. Nam cognito quid ſit eſſe, nemo eſt qui non videat idem non poſſe eſſe, & non eſſe ſimul. Et ſi quis rectè concipiat rationem totius, & partis, & quid ſit maius, quid minus ſtatim intelliget totum eſſe maius ſua parte. Immo ſunt quædam principia, quæ nullo modo poſſunt per poſitiuam experientiam comprobari. Cuiuſmodi eſt hoc Principium. Quod libet eſt, aut non eſt. Et illud. Nil poteſt eſſe, & non eſſe ſimul. Nam licet de quocunque ſingulari experiamur quod ſit, tamen quod tunc careat exiſtentia, non poſſumus poſitiuè experiri, neque diſtincto experimento ab eo, quo exiſtentiam eiuſdem cognoſcimus. Id tamen ſola intelligentia percipitur explicatis terminis. SITIC. Magna certè ſunt hæc argumenta, neque negauerim magnam illa vim obtinere ad hoc ipſum oſtendendum. Tamen excedit captũ omnem intellectus, quod tam ſine experientia, quam vna cum illa ſcientiæ acqui-

Tex 6.

Frãc. Suarez. Diſp. 1. Sect. 6. num. 6.

Digitized by Google

acquirantur. PROVID. Hoc ego non aſſero Siticuloſe, ſed tantum dico non eſſe experientiam neceſſariam ſimpliciter; Fateor tamen neceſſariam eſſe ſecundum quid, ſcilicet multo facilius nos ſcientias adipiſci auxilio experientiæ, quam ſine hac. Nam & ſi poſitis principiis ſtatim concluſiones ſequantur, & Principia particularia ſint concluſiones communiorum, atque primorum; hæc autem ipſa prima cognoſcantur ex terminis; attamen ita principia prima diſponere ut hæc, vel illa ſequatur concluſio, & inſuper ex una inuenta concluſione alteram deducere, & rurſus aliam ſine experientia, non omnibus datum eſt, ſed de illis tantummodo, qui acri ingenio pollent, & mente præditi ſunt perſpicaci. Imbecillioribus vero per alterum ſuccurritur ſciendi modum, qui dicitur à poſteriori, & originem habet ab experientia. Hæc enim in rebus oſtendens concluſiones, & ipſum, vt aiunt, quia, in cauſſa eſt vt excitetur intellectus ad cauſſam indagandam, illius concluſionis, & experientiæ, neque unquam deſiſtat, quouſque ad ipſa principia prima deuenerit: Quibus habitis rurſus à cauſſa procedens, & à priori ad ſcientiam concluſionis aſcendit, & propter quid. Multum ergo confert experientia ad ſcientiam, cum ſit ueluti origo, & occaſio quædam intellectum excitans ad inueſtigandas cauſſas, & principia multarum concluſionum; quas fortaſſe nunquam ſine experientia eramus inuenturi ex ſola poſitione principiorum. Hoc tamen non tollit quin acre ingenium poſſit eò peruenire ſolo lumine intellectus, poſitis tantum principijs. Vt inde per ſe aſcendendo tales inueniat concluſiones, quas nobis primo loco pateſecit experientia. INCLVS. Audiui alias eximium Philoſophum Herculem Taſſum, de re huiuſcemodi diſſerentem, hancque ipſam ſententiam amplectentem; qui eandem pulcherrimo quodam exẽplo confirmabat, quod deſumpſiſſe dicebat ex antiquo quodam Auctore. Dicebat ſimile quiddam hic fieri, atq; in ægrotis, qui ſanitati reſtituuntur. Sunt enim nonnulli, qui à morbis quibuſdam euadent, abſque vllo remedio, à quibus uix alij liberari poterunt auxilio remediorum. Natura ſiquidem eſt primaria morborum curatrix, ut dicebat Hippocrates, medicamenta vero ſunt tantummodo auxilia, & inſtrumenta naturæ. Contingit ergo aliquando, ut quibus ualida eſt natura, hi abſque remedio vllo ab ijs morbis euadant; quos vt ſuperet natura alia imbecillis, medicamentis indigebit; non quod ipſum medicamẽtum ſit primaria cauſſa ſanitatis, ſed quia naturam à morbi grauitate preſſam, forte & ociantem excitat ad pugnandum cum morbo, eidemque naturæ fert opem; ipſa tamen dicetur primario curaſſe. Sic accidit prorſus, dicebat, & in morbis mentis, & ignorantia ſcientiarũ. Sunt qui hanc ignorantiam à ſe pellant ſola vi naturæ, & ingenij perſpicacitate; Quæ natura, vtens cognitione principiorum, tanquam ſpiritu quodam, incipit ex illis rectè diſpoſitis nonnullas colligere concluſiones, & ex his alias, donec ad alicuius totalis ſcientiæ perueniat cognitionem. Sunt e contra alij, qui tardi cum ſint ingenij nunquam poſſent mentis ſanitatem conſequi, & acquirere ſcientiam aliquam, niſi prius ab experientia, vt à remedio quodam excitati mentem adhiberent, & dirigerent ad inueſtiganda principia, & cauſſas illius, quod patuit per experientiam. Non tamen

Ant. Andr. 1. Met. ph q. 4. 6. Epid. ſec. 5. tex. 1.

dicendum tunc eſt experientiam illam primariam fuiſſe ſcientiæ cauſſam; Talis enim cauſſa lumen eſt intellectus, experientia vera fuit origo, occaſio quædam, & inſtrumentum. PROVID. Rectè. Ex his ergo patet Iauellum, Suarez, & alios in eo fruſtra laborare, ut doceant experientiam licet non ſit neceſſaria ſimpliciter ad ſcientiam acquiſitam, neceſſariam tamen eſſe ad eam, quæ per inuentionem acquiritur. Si quis enim bene conſideret eorum argumenta, illa videbit probare tantum de neceſſitate ſecundum quid. Facile etiam eſt ex his apparentem in Ariſtotele inconſtantiam tollere. Vbicunque enim neceſſariam facere experientiam ad ſcientias videtur, de hac neceſſitate venit intelligendus. Cum autem inquit Artificem, & ſcientificum reperiri poſſe experientiam non habentem, loquitur de eo, quod fieri poteſt ſine repugnantia. SITIC. Iam videtur mihi quoque hæc ſententia valide confirmari, & eſſe ſummopere probabilis; attamen argumenta in contrarium adducta ipſa quoque ſunt validiſſima, & non arbitror te illa ſoluturum. PROVID. Riſum mihi profecto concitaſti, tam conſtanti iſta tua aſſeueratione. Eia experiamus, quam difficilis exiſtat harum contrariarum rationum diſſolutio. Ad primum breuiter dico intellectum cognitis tantummodo ſimplicibus terminis, poſſe optimè hanc enunciationem conficere; ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent ſunt æqualia, & alias omnes abſque alio determinante.

SITIC. Neſcio qui fieri hoc poſſit. PROVID. Videas. Acquiſiuerit aliquando intellectus ſpeciem termini huius ſimplicis, æquale; ſitque ſpecies hæc actualis, in tempore A. in quo eodem tempore ſenſus per modum ſimplicis apprehenſionis repræſentet terminum hunc demere; quid prohibet intellectum eodem ferè tempore hos duos terminos diſiunctim appræhendentem, cognoſcere nullam in illis eſſe repugnantiam, quominus coniungi queant, ita vt æquale demi poſſit ab aliquo? SITIC. Nihil prohibet. PROVID. Iungat ergo, & dicat, æquale demi poteſt ab aliquo. Eadem ratione poterit etiam dicere; æquale demi poteſt ab æquali. Nonne? SITIC. Haud nego. PROVID. Si ergo idem dicamus & de termino, remanere, iam conſtabit intellectum ex ſe tandem poſſe totam illam propoſitionem conficere. SITIC. Apparet certè ita dicendum eſſe, at non apparet, quidnam ita intellectum determinet, ad coniungendos ſimplices illos terminos hoc, vel illo modo. PROVID. Ego duas dico eſſe partiales cauſſas ita intellectum determinantes. Vna quidem eſt ipſa ſimplex ſenſatio termini alicuius, ſuperueniens actuali ſpeciei alterius præexiſtenti in intellectu. Altera vero eſt non repugnantia eorundem terminorum, vt ſimul iungantur. Hæc autem non repugnantia ex ipſa terminorum notitia ſimplici innoteſcit, ſicut & è contra repugnantia ipſa cognoſcitur, cognitis terminis. Cognito ergo, quid ſit æquale, & quid ſit demere, primum intellectus uidet non repugnantiam inter hæc, atque ita cognoſcit æquale demi poſſe ab æquali. Cognoſcit etiam non repugnantiam inter æquale, & remanere, ita ut uideat poſſe remanere æquale. Cognitis ergo duobus hiſce totalibus terminis, uidet in illis neceſſitatem connexionis, ita vt vnum ſine altero non ualeat exiſtere. Quemadmodum enim qui nouit, quid

ſit

ſit demere ſtatim etiam cognoſcit non modo quid ſit remanere, verum, etiam & illud non poſſe aliquid demi, quin & aliud remaneat; ita qui aliquando nouit, quid ſit demere æquale ab æquali, non modo ſtatim cognoſcet quid ſit remanere æquale, verum etiam intelliget neceſſario fieri, ut data æqualis ab æquali ſublatione, neceſſario æquale remaneat. Vnde conſtat propoſitionē emergere ex ſe ipſa, dūmodo termini rectè conſpiciantur. SITIC. Iā manibus, & pedibus in tuā ſentētiam venio. Pergas tñ, & reliqua ſoluas argumēta. PROVID. Secundum argumentū plures errores continet, pluresq; reſpōſiones habet, quā habeat verba. Queſo, illud repetas, vt diſtinctè reſpōdeam. SITIC. Erat hoc argumentū Fonſecæ. Ab extremo in extremū non licet naturaliter pertranſire, non tranſeūdo per mediū. Simplex terminorū apprehenſio, & cognitio eorundem cōplexa vniuerſalis ſunt extrema. Ergo ab illa ad hanc nō poterimus niſi per medium pertranſire. Tūc ſic. PROVID. Commode obſecro. Ne tam cito ulterius procedas. Sunt hic quoque errores. Nam diſtinguēda maior. Vera enim illa eſt, ſi de extremis poſitiuis loquamur, quæ etiā medium habent per participationem, cuiuſmodi ſunt calidū, & frigidum, albū, & nigrū, & ſimilia. At in extremis priuatiuis, quorum. ſ. alterum eſt priuatio, falſa eſt. non. n. datur medium inter ſic oppoſita, ſed in inſtanti fit tranſitus, vt patet in lumine, & tenebris. Sic quidem diſtinguenda maior. Ad minorem venio; & primū illā nego. Quomodo. n. ſunt oppoſitæ, aut extremæ duæ illæ cognitiones, ſimplex appræhenſio terminorum, & complexa cognitio vniuerſalis? SITIC. Extremæ ſunt, quoniam illa eſt incomplexa, hæc vero complexa; vna vniuerſalis, altera non vniuerſalis; fortè neque particularis, ſed præſcindens. PROVID. At hæc eſſet oppoſitio quædam priuatiua, & immediata, de qua non procedit argumentum, ut modo dicebamus. A N O N. Optime reſpondet. PROVID. Sed eſto poſitiua hæc oppoſitio, & medium habeat; peto quale nam ſit illud medium, quod cogimur pertranſire, dū à ſimplici conceptu, tranſimus ad vniuerſalem propoſitionē? SITIC. Eſt cognitio cōplexa ſingularis ſenſitiua, q̄ experiētia dr̄, inquit Fōſeca. PROVID. Bone Deus, quam abſurda eſt hæc doctrina; verè ex ſicco fonte hauſta. Si dixiſſet cognitionē cōplexā terminorū mediū eſſe, iſtud fortaſſe permiſiſſē; at vero cum addat eſſe debere ſenſitiuā, certè abſq; omni rōne, & omnino gratis, & licenter id addit. Et ſane neq; ipſe docere poterit vnquā quō cognitio ulla ſenſitiua ſit mediū inter duas intellectiuas. Addo mō, quod neq; cognitio ipſa cōplexa intellectiua ſingularis mediū dici pōt inter ſimplicē apprehenſionē, & vniuerſalē propoſitionē. SITIC. Facile eſt illud probare; & oſtendā mediū eſſe p participationē. Illud. n. dr̄ medium per participationē, quādo aliquid participat vtriuſq; extremi. Cognitio autē cōplexa, vt cōplexa eſt, aliquid participat ſuæ vniuerſalis, & ſimplicis apprehenſionis terminorum. In ea. n. reperitur terminorum conceptus ut conſtat; quo communicat cum ſimplici apprehenſione; reperitur etiam affirmatio uel negatio, q̄ conuenit cū ſua vniuerſali. PROVID. Perperā uideris intelligere rationē medij participantis. Non. n. quicquid aliquid participat duorum extremorum, ſtatim etiam eſt medium inter illa per participationē vtriuſque: alioquin dulcedo quia

Digitized by Google

eſt quædam qualitas medium eſſet tale inter albū, & nigrum; nam & conceptus qualitatis includitur in utroque. Sed illud dicitur medium per participationem, quod aliquid duorum oppoſitorū participat, quatenus ſunt extrema. Vnde quia albedo vt albedo eſt, opponitur nigro, ideo illud tantum dicetur eorum medium per participationem, quod aliquid habet albedinis, & aliquid nigredinis. Ad rem. Si uniuerſalis propoſitio opponitur ſimplici apprehenſioni; aut ideo opponitur, quia eſt complexa, illa uero incomplexa; aut quia eſt vniuerſalis, illa nō. Si primo modo, ergo propoſitio ſingularis nihil participat ſimplicis apprehenſionis; cum nō minus ſit cōplexa, atque uniuerſalis ipſa. Si ſecūdo modo; ergo nihil participat uniuerſalis propoſitionis; cū ſingularis propoſitio, qua talis eſt, nihil habeat vniuerſalitatis. Et præterea quæ participantur, id patiuntur remiſſa, atque refracta; at uniuerſalitas eſt indiuiſibilis, neque augeri, aut minui; intendi, aut remitti poteſt. Vide ergo in quantas difficultates hæc tua compellatur opinio.

SITIC. Agnoſco equidē illius abſurditatē. Vnum tñ addam. Quod cū in ſimplici apprehenſione nihil affirmetur, aut negetur, in uniuerſali uerò alterutrū fiat, cū vniuerſalitate, neceſſe eſt ut cognitio cōplexa ſiue ſingularis, ſiue indefinita præcedat aliqua rōne ipſam vniuerſalem. PROVID. Profectò affirmatio, & negatio præciſè ſumpta, præcedit affirmationem, & negationem uniuerſalem; at hoc dici non poteſt de ſingulari. Immo neque illa, quæ præciſè ſumitur præcedit uniuerſalem tempore; ſed natura tantum, ſicuti etiam natura tantummodo ſequitur ſimplicem apprehenſionem. Nam vt de Principijs loquamur, primo termini eorum concipiuntur, deinde ex eorum notitia eluceſcit neceſſitas connexionis, uel diuiſionis eorundem, & ex hac poſtremo cognoſcitur uniuerſalitas propoſitionis. Non enim alia de cauſſa propoſitio uera eſt in uniuerſali, niſi quia termini neceſſario coniunguntur, uel ſeparantur. Quamuis itaque affirmatio, vel negatio præcedat uniuerſalem propoſitionem, præcedit tamen ordine naturæ tantum. Neque opus eſt, ut talis affirmatio, vel negatio cognoſcatur per ſenſum, ſed ſufficit ſi ratione aliqua ſit intellectui cognita.

SITIC. Ad tertium propera.

PROVID. Illius negatur aſſumptum. Non enim quiſquam Principijs aſſenſum præbet, quia prius illa expertus ſit; non enim minus illis aſſentiretur, etiam ſi nunquam illa expertus eſſet. Accidit ergo quod tam frequenter in rebus reperiantur; idque ob magnam eorundem communitatem. Ad illud autem quod addit Fonſeca de Principijs proprijs, quæ experientia duce ſunt inuenta, ut illud eſt; Rhabarbarum bilem elicit; & ſimilia, quæ ut certa aſſumuntur à Philoſophis; dico quod ſi talia Principia non poſſunt à nobis à priori per notiora probari; ſed neceſſario ſtandum eſt in illis ſola experientia cognitis, quamuis nullam habeant inſtātiam, dico inquam, neq; illa, neq; cōcluſiones ex illis deductas propriè ſciri, ſed tantum impropriè. Talia fortaſſe Principia ſunt definitio Naturæ; illud de Rhabarbaro, & alia afferri ſolita. Conſtat enim intellectum poſſe opinari contrariū illorum, cum tñ id euenire

non

Digitized by Google

non poſſit in ſcientia propriè ſumpta. Quæ enim verè ſciuntur, ita intellectum captiuant, vt ipſe intelligat non poſſe illa aliter ſe habere, neque contrarijs poſſit aſſentiri. Propterea rectiſſimè Scotus inquit cognitionem, quæ tandem terminatur ad Principia ſola experientia cognita, habere infimum gradum cognitionis ſcientificæ. Ibique non haberi neceſſariam connexionem terminorum actualem, ſed tantummodo aptitudinalem, ita vt tunc nihil propriè ſciatur, niſi ſubiectum aptitudinem habere ad prædicatum, non autem hæc actualiter vniri. 1. Sen. d. 3. queſt. 4.

ANONYM. Omni laude dignus eſt Prouidus noſter, ô Amici, eo etiam nomine commendandus, quod adeo lucide, & facile ſuam afferat doctrinam, vt nihil ſit tam arduum, quod ſtilo illo ſuo planum, & facile non reddat. En quanta cum dexteritate Siticuloſum ab illo ſuo errore reduxit. Ego uero Siticuloſe, riſum continere uix poteram, dum tu Iauellum, & Fonſecam pro tua priori opinione confirmanda afferebas in medium. SITIC. Quid ita? ANONYM. Quia ſcio illos, ſibi ipſis contradicere, tandemque venire in ſententiam illam, quam modo Prouidus adeo egregiè ſuſtinuit. En Iauellus in primo Metaphyſ. quæſtione prima ſtatuit intellectum ſolo ſuo lumine poſſe principia complexa conficere, ut totum eſſe parte maius, & alia etiam, abſque ulla experientia, modumque docet quo id fiat. Fonſeca vero reſponſurus ad argumentum Caietani in contrariam ſententiam incautus ruit. Dicebat Caietanus incertum, ac fallax, & minus latè patens, qualis eſt experientia non poſſe eſſe cauſſam eius, quod eſt certiſſimum, & latiſſimè patens, qualis eſt cognitio Principiorum. Fonſeca ergo, poſthabita Caietani reſponſione, inquit veram, & propriam cauſſam cognitionis Principiorum non eſſe experientiam, ſed lumen intellectus, quo cernimus prædicata eſſe immediata ſubiectis. Experimentum uero non modo non eſſe veram illorum cauſſam, ſed neque etiam eſſe vt id ſine quo termini aptè coniungi non poſſint. Hæc Fonſeca. Quid ais Siticuloſe? Loco citato q. ſect. 4

SITIC. Nil aliud niſi, nihil eſſe peius, quam in horum recentiorum Auctorum verba iurare. Prouide ego tibi hanc meam reſipiſcentiam acceptam refero.

Digitized by Google

ODISSEÆ

Septimo, verſu CCCIX.

Suſpicioſi enim ſumus ſupra terram genus hominum.

Iure Homerum appellaſſe ſuſpicioſum genus Hominum. Eſſe enim ſuſpicionem Homini propriam, nec alijs Animantibus conuenire.

COLLOQVIVM XXXIII.

INCLVSVS.

QVID vobis uidetur, ô Amici, de Homerica hac ſententia? Legiſtis ne vnquam apud celebres Auctores Hominem ſuſpicionis notam ſibi propriam adſcribere inter cætera Animantia? TVTVS. Hoc ipſum ego nuper conſiderabam tacitus; videturque mihi Homerus ignobili ualde epitheto Hominis naturam dehoneſtare, appellans illum ſuſpicioſum.

INCLVS. Tu tamen dum hæc de Homero cogitas, ſimul illius ſententiam incautè confirmans ſuſpicioſum te ipſum patefaciens, cum leui de cauſſa malè opineris de eximio illo viro, Poeta, Philoſopho.

TVTVS. Tune ergo tanta iniuria hominem afficies? INCLVS. Equidem non arbitror rem ullam ea ratione dehoneſtari, aut iniuria affici, ſi quis imperfectionem aliquam afferat, cuius ipſa ſola ſit capax. Solus homo poteſt virtutem conſequi, ſolus eſt vitij capax. An propterea quis dicetur hominis dignitatem labefactare, ſi dixerit illum vitij eſſe capacem? Suſpicio quidem neſcio quid ſonat imperfecti, at ſi huic imperfectioni ſolus ſubijciatur homo, non propterea culpandus erit Homerus, qui id ſcripſerit, quod ueritati eſt conſentaneum: neque ea de cauſſa uocandus erit de hominis excellentia male meritus.

TVTVS. Vt video, paratus es ad huiuſmodi ſententiam ſuſtinendam. Si ita res habet, id quamprimum facias te rogo, & obſecro. Cogor enim parum immorari; diſpliceret autem mihi ſummoperè tali colloquio non intereſſe. Res enim eſt peregrina, tuoque ingenio digniſſima.

INCLVS. Sanè mihi ita res habere uidetur, quod ſuſpicio in ſolum hominem cadat, eique ſoli contingere poſſit. Nec modo hoc ipſum mihi uerum eſſe videtur, verum & illud addo, quod vt plurimum ita eueniat, ut ſuſpicioſi homines fiant. At neque hic quieſco, ſed vlterius progredior, & aio illud quoque non ineptè dici, quod nos in illam procliues quodammodo eſſe uideamur. Tria hæc ego breuiter oſtendam, dum-

dummodo benignas mihi aures præbeatis. Exordiens autem à definitione ſuſpicionis, video illam ita ab Ariſtotele definitam fuiſſe, quod ſit opinio, qua de omnibus inclinamur ad hoc vt ſentiamus hæc ita eſſe, & non eſſe. Quæ quidem definitio ita latè explicat ſuſpicionis naturam vt iuxta illam neque bona moraliter, neque mala eſſe videatur. Si enim quiſpiam magnum aliquod bonum de alio opinetur cum formidine tamen, & hæſitatione, is ſecundum hanc definitionem, ſuſpicioſus eſſe dicetur, cum tamen hic nulla reperiri poſſit improbitas culpanda. 2. Magn. moral. 33

Diuus Thomas preſſius ſuſpicionem accipit, iuxta Ciceronis doctrinam, & illam ſemper vitium facit in moralibus, dicens non aliud eſſe, quam opinionem mali, quando ex leuibus indicijs procedit. Solet autem à triplici cauſſa procedere. Prima eſt malitia, & improbitas hominis ſuſpicantis. Cum enim eſt aliquis ex ſe ipſo malus, & quaſi conſcius ſuæ malitiæ, facile de alijs mala ſuſpicatur. In quam ſententiam uidetur & illud dictum fuiſſe ab Ariſtotele, quod qualis vnuſquiſque eſt, talia & illi cætera eſſe videntur. Et clarius D. Chryſoſtomus ſuper Matthæum, id explicat inquiens. Omnis homo ex ſe æſtimat alterum. Fornicarius neminem putat caſtum, caſtus de fornicario non facile ſuſpicatur. Superbus neminem putat humilem, humilis neminem putat eſſe ſuperbum. Sic qui non eſt ex Deo ſacerdos, neminem putat ex Deo ſacerdotem. Qua autem ratione id fiat, videre poteſtis in Commentario Io. Baptiſtæ Perſonæ; in librum quod animi mores. Altera cauſſa eſt, cum quis malè ad alterum affectus eſt; Cum enim aliquis contemnit, vel odit alterum, aut iraſcitur, vel inuidet ei, leuibus indicijs male de illo opinatur; vnuſquiſque enim facile credit, id quod appetit. Propterea & Ariſtoteles ait non eadem ſentire qui amant, & qui oderunt; qui irato ſunt animo, & qui pacato. Qui enim amat eum, de quo iudicium facturus eſt, vel nihil iniquè egiſſe, vel parum peccaſſe cenſet. Qui autem odit contrarium ſentit. 2 2. q. 60. ar. 3. 3. Ethic. 5 2. Rhet. 1.

Tertia vero cauſſa ſuſpicionis huius, videtur eſſe experientia malorum. Vbi enim quis ſæpenumero deceptus eſt, ab alijs, expertuſque eſt aliorum improbitates, leui de cauſſa ſolet de alijs male opinari. Quo circa Ariſtoteles aſſerit ſenes eſſe ſuſpicioſos, neminique credere propter experientiam, & vſum. Quoniam enim multos annos uixerunt, pluribuſque in rebus decepti ſunt, atque ipſi aberrarunt, magnaque negotiorum pars abundat malis, nihil planè confirmare ſolent, & ſe opinari, non ſcire quicquam prædicant. Ideoque de re omni ambigentes ſemper adiungũt Forſan, & Fortaſſe. Hæc Ariſtoteles. Porro D. Thomas tres gradus conſtituit in huius ſuſpicionis prauitate. De qua re non uidetur hoc loco longius agendum eſſe. Illud tamen explicare conabor, ſuſpicionem ſiue primo modo, ſiue ſecundo modo ſumatur in ſolum Hominem, & vt plurimum cadere, in illamque nos quodammodo eſſe propenſos. Et ut primum de Ariſtotelica ſuſpicione loquamur, Hæc cum ſit opinio, qua eadem res & eſſe, & non eſſe videtur, non poteſt alteri, quam homini conuenire. Conſequitur enim illa eximiam intellectus noſtri libertatem, ſecundum quam ipſe poteſt in vtranque contradictionis partem argumentari, atque diſcur- 2. Rhet. 3.

dicam nihil nos verè ſcire, neq; vllam à nobis veritatem exactè cognoſci; nec hominem natura ſcientiam appetere; Non hęc ego admiſerim abſurda. Sed aio, quantumuis homo natura ſcire deſideret, paucos tamen ſcientias adipiſci; & qui adipiſcuntur in multis potius ſuſpicari, quã quod ea ſcientificè intelligant, idque accidere propter ingentem in ſcientijs comparandis difficultatem, non quod homo illas natura non appetat. Dico autem nos in huiuſmodi ſuſpicionem eſſe quodammodo procliues, non quod in illam directè feramur, & per ſe; ſed quia ita ſumus natura conſtituti, vt tota difficultàs, quæ in ſcientijs inuenitur adipiſcendis non ex ipſa rerum veritate dependeat, ſed ex naturali imbecillitate & impotentia intellectus noſtri. Quod etiam pauci ſcientias adipiſcantur, multi in tenebris ignorantiæ iaceant, non ipſa eſt natura veritatis in cauſſa, ſed eſt obtuſa acies noſtri intellectus, qui ita ſe habet ad rerum veritates intelligendas, vt & oculi nicticoracum ad Solis lumen inſpiciendum. Quemadmodum itaque dicimus et eiuſmodi animalia eſſe natura propenſa ad malè cernendum Solis lumen, quamuis hoc ex ſe valde ſit aptum videri, & eorum natura ſemper nitatur operationes omnes perfectas edere quoadeiusfieri poſſit.) ea de cauſſa quoniam ita ſunt imperfecta natura, vt tantum obiectum cernere haud poſſint; ſic dicimus hominem, quamuis ſit ſcientiæ naturalis amator, & cupidus, quamuis res ipſæ ex parte ſui paratiſſimæ ſint vt à quouis intelligantur, natura propenſum eſſe ad ſuſpicionem potius, & ad opinionem; propterea quod ita eſt à natura conſtitutus, vt tota cauſſa difficultatis, quæ in addiſcendo percipitur, in hominis ipſius imbecillitate naturali conſiſtat.

INGEN. Multos habebis aduerſarios ò Incluſe, ſi adeo abſurdã opinionem tueri volueris. INCLVS. Quamobrē? INGEN. Quoniam pauciſſimi ſunt, qui ita ſentiant, maiorque Philoſophorum pars contrariam amplectitur ſententiam, ſcilicet, quod addiſcendi difficultas in rebus ipſis cõſiſtat, non in intellectu noſtro. Quod ſi qui aliter ſentiunt, ita ſententiam modificant, vt velint huiuſmodi difficultatem ex vtraque parte dependere, ſcilicet & ex parte rerum, & ex parte intellectus. Adeo vt pauciſſimi ſint, qui tecum ſentiant, totamque difficultatem in intellectum reijciant. INCLVS. Nil mirum ſi hæc ſententia multos aduerſarios habeat. Nam vt modo dicebamus, pauci veritatem intelligunt, multi illam ignorant. INGEN. Ego vnus ex illis ſum, qui aliter ſentiunt. Quod ſi vis me tecum rationibus agere aliquantulum, facile oſtendam te in magno errore verſari. ANON. Quieſcas Ingenioſe, neque velis inſtitutam iam tractationem confundere, atque peruertere Sinas Incluſum propoſitam materiam proſequi. Vbi ipſe abſoluerit, polliceor me tibi ſatisfacturum. Tu Incluſe quæ ſuperſunt dicenda in hac materia, in medium afferas. INCLVS. Arbitror me tria illa oſtendiſſe de ſuſpicione primo modo ſumpta; atque in hoc ſenſu recte dixiſſe Homerum quod hominum genus ſit ſuſpicioſum. Si quid Ingenioſo non ſatisfacit paratiſſimus ero ad illius defenſionem. Nunc ad eadem oſtendendi propero de ſuſpicione ſecundo modo accepta, & vt D. Thomas illam ſumit. Quod igitur hęc ad ſolum hominem pertineat, facilius oſtenditur.

Cum

Digitized by Google

Cum enim ſuſpicio in hoc ſenſu vitium quoddam importet, conſtat illius eſſe ſolum hominem capacem, cum & ipſe ſolus poſſit contrariam virtutẽ aſſequi. Contrariorum enim eadem eſt doctrina, & ſubiectum idem. Confirmatur hæc ſententia, diſcurrendo per tres illas, quas attulimus ſuſpicionis huius cauſſas. Prima erat malitia hominis ſuſpicantis. Malitia inquam ad mores pertinens, cuius conſtat nullum animal præter hominem eſſe particeps. Secunda odium erat, & inuidia in alterum; Quæ & ſi fortaſſe quodammodo & brutis quibuſdã ineſſe videantur, non tamen eiuſmodi ſunt, vt ex leuibus indicijs illa poſſint morale malum, immo ne malum quidẽ omnino ſuſpicari. Qua etiam de cauſſa conſtat neque tertiam cauſſam in illis habere locum. Nam & ſi canis ſemel baculo percuſſus, videns hominẽ baculum manu geſtantem ſuſpicatur, & timet ne iterum percutiatur, timor tamen ille non à leui ſigno oritur; neque eſt de malo ad mores pertinente, quæ ambo ad hanc ſuſpicionem cõcurrunt. PROVID. Quomodo inquies, timorem illum canis, non eſſe à leui ſigno? INCLVS. Propterea quod canis ille baculum videns habet pro certo ſe percuſſum iri, ob antea allatam rationem, quod bruta trahuntur ab obiectis. At ſuſpicio ideo dicitur à leui ſigno procedere, propterea quod facile quoq; eſt homini contrarium opinari, quod brutis non eſt conceſſum. Vitium inſuper dicitur hæc ſecunda ſuſpicio, eo quod verſatur circa peccata. Nõ enim quis dubitans, ne, ſi quis Romam perficiſcatur, in medio itineris incidat in latrones, dicetur ſuſpicionem huius pati, in hoc ſecundo ſenſu. Propterea quod malum quod de altero iudicat, peccatum non eſt; ideo huiuſmodi ſuſpicio magis ad primã ſpeciem pertinet. Ad ſecundam autem ratione obiecti illæ ſolæ pertinent, quæ ſunt de peccato. Vt ſi quis videns hominem exire è domo mulieris iudicet illum peccaſſe. Conſtat itaque hanc quoq; ſecundam ſuſpicionem in ſolum hominem cadere, cum ſit vitium, & à leui ſigno procedat. Homo enim ſolus vitijs ſubijcitur, & à leuibus ſignis poteſt validas haurire rationes. Hinc elucescit & ſecundum caput, nempe vt plurimum homines hoc vitio laborare, Quid ni? ſi maior pars hominum ſpreta virtute ad vitia ſe conuertit? Hæc autem ſuſpicio & vitium eſt quoddam, & à vitio inexiſtẽte procedit; nec non & vitij cognitionem, & experientiam ſequitur. Quod ſi homo magis quodammodo eſt ad vitia procliuis, quam ad virtutes, vt oſtenſum antea fuit, nonne etiam eadem ratione dicemus & ad huiuſmodi ſuſpicionem naturaliter inclinare? Non ergo culpandus Homerus, quod hanc veritatem attigerit, inquiens ſuſpicioſum eſſe hominum genus. Hinc ſæpenumero in Odyſſea licet obſeruare, eundem Poetam facere Vlyſſem ſuſpicioſum admodum. In illa enim ſua longa peregrinatione, nullum hominum genus inuenerat, quod vitijs peculiaribus non ſubijceretur, vnde nulli fidebat, ſed omnes in aliquo peccare vitio ſuſpicabatur. Vſque adeo verum eſt hominem eſſe ſuſpicioſum, vt & illi quoque, qui Prudentia excelluiſſe viſi ſunt, qualis Vlyſſes extitit, ab hac non immunes fuiſſe decantentur. TVTVS. Si ſuſpicio in hoc ſecũdo ſenſu vitium quoddam dicitur, & hac ſuſpicione affectus erat Vlyſſes, ſequeretur ergo Poetam noſtrũ cantaſſe virum affectum vitijs, immo & de vitijs illum laudaſſe. Hoc autem

Colloquio ſexto.

non

non videtur de Homero dicendum. INCLVS. Acuta obiectio; cui tamē ita reſpōſum volo. Suſpicio in hoc ſecundo ſenſu ſumpta, vitium quidem eſt quoddam, ſed tunc tātum, cum à primis duabus cauſſis procedit. Eo quod hę duæ primę cauſſæ manifeſtè pertinent ad peruerſitatem affectus. Tertia vero cauſſa, nempe experientia diminuit rationem ſuſpicionis, quatenus ſcilicet experientia ad certitudinem proficit, quæ eſt contra rationem ſuſpicionis, quæ etiam eſt D. Thomæ doctrina. Quamobrem, qui propter ſolam experientiam, quam habet de hominum malitia, male de alijs iudicat, & ſi dici poſſit ſuſpicionem pati, ea tamen ſuſpicio non eſt abſolutè mala, & fortaſſe pertinet ad primam ſpeciem definitam ab Ariſtotele. Talis autem illa fuit Vlyſſis, quæ ortum habuit ab excellenti illa, quam comparauit experientia humanarum rerum, dum mores hominum multorum vidit, & vrbes. TVTVS. Iam omnino ſublata eſt mihi difficultas omnis, reſque prorſus ita ſe habet, vt tu docuiſti hactenus. Tantummodo illud peto, pro exacta ſententiæ huius dilucidatione, vt rationem afferas cur Homerus illa addiderit verba; *SVPER TERRAM.* INCLVS. Hoc eximiā patefacit Homeri noſtri doctrinam. Cognoſcebat & ipſe animi noſtri immortalitatem. Cognoſcebat & illud, quod omnis ſuſpicionis cauſſa ex illa imperfectione naſcebatur, quam anima ex coniunctione corporis conſequitur. Propterea dixit nos eſſe ſuſpicioſos ſuper terram, ideſt dum viuimus in hoc corpore. At poſtquam ſeparatus fuerit animus (tunc autem ad inferos deſcendere omnium animas exiſtimabat, eſſeque omnes ſub terra) non amplius vlla ſuſpicio. Non quidem prima, quoniam tunc intelligit ſine errore, & difficultate; amoto corpore, quod erat omnis difficultatis cauſſa. Neque ſecunda, cum in anima ſeparata nulla ſit occaſio deceptionis, vt ex leui ſigno poſſit falſitatem vllam ſuſpicari; eadem de cauſſa quoniam corpus eſt cauſſa omnis deceptionis in anima. Non ergo ſub terra ſuſpicioſi ſunt homines; ideſt animæ ſeiunctæ, quas omnes ſub terram deſcendere putabat Homerus; ſed ſuper terram tantummodo. ANON. Addis ne aliud Incluſe? INCLVS. Dixi. ANON. Ego vero omnino tuam laudo doctrinā, & ingenium admiror. At Ingenioſus noſter eſt veritatem illam edocēdus, quod tota addiſcendi difficultas conſiſtat in imbecillitate noſtri intellectus. Niſi enim hoc quoque probaueris, iam tradita doctrina magnam patietur difficultatem. INCLVS. Quam libentiſſimè faciam; & quandocunque voluerit. INGEN. Et Princeps noſter cum Paucioribus ſentit? ANON. Verè ſentio, atque ita me rectè ſentire profiteor, vt minimè dubitem, te quoque in meam ſententiam venturum. Expectabo te in ſequenti colloquio, in quo commodius diſſeremus de propoſita materia. Adſis, & ego adero. Interea tuos euoluas libros, vt validior, & inſtructior in arenam deſcendas. INGEN. Sic faciam.

2.2. q. 60 art. 3.
Caietanus eodē loco.

QVÆ-

Digitized by Google

me noſti. INGEN. Sententia illa, quæ mihi magis placet, eſt illa D. Thomæ, quam non & ego modo libenter ſequor, ſed Ægidius quoque, Iauellus, Fonſeca, Franciſcus Suarez, & alij quoque amplectuntur. TVTVS. Ego ne hic aliquid deſit, quod tractationem hanc perfectam reddat, vnam, vel alteram rationem inſeram (ſi modo vobis placuerit) ad ſuſtinendam, defendendamque Heracliti opinionem. Non quod ita ſentiam, ſed vt magis elu ceſcat illius abſurditas, & ego videam vbi rationes illæ peccent, quas ego ſum allaturus. INGEN. Incipias tu ergo rationes haſce tuas afferre. TVTVS. Videtur primo Heracliti ſententia ea ratione probari, quoniam ſicuti ſe habet materia ſummè diſpoſita ad ſuſceptionem formæ, ita intellectus ſummè diſpoſitus ad intellectionem rei; Patet, quoniã obiectum agit in intellectum, & intelligere eſt quoddam pati. At quando materia ſummè eſt diſpoſita, nulla difficultas eſt ex parte ipſiu: in forma recipienda, ſed tota ſe tenet ex parte agentis. Sic ergo & in intellectu dicendum. Ipſe enim ſemper eſt ſummè diſpoſitus ad intelligendum, nullaque in eo eſt qualitas, quæ cognitioni aduerſetur, ſed ſola priuatio. Quod ergo difficulter intelligat non ipſe eſt cauſſa, ſed res ipſæ quæ cognoſcuntur, & in intellectũ agunt. Quod ſi non in omnibus rebus cognoſcibilibus tota eſt intelligendi difficultas, certè in aliquibus totam eſſe videtur euidentiſſimè probari hac ratione quoniam res eatenus cognoſcuntur, quatenus ſunt in actu, certæ in ſe, atque determinatæ, vt Ariſtoteles docuit in. 9. Metaph. At multæ ſunt de ſe potentiales, vt materia: multæ incertæ, vt tempus, & motus, multæ indeterminatæ, vt infinitum. Tota ergo difficultas, quæ in hiſce rebus cognoſcendis cernitur, in ipſis rebus conſiſtet, non in noſtro intellectu. Nil aliud addo in huius opinionis confirmationem, ne faſtidium vobis afferam, & tempus inutiliter conteratur. ANON. Non poterat abſurda opinio probabilioribus argumentis comprobari. Facile tamen reijcientur. Suſtineas paulum, donec, & Ingenioſus noſter, & ego quoque noſtra attulerimus argumenta. Vt hinc inde conſideratis omnium viribus, facilius eluceſcat, quænam opinio ſit melior, & quæ deterior. Ingenioſe tuæ modo partes erunt omnes illas rationes, & auctoritates in medium proponere, quæ tibi fauere videntur. Ego poſtremo meas afferam. INGEN. Quam libentiſſimè faciam. Dico itaque difficultatem intelligendi nonnunquam à rebus ipſis prouenire, nonnunquam ab intellectu noſtro, quod quidem quomodo ego intelligam, explicabo exemplo combuſtionis. Quemadmodum enim ipſa combuſtio aliquando difficilis eſt ob ſolam comburentis impotentiam, vt ſi contingat ſtipulam ſiccam, quæ valde ad combuſtionem eſt diſpoſita, difficile comburi; aliquando vero id prouenit tantum ex parte combuſtibilis; vt cum vehemens ignis ad comburendum apponitur, combuſtibile vero valde reſiſtit, vt lignum viride; aliquando vero ex parte vtriuſque, vt quando comburens eſt debile, & materia etiam indiſpoſita; ſic accidere dico, & in noſtra cognitione. Nam eorum, quæ à nobis cognoſci poſſunt alia quidẽ ſunt perfectiſſima natura, & maximè entia, cuiuſmodi ſunt ſeparatæ ſubſtantiæ; alia vero imperfecta ſunt, & exigui actus, vt materia, tempus, motus, relationes, negationes, & ſimilia. Illa ergo ſtatuo difficile intelligi propter

Digitized by Google

pter ſolum defectum intellectus noſtri; hæc vero cum propter hanc cauſſam, tum ob eorundem rerum imperfectionem. Sufficiet fortaſſe ſecundam hanc aſſertionis partem probare, nam in prima conuenimus. ANON. Vtraque oſtendas, nam libenter te audio, & res digna eſt, quæ ab omnibus intelligatur: INGEN. Quod igitur res perfectiſſimæ difficile cognoſcantur propter ſolam imbecillitatem noſtri intellectus, ſic probatur; Quoniam omnis difficultas, quam experimur in cognitione harum rerum, aut naſcitur, ex eo, quod hæ ſunt ex ſe parum cognoſcibiles, aut quia intellectus eſt parum aptus ad illas intelligendas, aut ex vtroque. At nullo modo naſcitur, quia illæ ſint parum intelligibiles, ſunt enim maximè entia, & ideo maximè vera, & ex conſequenti maximè intelligibilia. Aliam rationem

3. Met. c. 1 quæſt. 1. affert Fonſeca, quæ hæc eſt. Vt ſe habet lux ad viſum, ſic ens ad intellectũ. Maximè lucida ſunt maxime viſibilia: ergo & maximè entia maximè erũt cognoſcibilia. Quod autem res imperfectæ, & minimæ entitatis difficulter cognoſcantur à nobis propter ſuam imperfectionem, probat Fonſeca duabus rationibus. Quarum prima eſt huiuſmodi. Res ſecundi generis habent infimum gradum entitatis, & veritatis, & perinde ſe habent ad intellectũ vt ad viſum ea ſe habent, quæ minimam habent lucis participationem. Ergo ex parte ipſarum naſcitur difficultas cognoſcendi eas ipſas. Probat ſecundo hoc pacto. Vt res ſecundi generis, & imperfectæ facile à nobis perciperentur nihil obſtaret earum imperfectio, ſi intellectus noſter perfectior eſſet; quippe cum facile intelligantur à perfectis intellectibus, Nec impediret quippiam imperfectio intellectus noſtri, ſi illæ eſſent aliquanto perfectiores; ſicuti illæ ſunt, quæ mediæ appellãtur, vt ſubſtantiæ materiales, & earum accidentia abſoluta. Igitur quod difficile cognoſcantur partim naſcitur ex imperfectione ipſarum rerum, partim ex imperfectione intellectus noſtri. Deinde id explicat hac ſimilitudine. Senes difficile cernunt res parum viſibiles, & exiguę magnitudinis; hoc autem procedit & à viſus infirmitate, & à defectu lucis, & magnitudinis rerum obiectarum. Et probat optimè. Quia ſicuti ſenes non difficilè tales res cernerent, ſi perfectiorẽ viſum haberent; ita etiam non difficile illas conſpicerent, ſi hæ maiores eſſent, aut lucidiores, etiam ſi viſus eſſet imbecillis. Vnde patet hoc prouenire partim ex imperfectione rerum, partim ex imperfectione facultatis videndi. Idem ergo & de intellectione rerum imperfectarum dicendum

Diſput. 9. ſect. 3. in reſolut. 9. erit, nam & eadem eſt ratio. Franciſcus Suarez addit hoc argumentum, in eandem ſententiam. Nos facilius cognoſcimus res quaſdam perfectiores, quam imperfectiores. Signum hoc eſt difficultatem hanc oriri ex rerum ipſarum imperfectione. Hoc autem poteſt hac ratione probari. Nam ſi tota cauſſa difficultatis cognoſcendi eſſet in ſolo intellectu, ſequeretur, quod quo magis res ſunt perfectæ, eo difficilius cognoſcerentur: vt pote quæ maiorem improportionem haberent cum potentia cognoſcendi. Improportio enim obiecti cum potentia eſt vnica cauſſa cur illud difficile cognoſcatur. Cum itaque experientia monſtret contrarium (intelligimus enim facilius accidentia abſoluta, quam relationes, quæ ſunt imperfectiores) dicendum erit difficultatem cognoſcendi non ex ſola intellectus imperfectione naſci,

Digitized by Google

vt tu videris aſſerere. Sunt quidem & alia argumenta apud auctores, quibus ipſi oſtendunt difficultatem cognoſcendi res imperfectas, etiam in intellectu noſtro conſiſtere, ſed mihi ſatis fuit illa proponere, quæ partem quæſtionis controuerſam reſpiciunt. Poteram & plura congerere; ſed arbitror hæc ſufficere ad oſtendendam veritatem huius opinionis. ANON. Afferas omnia. INGEN. His ſum contentus, nam & hæc videntur validiora. ANON. Validiſſima equidem ſunt, Ingenioſe; At ſi cum meis conferantur, nullius videbuntur eſſe momenti. Vis ne, vt illa proferam? INGEN. Obſecro. ANON. Anteaquam illa proferam, ſcire vellem de quanam cognitione velis nos in hac quæſtione intelligere. INGEN. Non intelligo quid quæras. ANON. Explicabo me ipſum. Ego ita cenſeo, quod dupliciter dici poſſit cognitio eſſe perfecta; Vno quidem modo abſolutè, altero vero ſecundum proportionem. Illa dicitur cognitio perfecta ſimpliciter, & abſolutè, quæ eſt de perfectiori obiecto. Nam attingere perfectius obiectum, facit cognitionem perfectiorem ſimpliciter; nam huiuſmodi cognitio habet ęqualem perfectionem ex parte intellectus, cum quacunque alia, & maiorem perfectionem obtinet ex parte obiecti. Hæc autem duo, obiectum, & potentia, ſolæ ſunt cauſæ cognitionis, & perfectionis illius. Hac itaque ratione ego dico calorem vt octo, productum à calore vt octo, eſſe perfectiorem ſimpliciter calore vt quatuor, genito à calore eiuſdem intenſionis. Hoc modo, de perfectione cognitionis loquendo, illa dicetur cognitiò perfectiſſima, ſimpliciter, quæ de obiecto erit perfectiſſimo, vti illa de Deo. Aliam dico eſſe perfectionem cognitionis ſecundum proportionem, & illam eſſe dico, ſecundum quam intellectus magis attingit rem, ſecundũ gradus cognoſcibilitatis ſuæ. Atque hoc pacto dicendum eſſet calorem vt quatuor productum à calore vt quatuor eſſe perfectiorem effectum calore vt ſex, producto à calore vt octo; ea de cauſſa quoniam calor vt quatuor, producens eundem calorem perfectius attigit vltimum ſuæ potentiæ, quã calor vt octo producens tantum vt ſex. Qua ratione dicerem ego etiam ea perfectius ſecundum proportionem cognoſci, quæ magis penetrantur ab intellectu, & quorũ natura, iuxta gradum ſuum perfectius attingitur. Hoc modo, dicerem ego albedinem perfectius à nobis cognoſci, quam ſubſtantiæ ſeparatæ; eo quod hæ omnino ſenſus latent; illa vero viſui eſt manifeſtiſſima. Quid tibi videtur de huiuſmodi diſtinctione? INGEN. Placet admodum; ſed non video, quid ad rem noſtram faciat. ANON. Quam maximè facit. Nam cum quærimus cauſſam difficultatis cognitionis noſtræ, nil aliud quærimus, niſi cauſſam cur ita difficile ſit rerum cognitionem, non quancunque, ſed perfectam acquirere. INGEN. Aſſentior. ANON. De quanam ergo perfectione intelligis tu in hac cõtrouerſia? Hoc enim opus, hic labor eſt. INGEN. De vtraque intelligendum puto. ANON. Ego itaque contra arguam, in eo ſenſu, quod tota cauſſa, cur res difficile intelligantur perfectè ſecundum porportionem, in ſolo intellectu noſtro conſiſtit. Nam quod vna res, cauſſare non poſſit intellectionem æque perfectam abſolutè, atque alia res, vnicuique notum eſt ex re ipſa procedere, non ex intellectu. Afferam itaque rationes meas; Quæ cum ſint vltimæ in ordine, rogatum tè

velim,

velim, vt ſi quod fortaſſis habebis, quod illis obijcias, aut reſpondeas, id velis ſigillatim afferre; hac enim ratione citius, atque facilius finis imponetur huic diſputationi. INGEN. Sic faciam. ANON. Hæc ergo ſit mea concluſio. Cauſſa propter quam res quælibet cum difficultate intelligitur perfectè ſecundum proportionem, tota eſt in defectu intellectus noſtri. Hanc ego quoque rationibus quattuor euidentiſſimè cōprobabo. Prima eſt huiuſmodi. Vnumquodq; agens, ſiue ſit magnæ virtutis, ſiue exiguæ, æque facile producit effectum ſibi proportionatum. Non enim minus facile calor duorum graduum producit duos gradus caloris, quam calor vt octo, producit octo. Res autem ipſæ ſunt productiuæ ſuæ cognitionis in intellectu; & vnaquæque res ex ſe apta eſt ad producendam in intellectu cognitionem ſuæ entitati proportionatam, non minus atque calor vt quatuor ad producendum eundem calorem. Nulla ergo res ex ſe eſt cognitu difficilis.

2. Metap. quaſt. 3. INGEN. Hęc eſt ratio quædam deſumpta ex Doctore Subtili, quam tamen Fonſeca facile refellit. Inquit enim maiorem propoſitionem non eſſe verā, niſi ea quæ patiuntur ſint æque proportione diſpoſita reſpectu agentium. Et admittit ita rem habere, ſi res conferantur cum intellectibus æqua proportione diſpoſitis ad ipſarum cognitionem, nullam ſcilicet eſſe, quæ ſit cognitu difficilis. Nunc autem, inquit, non ita ſe res habet; Res enim minimæ entitatis, cum intellectu noſtro collatæ, minus illum diſpoſitum habet ad ſui notitiam, quam habeant res perfectiores. ANON. Poteram hoc argumentum aliter diſponere, atque facilius reddere, ſed nolui, hac ipſa de cauſſa vt tibi anſam darem afferendi reſponſionem Fonſecæ, turpiter errãtis in hac parte. Non modo enim non ſoluit rationem, ſed potius illam cōfirmat. Argumentum enim iſtud, non aliud probare intendit, niſi cauſſam cur res omnes, etiam minimæ entitati difficulter intelligantur, non in ipſis rebus eſſe, ſed in intellectu totam. Et probat ſic, quia tam res imperfectæ ex ſe ſunt aptæ ad cauſſandam ſui imperfectam cognitionem, atque perfectæ ſuam perfectam. Fonſeca ergo dicens eas res ideo difficulter cognoſci, quia intellectus noſter ex ſe eſt parum diſpoſitus ad earum notitiam, apertè confirmat argumentum, quo nihil aliud cōcludebatur, niſi res imperfectas ob ſolam imperfectionem, & improportionem intellectus, difficile percipi, nō autem ob ſui ipſarum naturam. INGEN. Veh quam turpiter lapſus eſt Fonſeca in huiuſmodi argumento reijciendo. ANON. Accipe idem argumentum, ſub hac formula, & ſit veluti altera ratio. Ita proprium eſt rei cuilibet propriam cognitionem parere, & producere in intellectu, ſicuti proprium eſt caloris calefacere ſecundum proportionem ſui gradus. At vero, quod calor præſente calefactibili, difficile calefaciat vſque ad proprium gradū, nullo modo prouenit ex parte caloris, ſed omnino ex parte calefactibilis reſiſtentis. Ergo & quod res, pręſente intellectu, & incumbente, difficulter ſui intellectionem pariat, non ex parte rei ipſius procedet agentis in intellectum, ſed ex parte intellectus noſtri. Quid ad hanc reſpondes argumentationem Ingenioſe? Taces? INCLVS. Quid vis dicat aliud, niſi tacendo robur illius inexpugnabile confirmare. INGEN. Negare non poſſum deeſſe mihi ingenium ad hanc rationem effugiendam. ANON. Accipe tertiam. Intellectus difficile intelligit, ea de cauſſa quoniam eſt im-

pro-

Digitized by Google

proportionatu ſ obiecto. At hæc improportio, aut procedit ab excellenti perfectione obiecti, vt in ſeparatis, aut à deficienti entitate, & imperfectione rei, vt in relationibus, alijſque rebus minimis. Quocunque modo id fiat, ex defectu eſt noſtri intellectus. In perfectis rebus, & ſeparatis intelligendis id conſtat, & ab omnibus admittitur. At quod idem etiam verũ ſit in rebus minimæ entitatis probatur per Ariſtotelem; dicentem ſi viſibile decreſcit in infinitum, oportere vt viſus in infinitum creſcat in ſua perfectione, vt illud obiectum videat. Quemadmodum ergo ad viſionem minimi viſibilis neceſſe eſt, vt viſus ſit perfectior, & cauſſa cur viſus non videat minima eſt illius imperfectio, ita etiam ad cognoſcenda ea, quæ minima ſunt intellectus perfectiſſimus requiritur, etſi quando talia non rectè cognoſcit id totum erit ob ipſius imperfectionem. INGEN. Ad hanc rationem reſpondet Iauellus nihil illam concludere. Nam paruum viſibile cum difficultate videtur, non ſolum propter defectum viſus, verum etiam ob ſui ipſius defectum, eo quod non eſt ſufficiens ad mouendum viſum. Idem ergo dicendum de intellectu, & re exiguæ entitatis cognoſcenda. Quare vel nihil concludit argumentum, vel ſolum conficit difficultatem non in ſola intellectus imperfectione conſiſtere, ſed etiam in defectu obiecti parum cognoſcibilis, quæ eſt noſtra ſententia. ANON. Vix riſum contineo, tam ſunt ineptæ hæ reſponſiones. Experiamur. Tu eſto Iauellus; & reſpondeas mihi. Quando tu inquis paruum viſibile non ſufficere ex ſe ad viſum mouendum, & ad viſionem efficiendam, de qua motione, de qua viſione intelligis? anne de illa. quæ propria eſt maioris viſibilis; an autem dicis ita eſſe inſufficiens, vt mouere viſum non poſſit ſub ratione exigui viſibilis, quod eſt mouere perfectè ſecundum proportionem? INGEN. Dico exiguum viſibile eſſe inſufficiens ad mouendum viſum, ita vt efficiat viſionem ſibi proportionatam, qua videatur ſub ratione exigui viſibilis, quale eſt etiam. Nam de qua alia viſione intelligere poſſum? ANON. Rectè. Sequitur ergo dicendum, quod paruitas viſibilis erit in cauſſa, vt ipſum difficile videatur, vt paruum; & ſimiliter in propoſito imperfectio, & exigua entitas rerum erit cauſſa, vt difficulter cognoſcantur vt imperfectæ, & exiguæ entitatis. Quo nihil abſurdius dici poteſt. INCLVS. Idem eſſet ac ſi quis diceret intenſionem caloris, vt quatuor ex ſe cauſſam eſſe, vt difficile calefaciat vt quatuor. ANON. Idem prorſus. Videas quam ſit abſurda reſponſio. Et Ingenioſus quoque illius abſurditatem cognoſcit. Addo ergo quartam rationem, & finio. Eſt autem huiuſmodi. Quæro vnde fiat, vt res aliqua difficile cauſſet in intellectu cognitionem ſibi proportionatam? INGEN. Dicent ob ſui imperfectionem. ANON. Ergo ſi eſſet perfectior facile illam cauſſaret. nonne? INGEN. Afferunt. ANON. Augeatur per aliquam potentiam hæc ſua perfectio quantum neceſsè ſit ad ſui intellectionem producendam in intellectu, tunc petam qualis nam ſit iſta cognitio, quam tunc producet? INGEN. Cognitio erit proportionata ſibi. ANON. Quomodo proportionata? Anne proportionata rei, vt perfectiori, per quam ſcilicet res ipſa cognoſcitur ſub gradu illo perfectionis addito? Si ita ſtatuas ſequetur quod im-

lib. de ſenſu. & ſenſili.

2. Metap. quaeſt. 2.

Q perfe-

perfectio illius non erat cauſſa, cur non poſſet res ſic imperfecta facile producere cognitionem ſibi vt imperfectæ congruentem. Patet conſequentia. Nam res eadem facta perfectior non talem ſui cognitionem producit, ſed rei perfectioris. INGEN. Dicent fortaſſe rem iam perfectiorem factam facile cauſſare tantummodo cognitionem illam, quæ antea debebatur ſibi, cum eſſet imperfecta; illam vero, quæ ſibi vt perfectiori conuenit, non facile gignere; eo quod nondum eſt adeo perfecta, vt cognitionem ſibi proportionatam facile valet efficere?

ANON. Si hæc admittatur reſponſio, ſequetur rem nullam poſſe facile cauſſare cognitionem illam, quæ illi ſit perfectè accomodata; ſed quælibet duas cognitiones producet; vnam facile, quæ proportionabitur rei imperfectiori, alteram difficilè, quæ ſibi ipſi. INGLVS. Patet conſequentia, non enim maior ratio eſt de vna, quam de altera.

INGEN. Quid ſi dicamus rem illam facile producere vtranque?

ANON. Tunc ſequetur quod idem ſecundum idem æquè facile repræſentabit ſe intellectui ſecundum rationem perfectionis; quod dici non debet. INGEN. Valeat opinio, quam hactenus ſuſtinui; Poſthac aliter ſentiam, video enim hæc tua argumenta omni eſſe oppoſitione, & reſponſione maiora. Sed quid dicemus ad ea, quæ ego in initio propoſui?

ANON. Facile ſoluentur. Sed prius volo, vt Tuto noſtro ſatisfiat, ſoluanturque argumenta pro Heracliti opinione. Primum ergo, quod attuliſti reſpondet Antonius Andreas, negatq; intellectum noſtrum eſſe ſummè diſpoſitum ad rei cuiuslibet cognitionem. Et ad probationem ait talem indiſpoſitionem, nil aliud eſſe niſi imbecillitatem virtutis in comprehendendo, non autem aliquid poſitiuum contrarium inexiſtens. Sic, quod oculus noctuæ non videat lumen ſolis, non ex eo pendet, quod aliquid contineat contrarium lumini, ſed quia debilis eſt illius virtus, & facultas viſiua. INCLVS. Ego illam puto meliorem eſſe reſponſionem, quam Antonius Tronbetta docuit, dicens intellectum dupliciter poſſe conſiderari; vno modo quatenus paſſiuus eſt, & receptiuus actus
2. Metaph. quæſt. 2. intelligendi; qua ratione dicitur eſſe in pura potentia, reſpectu intelligibilium obiectorum; alio modo vt eſt actiuus, & elicitiuus actus ipſius intelligendi, vt Scotus docet. Primo modo intellectus ſimilis eſt mate-
In 1. d. 3. quæſt. 7. riæ primæ, & eſt ſummè diſpoſitus ad recipiendum actum quemcunque intelligendi.

At ſi ſecundo modo conſideretur intellectus, tunc, inquit, illam quandam continere reſiſtentiam ad actum ſecundum, idque ob virtutis imbecillitatem, qua actiue concurrit ad eliciendum actum. Talis enim hæc eſt illius virtus, vt non ſit proportionata obiectis illis cognoſcendis, quorum cognoſcibilitas vel maxima eſt, & excellens, vel minima, & debilis. ANON. Placet admodum hæc reſponſio: & eo magis, quia infra fortaſſe aliqua dicam in illius confirmationem. TVTVS. Ego alias dixi me parum in hiſce materijs eſſe verſatum: Propterea nil mirum ſi ſolutionis illas ignorabam, quæ fortaſſe apud vulgatos auctores, omnibus patent. Ego certè hoc hodie didici. ANONYM. Ad alterum

facilis

Digitized by Google

facilis etiam eſt reſponſio. Cum enim, inquis, res eatenus eſſe cognoſcibiles, quatenus ſunt in actu, veriſſimum eſt de actu obiectiuo, non de formali. Debent etiam eſſe certæ,& determinatæ,ideſt in aliquo certo, & determinato genere entis repoſitæ,alioquin nō cognoſcerētur,:per propriū actum.In hoc itaque ſenſu actus,& certitudinis,falſa eſt minor.Materia.n. nō eſt in potentia ad actum obiectiuum,ſed ad formalem. Tempus etiam, eſt motus,& reliqua quæ attuliſti,aut directè in aliquo genere Prædicamētorum reponuntur,aut ſaltem ad aliquod eorum reducūtur.TVTVS. Hoc mihi ſatis eſt.Nunc ad tua Argumenta Ingenioſe.Et primū oſtendam tibi exemplū illud de combuſtiuo, & cōbuſtibili nihil ad rē facere.Nonne dicebas ſtipulam ſiccā ſi difficile cōburatur, id omnino eſſe ob ſolam debilitatem ignis cōburentis? INGEN. Ita dicebam. ANON. Accipiamus hunc adeo debilem ignē,& paruum; & ſit hic v.g. ſcintilla. Tunc liceat mihi & alium ſumere,qui ſtipulā illam facile comburat, & ſit hic quadruplus ad priorem. Nonne concedes priorem ignē paruulum æque facile comburere quartam partem ſtipulę, ſicut & ignis maior totam? INGEN. Concedam. immo idem dici poteſt & de ligno viridi,& de quolibet alio combuſtibili ſecundum proportionem. ANON. Sequitur ergo nullam adeo debilem eſſe virtutem,combuſtiuam,quę quocunque combuſtibili dato,non æquè facile poſſit in aliquam quantitatem ipſius, ſicut & alia vehementior in maiorem aliā. INGEN. Prorſus. ANON. Ergo ſicuti combuſtio totius ſtipulæ eſt proportionata quatuor partibus ignis, ita combuſtio quartæ partis vni ignis parti. Et ſicut maior ignis facile comburit totam,ita minor partē.

INGEN. Nemini dubium. ANON. His ita expoſitis,cum Diuus Thomas inquit totam difficultatem comburendi ſiccam ſtipulā eſſe in debilitate cōbuſtiui,quō illud intelligat neſcio. An fortaſſe ita,quod illa ſcintilla non ita facile totā feſtucā comburat,vt ignis maior?ob ſui.ſ.paruitatem? INGEN. Arbitror ita intelligendum eſſe. ANON. At in hoc ſenſu,ſicuti vere dicitur,ita exēplum eſt omnino pręter rē,& inane Nihil.n.aliud probat,niſi cauſſam imperfectiorē ſimpliciter, non poſſe effectū æque perfectū ſimpliciter producere, vt cauſſa perfectior,idq. propter imperfectionē cauſſæ ipſius. Quod & nos concedimus,& in re propoſita ēt non negamus. Res.n. imperfectæ propterea qđ ſunt imperfectę,& non ob aliud,non poſſunt ita perfectā intellectionē producere,vt perfectiores: neq. hic vllā cām hēt intellectus,ſicuti neq. ibi cōbuſtibile, ſi a debiliori igne cōburi non pōt. At nō hoc quærimus nos,ſed cām quęrimus,cur res minimę entitatis difficile in intellectu ꝓducant cognitionē ſibi ipſis ꝓportionatā. Quod ſi eam eſſe cām velint quia non ſunt aptæ ex ſe ad mouendū intellectū, ſub illa paruitate,& id docere exēplo combuſtionis voluerint, oportebit aſſerere ſcintillam illam ignis difficile comburere partem illam ſtipulæ, quę ita ſe habet ad totam, ſicut & ſcintilla ad ignem maiorem. INGEN. Fortaſſe hoc dicere voluit D. Thomas.

ANON. At hoc falſum eſſe, monſtratum eſt antea. Vides ergo exemplum illud nullius eſſe momenti. Sed conſideremus argumenta Fonſeca qui in tota illa quęſtione (nam & ego accuratè illam conſideraui)

Digitized by Google

nunquam non turpiter errat. Ad primum ergo neganda eſſet conſequentia etiam iuxta illius doctrinam. Ex eo enim quod res eſt parum intelligibilis, colligit in argumento, quod difficile intelligatur. & tamen in ſectione quarta reprehendit huiuſmodi conſequentiam ea ratione, quoniam hæc valde, inquit, differunt inter ſe parum intelligi, & difficile intelligi, neque vnum ex alio ſequitur. Miror equidem hunc virum tam exiguo linearum ſpatio turpem hanc repugnantiam conſcripſiſſe. INGEN. Sine me auctorem videre. Ita eſt profecto. O magnum erratum. ANON. Sed & aliter reſpondeo. Diſtinguo enim id quod ait res imperfectas parum habere veritatis. Namque hoc dupliciter intelligi poteſt, vel ſimpliciter, vel ſecundum proportionem. Primo modo fortaſſe eſt verum, ſed hoc nihil aduerſum me facit; vt iam conſtat. At ſecundo modo falſum eſt. Habent enim tantum veritatis, quantum fert eorum natura. Hoc autem parum non eſt, ſed multum; non enim poſſunt plus habere. Neque dicendum eſt, quod parua, & parum lucida ex ſe difficilè videantur, ſed tota difficultas eſt in oculo. Talia enim, et ſi ex ſe cauſſare non poſſunt viſionem rei lucidioris, aut maioris, attamen quod difficile videantur vt parua, aut vt parum lucida (quod eſt videri perfectè, & ſecundum proportionem) id totum procedit ab imperfectione potentiæ viſiuæ, vt ex dictis patet. INGEN. Iam mihi videor tanquam digito, hanc veritatem tangere. ANON. Quod autem ſecundo Fonſeca dicit, quod ſi res imperfectæ eſſent perfectiores nihil obſtaret imperfectio noſtri intellectus, vt facile intelligerentur; diſtinguendum etiam eſt, de cognitione illa, quam facile cauſſarent, ſi eſſent perfectiores. Aut enim putat eandem fore, cum illa, qua cognoſcuntur vt imperfectæ, aut aliam, quæ rei conuenit perfectiori. Si hoc ſecundum dicat, nihil facit aduerſus noſtram ſententiam, neq; eſt ad rem. Quærimus enim cur imperfectæ res, difficile cognoſcantur, vt imperfectæ, & tenuis entitatis; non autem quærimus cur non cognoſcantur vt perfectiores, quam ſint natura. Hoc enim ſcimus ex eo procedere, quia ſunt imperfectæ. Quod ſi primum dicat iam conſtat ex quarto noſtro argumento, quam ſit illud præter omnem rationem. INGEN. Quid dicis de illo exemplo quod affert de viſione ſenum? ANON. Reſponſio eſt in promptu. Concedimus quod ſi ſenes acutiorem viſum haberent, facilius viderent res exiguas. At ſi res eſſent maiores, tunc non viderentur à ſenibus vt exiguæ, ſed vt maiores. Erat autem oſtendendum Fonſecæ cur ſenes difficilè cernant res exiguas ita vt earum exiguitatem diſcernant. Neceſſe enim fuiſſet cauſſam referre in viſus imbecillitatem. Exemplum autem nil aliud probat, niſi res paruas ideo non videri vt magnas, quia paruæ exiſtunt.

INGEN. Parum abfuit quin dixerim valere Fonſecæ. ANON. Maiorem certè difficultatem habet, argumentum Suarez. Tamen & ipſum optime ſoluitur hoc pacto. Concedimus intellectum noſtrum facilius cognoſcere quædam entia perfectiora, quam imperfectiora. At hoc prouenire dicimus ex improportione, quam intellectus maiorem habet cum re imperfectiori, quam cum perfectiori. Quando vero Suarez arguit dicens intellectum

Digitized by Google

tellectum imperfectum ſimiliorem eſſe rei imperfectæ, & ideo maiorem cum ea habere debuiſſe proportionem, illamque facilius debuiſſe cognoſcere, quo magis eſſet imperfecta, ſi cauſſa difficultatis tota eſſet in defectu intellectus; negatur conſequentia. Non enim idem ſunt proportio, & ſimilitudo. Immo proportio, quæ requiritur inter potentiam, & obiectum requirit diſſimilitudinem proportionatorum in modo eſſendi: habent enim ſe, vt motiuum, & mobile, & ideo debent eſſe diſſimilia. Non ergo valet conſequentia. Tota difficultas intelligendi eſt ex defectu intellectus; ergo ſimilior erit rei illi quæ fuerit imperfecta magis; hancque facillime cognoſcet. Neque hæc altera bona eſt conſequentia. Intellectus facilius quædam perfectiora cognoſcit, quàm imperfectiora: Ergo difficultas intelligendi non in intellectus imperfectione conſiſtit.

PROVID. Verè ita dicendum in hac controuerſia, vt tu Doctiſſimè demonſtraſti Anonyme. Adhuc tamen quidam videtur ſcrupulus ſupereſſe, & difficultas quædam, Argumentum enim Franciſci Suarez non videtur eſſe omnino diſſolutum. Nunc ita mecum tacitus conſiderabam; Si res omnes ex ſe æquè facile cognoſcuntur, tota uero difficultas intelligendi procedit ab imperfectione intellectus, ergo ubi maior eſſet imperfectio, ibi maior eſſet difficultas in intelligendo. At maior eſt imperfectio in intellectu quando confertur cum intelligibili perfectiori, quam cum imperfectiori; ſequeretur ergo quod ſemper facilius intelligeret imperfectiora; quod experientiæ aduerſatur, ut Suarez notauit. Si etiam res omnes æquè facile ſui cognitionem producunt in intellectu perfectam ſecundum proportionem; quid eſt quod tanta cum difficultate nos minimarum rerum cognitionem acquirimus, cum tamen facile alias maioris entitatis cognoſcamus?

ANONYM. Acuta dubitatio, quam tamen duabus diſtinctionibus ego facile tollam. Prima hæc eſt. Cognitio perfecta ſecundum proportionem duobus modis dicitur. Vno modo ſecundum proportionem rei intelligibilis ad virtutem ſuam motiuam, & terminatiuam intellectus. Hoc modo vnumquodque æquè perfectè cognoſcitur, ſecundum proportionem, & æquè facilè. Tantum enim vnumquodque mouet, quantum habet entitatis. Secundo modo dici poteſt cognitio perfecta ſecundum proportionem tendentiæ illius, qua intellectus ipſe tendit, & fertur in ipſa obiecta. Hac autem ratione non omnia æquè facile cognoſcuntur. illa enim dicuntur hoc modo perfectius ſecundum proportionem cognoſci, quorum cognoſcibilitas magis attingitur ab intellectu, & in quæ magis intellectus fertur, optimè illa penetrans, & attingens. Sunt autem hæc ſenſibilia magis; in hæc enim magis intellectus noſter fertur, propter ordinem, quem ad ſenſum habet. Ob huiuſmodi enim ordinem intellectus plures gradus cognoſcibilitatis attingit de ſenſibilibus, & materialibus, quam de inſenſibilibus, & immaterialibus. *An. Tröb. 2 met. 2.*

Secunda diſtinctio. Aliud eſt loqui de perfectione intellectus ſecundum ſe, & in ſui eſſentia, & natura; aliud de perfectione illius tendentiæ, qua fertur in obiecta.

Primo modo intellectus eſt rerum omnium mortalium, & corporearum perfectiſſimus; eſt enim immortalis, & immaterialis; inſuper & ex ſe aptus ad omnia exactè intelligenda iuxta eorum naturam, & propriam cognitionem. At tendentia illius in obiectum, non reſpondet omnino nobilitati eſſentiæ illius, ſed multis rebus eſt inferior, ob dictum ordinem, quem ad ſenſum habet. Inferior inquam eſt hæc tendentia rebus multis in eo ſenſu, quod non pertingit facilè ad exactam cognoſcibilitatem ipſorum, ea de cauſſa quoniam longe à ſenſibus diſtant, illa vero ſenſum ſequitur. Quando ergo dicimus omnia æquè perfectè ſecundum proportionem cognoſci, de primo modo proportionis intelligimus; At in ſecundo ſenſu verum non eſt omnia æquè perfectè, neque facile intelligi; ſed hæc difficultas ſe tenet ex parte intellectus, ut conſtat. Præterea cum dicimus ob ſolius intellectus defectum, & imperfectionem omnia difficile cognoſci, non de imperfectione prima intelligendum, quæ eſſentiæ eſt illius, ita vt credendum ſit ideo intellectum difficile cognoſcere res, quia ipſe ſit imperfectior ipſis rebus; hoc enim falſum eſt; ſed id dicimus accidere ob imperfectionem tendentiæ illius in obiectum; quod valde diſtat. Quod igitur in nonnulla imperfectè tendat, id non ab ipſis rebus procedit, quæ in ſui natura ſunt perfectiſſimæ, & nihil illis deeſt, quominus cognoſcantur ſicuti ſunt; ſed illud procedit ex defectu intellectus; qui cum aptus ſit ſui natura ad omnes res intelligendas ſub propria earum cognitione, in nonnullis tamen cognoſcendis deficit illi tendentia in eas, propterea quod ſunt parum ſenſibilia. At dices hæc tendentia quamuis ſit imperfecta, poteſt tamen attingere res nonnullas perfectiores, ergo poterit & imperfectiores. Negatur conſequentia. Eſt enim per accidens quod nonnulla ſint perfectiora, & tamen magis ſubiecta ſenſibus.

PROVID. Iam omnis ſublata eſt difficultas.

ODYS-

Digitized by Google

ODYSSEÆ

Octauo, Verſu CXXXVIII.

Non enim ego exiſtimo peius aliud mari
Ad hominem debilitandum, etiam ſi valde fortis ſit.

De Cauſſa cur Mare nauigantibus ſoleat vniuerſum corpus commoueri, & vomitus concitari.

COLLOQVIVM XXXV.

INGENIOSVS.

HÆC Laodomantis ſententia, quam ipſe de Vlyſſe verba faciens protulit, ſi de illis intelligatur, qui nudi exiſtentes, & abſque nauigio, per tot dies, ac noctes agitantur alto, ſicuti Vlyſſi contigit, profecto ita eſt euidens, ut nullus ſit dubitandi locus. Quid enim mali non parit mare in homine ita fluctibus agitato? Exiccatur enim in primis corpus extrinſecus, exiccatur & intrinſecus aqua marina non modo cutem penetrante, verum etiam epota præter uoluntatem. Quo fit ut ſanguis & ſpiritus conſumantur, excrementa multa bilioſa generentur, uires concidant. Adde totius corporis laborem ingentem, in tantis anguſtijs ſuſtinendis, dum ij, qui in eo ſtatu ſunt conſtituti nituntur aquis ſupereminere, vndarumque impetum frangere, & euitare. Non tamen adeo eſt euidens, quod quis in nauigio ſedens, & mare nauigans, ita nonnunquam commoueatur, ut ingentem uomitum patiatur, & eneruetur uehementer. Et tamen experientia conſtat omnes fere in mari nauigantes ita ingentem uomitum pati, ut interiora reijcere velle videantur, & in magnam virium deiectionem labantur.

PROVID. Manifeſta cauſſa huius eſt, Ingenioſe, apud Hippocratem, & Galenum. Dicunt enim id à motu nauigationis prouenire. Ab huiuſmodi enim motu corpore agitato, & humoribus ſurſum deorſum conuolutis euenit ut uomitus concitetur. 4.*aph*.14.

INGEN. Sanè ut ingenuè fatear, niſi aliud addant, fateor hanc doctrinam non omnino mihi ſatisfacere, neque ſufficienter problematis cauſſam aperire. Non ignoro equidem motione, & nauigatione agitari corpus, & humores; ſed cur tam frequenter uomitus concitetur, raro ventris fluxus nauigantibus, non ſatis eſt conſpicuum. Cur etiam huiuſmodi ſymptomata aut nunquam, aut raro, aut non tam ualidè ſuperueniant ijs, qui aquas dulces nauigant, ſæpe uero illis, qui ſalſas,

Digitized by Google

& amaras non ſatis conſtat; cum tamen motus nauigantium ſit idem. Tota ergo huiuſce differentiæ cauſſa non in motum, qui æque vniuerſum corpus agitat, & idem eſt in vtraque nauigatione, ſed in aquarum differētiam eſt referenda. PROVID. Non poſſum non aſſentiri, & iam mihi videor propriam cauſſam inueniſſe, ſed taceo, ne tibi ſim impedimento, in hac ipſa cauſſa edocenda, quam veriſimile eſt, te optimè omnium intelligere. INGEN. Si mihi rem gratam facere deſideras, conceptam iſtam tuam rationem proferas. PROVID. Tibi morem geram. Arbitror itaque ſalſedinem, & amarorem aquæ marinæ eſſe in cauſſa vt humores, qui agitantur à motu ad os ventriculi, eſt etiam in cauſſa, vt magis agitentur à motu. Cum enim aqua marina calida ſit, & ſicca, vapores etiam qui ex illa eleuantur vi Solis, & motus agitantis nauigij, calidi erunt ac ſicci, atque mordaces. Qui partim per inſpirationem attracti à nauigantibus, partim per cutaneos meatus inſenſibiliter in interiora penetrantes, ac vellicantes ſunt in cauſſa, vt partes ipſæ excitentur ad expellenda noxia excrementa, quæ etiam tunc magis ſe promunt, magiſque lædunt agitata per motum. Fit autem expulſio ad os vētriculi, magis quam ad aliam corporis partem, propterea quod os ipſum magis eſt aeri externo expoſitum, propter inſpirationem, & vicinitatem. Facilis enim eſt tranſitus ab ore, & faucibus ad os ipſum ventriculi. Cumque illud ſit acutiſſimo ſenſu præditum, fit vt ipſum quoque moleſtiam ſentiat ab iiſdem vaporibus acribus, mordacibuſque vellicatum; nec non etiam ab inſuaui ipſo odore, quo præditum eſt mare. Nil ergo mirum ſi ad illud excrementa tranſmittantur, magiſquam ad inteſtina, aut aliam corporis partem. Illud enim ob ſenſus acutiem, maiuſque cum aere commercium magis patitur; expulſio vero ſemper fit ad patiētem partem. Sic patet quamobrem dulces aquas nauigantibus non hæc ipſa ſuccedant ſymptomata: deeſt enim ibi acrimonia vaporum, & ſi idem fortaſſe ſit motus, & agitatio. INGEN. Optimè profecto. Hoc ipſum mihi in mentem venerat dicendum. ANON. Hęc ſufficiat hodie dixiſſe. Scitis quantum mihi iter peragendum ſuperſit, Aer etiam turbari videtur: Ego itaque diſcedam. Sequenti colloquio hic remanebo apud Hoſpitem noſtrum. Valete.

cōfluāt.

Ariſto. de ſenſu, & ſenſato. 3.

ODYS-

ODISSEÆ
Octauo, verſu CLXVII.

Ex æquo non omnibus Dij munera dederunt,
Hominibus,neque Formam,neque prudentiam, neque Eloquentiam.
Alius quidem forma inferior eſt Vir,
Sed Deus formam verbis ornat. Hi vero ipſum
Oblectati aſpiciunt; Hic vero ſecurè loquitur
Modeſtia dulci, eminet autem congregatis.
Incedentem autem per vrbem Deum veluti ſuſpiciunt.
Alius autem forma ſimilis eſt Dijs,
Sed non ei gratia data eſt ſermonibus.

Quomodo ſit intelligendum, Prudentiam Eloquentiam,cæteraſque Morales Virtutes à Deo eſſe. Agitur & de modo, quo Virtutes ipſæ Morales acquiruntur à nobis.

COLLOQVIVM XXXVI.

TVTVS.

HICNE eſt ille locus.Ingenioſe,quem mihi heri dixiſti,ſummopere aduerſari doctrinæ illi, quam ſupra Siticuloſus noſter tradidit de modo, quo virtutes morales acquiruntur? INGEN. Sanè hic eſt nec modo videtur opponi Siticuloſo, verum & Ariſtoteli ipſi. Cum enim ipſe ſæpius tradiderit virtutes morales aſſuetudine gigni in nobis. Homerus ipſe non hic modo, verum & alibi ſæpe aſſerit ſapientiam, Prudentiam, cæteraſque virtutes omnes à natura nobis tribui,ita vt nullo hominum labore, nulla induſtria producantur.Cum enim quęcunque ſunt naturæ munera,ſint munera Dei, propterea omnes illi, qui putabant virtutes eſſe à natura, dicebant illas ad Dei placitum eſſe tributas hominibus, vt hic quoque Homerus aſſerit. Alibi etiam in hoc opere ita ſcribit.

Libro N.

Talis namque mens eſt mortalium hominum,
Qualem inducit Pater hominumque,Deumque.

Vnde illud omnino videtur de Homero ſtatuendum,quod non Prudentiam modo,& Eloquentiam,verum & cæteras virtutes omnes mentem ornantes hominis, & perficientes ipſe exiſtimauerit à natura produci, ideoq; ſtatuiſſe munera eſſe Deorum. TVTVS. Nonne ſatis,ſuperque ſuperius

monſtratum

monſtratum virtutes haſce non natura, ſed aſſuetudine gigni? INGEN. Immo videtur quodammodo hanc quoque ſententiam admiſiſſe Siticuloſus, quod virtutes natura gignantur; mihi vero omnino vera eſſe videtur hæc ſententia. Probatur autem euidentiſſimè ex moribus puerorum. Quandoquidem in his euidenter conſpicitur morum varietas, à teneris vnguiculis, ita vt nullo modo dici poſſit eos tunc ita agere, quia his, aut illis actionibus aſſueuerint. Confirmatur hæc ipſa ratio, quia in illis euidentiſſimè vitia quædam conſpiciuntur, vt auaritiæ, inuidiæ, & huiuſmodi, quæ proculdubio illis à natura videntur ineſſe. Cum autem contrariorum eadē ſit regula, & doctrina neceſſario dicendum videtur virtutes etiam ipſas à natura produci. Accedit quod & eadem ſententia non modo Galeni fuit, verum etiam videtur à Io. Baptiſta Perſona comprobari in commēto libri. Quod animi mores corporis temperiem ſequantur. TVTVS. Quid rides Prouide? PROVID. Quoniam mihi quoque argumenta non deſunt pro altera opinione, quæ & Platonis fuit, exiſtimantis virtutem moralem ſcientiam quandam eſſe, & ideo more ſcientiæ acquiri per doctrinam, & diſciplinam. Primum enim id videtur ex eo confirmari, quoniam vt Plato inquit in Protagora, multi videntur eſſe morum Præceptores, & virtutum, vt Pater, Mater, Nutrix, Pedagogus, Carmina Poetarum, & Legum cōditores. Et cōfirmatur, quoniam niſi ita eſſet, fruſtra videretur Ariſtoteles Ciuilem Philoſophiam conſtruxiſſe, fruſtraque illi libri legerentur, niſi virtutes doceri poſſent. Libri enim ad Nicomachum, Politici, magna, paruaque Moralia nil aliud habent pro ſcopo, niſi vt eorum lectione probi reddantur homines: Hoc autem per ſolas virtutes acquiritur. Altera ratio ex huiuſmodi. Virtus moralis eſt habitus ille, per quem homo promptè, ac ſine difficultate exequitur mandata rationis in ſuis operationibus, ſcilicet ſemper medium amplectens quod Prudentia, & ratio demonſtrauit, & extrema declinans. Ergo virtus moralis in ſe continet medij illius cognitionem. Non enim quis poſſit medium illud ſeligere, quod prius non cognouerit. At ve-

2. *Ethic.*1. ro cognitio omnis per doctrinam acquiritur, vt Ariſtoteles tradidit. Saltem ergo hac in parte videtur virtus moralis per doctrinam comparari. TVTVS. Scio vos experiendi gratia, an ego ſciam Ariſtotelem tueri, hæc omnia argumenta in medium protuliſſe. Non enim crediderim vnquam vos ita ſentire, vt veſtra ſonant argumenta. Neq; credendum ignorare vos,

2. *Ethi.*2. quibus rationibus Ariſtoteles docuerit virtutes aſſuetudine comparari; quę

3.3. ita ſunt validæ, vt nulla machina euerti poſſint. Verum quæcunque vos cauſſa mouerit, ad hæc ipſa Ariſtoteli obijcienda, ego non recuſabo, ſi ita vobis placuerit, euidenter monſtrare, hic nihil penitus officere Ariſtotelicæ doctrinæ. Si enim nihil aliud boni vobis attulero, illud certè ego lucrabor, quod ea quæ ſuperioribus diebus didici partim in perlegendis libris, partim doctiſſimis hiſce viris audiendis, eadem firmius memoriæ commendabo. INGEN. Mihi certè rem gratiſſimam facies, ſicut & Prouido noſtro. PROVID. Ita ſanè. TVTVS. Ego pro huius difficultatis diſſolutione puto nonnulla iacienda fundamenta. Primum quidem quod virtus moralis eſt habitus quidam reſidens in appetitu ſenſitiuo, quo mediante ap-

petitus

Digitized by Google

peritus ipſe promptè rationi obtemperat, & eius mandata amplectitur, & exequitur. Eſt enim moderatio perturbationum, vt dictum eſt antea. Perturbationes autem conſiſtunt in appetitu ſenſitiuo. Alterum fundamentum, quod ſicuti aliud eſt mos, aliud propenſio ad morem; ita aliud eſt virtus, aliud propenſio ad virtutem. Mos enim, Græce ἦθος habitus quidam eſt, per quem homo conſtanter affectus eſt ad operationes aliquas bonas, vel prauas. Propenſio vero, eſt conſtitutio hominis, per quam ita diſponitur, vt facile, ac prompte hunc, vel illum morem ſuſcipiat. Sic virtus eſt habitus appetitus ſenſitiui, electiuus, in mediocritate poſitus reſpectu noſtri, quam Prudentia determinauit; Quæ quidem virtus in tot ſpecies diuiditur, quot ipſæ ſunt perturbationes. Propenſio vero ad virtutem conſtitutio illa eſt, per quam diſponimur ad illam facile adipiſcendam. Et quia faciliimum eſt habitum illum acquirere, ad quem propenſi ſumus, vt plurimumque ita contingit, propterea Philoſophi propenſiones ipſas ſemina morum vocarunt, Et Ariſtoteles propenſiones ipſas ad virtutes nuncupauit virtutes imperfectas, atque natiuas. Sed hæc vnicuique ſunt nota. Tertium fundamentum ſummopere notãdum hoc eſt, quod cum modum quæramus, quo virtutes morales comparantur, idem eſt ac ſi quæramus cauſſam illarum productiuam, & effectiuam. Hæc autem duplex eſt; proxima, & remota. Remota illa eſt, quæ & ſi ad effectum quidem ipſum concurrat, non tamen illum attingit immediatè, ſed ſolum alterius interuentu. Proxima vero illa eſt, quæ immediatè attingit effectum ipſum. In hac materia non erit abs re exemplo quodam vti. Ars ipſa ſagittandi duas habet cauſſas; vnam quidẽ remotam, & hæc docet quomodo tenendus arcus ſit, & qua ratione aptanda ſit ſagitta, antequam emittatur, vt quis rectè ſcopum conſequatur. Niſi enim hoc prius cognoſcatur, fruſtra quis laboret, vt peritus euadat ſagittandi. Attamen hoc non ſufficit ad peritiam; niſi alia quædam cauſſa concurrat, quę immediatè conſtituit arcuum peritum. Hęc autem eſt habitus ille, per quem homo iam edoctus quomodo tenendus ſit arcus, dirigendaque ſagitta ſcopum verſus, manus, & brachia ita conſtanter ſeruat, aptata, vt dũ emittitur ſagitta ne latum quidem vnguem ab ea figura recedant, & poſitura, in qua ſeruari debent. Qui vtranque hanc cauſſam poſſidet, hic ſagittandi peritiſſimus exiſtit. Hæc tamen ſecunda proxima eſt, quia poſt illam nulla alia requiritur, ad arcuum peritiam. Sic & in virtute Morali ſentiendum. Hæc duas habet cauſſas effectiuas, proximam, & remotam. Remota eſt cognitio illius, quod agere oportet pro virtute adipiſcenda, nec non & cognitio medij, quod ſeruandum eſt in quacunq; honeſta operatione. Niſi enim hęc prius cognoſcantur, quomodo, obſecro, poterit quis aut virtutem acquirere, aut honeſtè operari, & ſecundum virtutem? Attamen remota eſt hæc cauſſa, quia in illa minimè relucet virtutis ſplendor; Poteſt enim reperiri in aliquo, qui tamen minimè dicetur virtutem poſſidere. Patet in illo, qui dicebat. 6. Eth. 13.

Video meliora, proboque; Deteriora ſequor.

Hic optimè nouerat quid ſibi agendum eſſet, vt operaretur honeſtè, quẽ tamen nemo dixerit virtutem eſſe conſequutum; immo improbiſſimum hominem

minem fuiſſe conſtat. Requiritur ergo, & alia quædam cauſſa, quæ immediatè virtutem conſtituat, & Proxima. Ea vero eſt illa, quæ ita hominem afficit, & ſenſitiuum appetitum ita conſtituit, vt cognito per rationem quid ſit agendum, vt honeſtè viuamus, ipſe appetitus promptè rationi obtemperet, eiuſque mandata facile, conſtanterque amplectatur, exequaturque. In hoc apprimè ſplendet dignitas, atque perfectio virtutis; quique ita promptè rationi paret, is non vlteriori cauſſa indiget ad virtutem adipiſcendam, ſed iam illam adeptus eſt. PROVID. Non poterat ſane accommodatius exemplum inueniri, in huius rei declarationem. TVTVS. Quod autem in
1. Eth. vlt. hac appetitus obedientia, propriè virtus moralis refulgeat, *Ariſtoteles* euidentiſſimè indicauit, quando aſſignans huic virtuti proprium ſubiectum, non illud vocauit ſenſitiuum appetitum, ſed partem animæ parentem rationi, & obtemperantem. Sic innuens propriam excellentiam, peculiaremque ſplendorem virtutum moralium in hac appetitus facilitate conſiſtere, per quam ille promptè mandata rationis amplectitur. Ex hoc tertio fundamento elicitur quartum, quod eſt huiuſmodi. Virtus moralis dupliciter conſiderari poteſt, latius, & preſſius. Primo modo illa dici virtus poteſt, quæ omnia largitur tam proximè, quam remotè requiſita ad benè, honeſtèque operandum. Hæc autem virtus non eſt vna, niſi vnitate, ordinis. Ex diuerſis enim habitibus conſtituitur, realiter diſtinctis, qui tamen in eundem finem referuntur. Patet. Nam ad bene, honeſteque viuendum, requiritur cognitio boni, & honeſti illius, quod aſſequi intendimus. Quę cognitio ad intellectum pertinet; Requiritur etiam obedientia appetitus ſenſuum, qui conſentiens cum ratione nitatur aſſequi medium illud, quod *ratio* mõſtrauit, & in quo conſiſtit honeſtum. Quare ad huiuſmodi uirtutem conſtituendam duo concurrunt habitus ſubiecto diſtincti: alter quidem ad intellectum pertinens, quo cognoſcimus ea, quę ſunt agenda; Alter ad appetitũ, quo promptè mouemur ad ea peragenda. Quia tamen ambo hi habitus ad operationem referuntur, vt in finem, ideo ordinem quendam inter ſe ſeruant, per quem vnum conſtituunt. Secundo ſumi poteſt preſsè, virtus moralis, quatenus ſcilicet contra diſtinguitur ab intellectuali, & cognoſcitrice, ideſt, ſecundum formalitatem illam, per quam moralis appellatur. In hac autem conſideratione, nil aliud eſt, quam habitus ille partialis appetitus ſenſitiui, quo ipſe in ſuis actibus promptè, & conſtanter rationi conſentit, & mandata eius amplectitur. Quo ſenſu virtus moralis non includit in ſe cognitionem medij, neque alterius rei, ſed illam ſupponit vt priorem natura, & tempore. His ita ſuppoſitis facile eſt controuerſiam tollere. Hanc autem ego his concluſionibus dirimerem. Prima eſt. Si de virtute natiua, quæ eſt ipſa propenſio loquamur; hæc natura nobis competit, non autem doctrina, aut aſſuetudine comparatur. Vnaquæque enim propenſio ſuum ſequitur proprium temperamentum, vt ſatis conſtat in libro illo Galeni Quod animi mores; & in Commentario Io. Baptiſtæ Perſonæ, qui de huiuſmodi propenſionibus ad mores eſt tantummodo intelligendus. Probatur optimè hæc ſententia argumento illo, deſumpto ex varietate propenſionum, quæ conſpicitur in pueris: de qua tantum propenſione illud rectè con-

concludit. De huiuſmodi propenſione ad virtutes, ad Eloquentiam, & alia huiuſmodi, crediderim Homerum intelligendum eſſe hoc loco, & ſemper quando aſſerit hæc talia munera eſſe Deorum, & a natura nobis ineſſe. In hoc enim ſenſu vera eſt illius ſententia, & conſona Ariſtotelicæ doctrinæ, *Cap. 13.* quam tradidit in ſexto Ethicorum. Quo loco ſic ait. Omnibus a Natura quodammodo tributæ ſunt virtutes omnes, quæ à moribus proficiſcũtur. Natura enim & iuſti, & temperantes, & fortes gignimur. Et parum infra has virtutes ingenitas nuncupat. Quæ omnia vnicuique, illud caput legenti, conſtat intelligenda eſſe de ſola propenſione, quam & ſemen virtutum appellauit. At ſi de vera virtute in habitu loquamur, quæ conſtans eſt, & firma perturbationum moderatio, hæc nullo modo à Natura producitur, vt ſatis comprobãt Ariſtotelicæ rationes, in initio ſecundi Moralium Nicomachiorum adductæ. Potiſſimum autem illa; quod ſi virtutes eſſent à Natura, nos non poſſemus vitijs aſſueſcere. Et tamen vnuſquiſque poteſt & vitijs, & virtutibus æquè aſſuefieri. Non enim vnquam quis aſſueſcat illi, quod ſuæ naturæ eſt contrarium. Vt lapis nunquam in ſublime ferri aſſueſcat, nec ſi millies quidem, cum quis, ut cõſuefaciat emittat. De his autem virtutibus non crediderim intelligendam eſſe Homericam hanc ſententiam. INGEN. Magna hic videtur adeſſe contradictio in Ariſtotele, quam neſcio an tu ſis illam euitaturus. TVTVS. Dicas. INGEN. Poteſt ne qui ad vitia ſit naturaliter propenſus, virtutes adipiſci? TVTVS. Quid ni? Immo id ipſum in Socrate factum legitur. INGEN. Ergo aſſueſcere nos poſſumus illi, quod Naturæ noſtræ eſt contrarium. TVTVS. Hic vna diſtinctione eſt opus. Diſtinctio autem eſt de habitu, & propenſione. Non enim aſſueſcere poſſumus illi, cuius contrarius habitus inditus nobis eſt natura: Poſſumus tamen illi, in cuius contrarium propenſi ſumus per naturam. Per habitum enim nos faciles reddimur, atque conſtantes ad vnum aliquid agendum; per propenſionem autem faciles quidem, ſed non conſtantes euadimus. Virtus autem ipſa habitus eſt quidam, vt iam ſæpius dictum eſt. Quare ſi virtus eſſet nobis naturalis, non poſſemus aliter aſſueſcere, quia ipſa conſtans eſt habitus. At vero propẽſio licet nos faciles reddat ad hunc, aut illum morem, quia tamen conſtans non eſt, propterea poſſumus aliter aſſuefieri, quàm ipſa requirat. INGEN. Tutiſſima eſt huiuſmodi doctrina, ò Tute. TVTVS. Mihi ſummopere placet, quod vir ingenioſiſſimus ita de me ſentiat. Pergam ergo vlterius.

Secunda concluſio. Virtus moralis latius ſumpta prout ſcilicet vtrunque habitum comprehendit requiſitum ad operationem honeſtam, ab vtraque cauſſa producitur neceſſario, dico autem ab aſſuetudine, & a doctrina. De doctrina ſatis conſtat. Cum enim intrinſecè cognitionem contineat, ut ſupra patuit, neceſſe eſt, vt in hac parte per doctrinam comparetur. Hoc enim modo acquiruntur habitus ad intellectum pertinentes, cuiuſmodi ille eſt, quo media cognoſcimus, & fines. Atque in hoc ſenſu concludunt duo illa argumenta, quæ pro parte opinionis Platonicæ ſuperius adducta ſunt. *2. Ethic. 1*

Tertia concluſio. Virtus moralis preſſe ſumpta, nempe pro habitu

illo

illo partiali, reſidente in appetitu ſenſuum, & à doctrina, & ab aſſuetudine producitur ſed diuerſo modo. A doctrina quidem, ut à cauſſa remota, ab aſſuetudine vero vt à proxima formante habitum, atque perficiente. Quod à doctrina remotè producatur, patet. Si enim quis velit habitum virtutis alicuius adipiſci, neceſſe prius eſt, vt intelligat qua ratione, aut cuiuſnam cauſſæ interuentu illum poſſit acquirere. Hæc autem cognitio per doctrinam traditur. Confirmatur per ea, quæ modo præ manibus habemus. Niſi enim ſciremus aſſuetudinem, & exercitationem in operationibus honeſtis parere in nobis virtutis habitum, nunquam ille in nobis gigneretur. Conſtat tamen hanc cognitionem cauſſam eſſe tantum remotam virtutis, non enim ſola ſufficit ad illam producendam, neque attingit illam. Quare requiritur & alia proxima, & immediata, quæ virtutis habitum formet, propriumque characterem imprimat. Hæc autem eſt aſſuetudo. INGEN. Hoc videtur gratis dictum, quod aſſuetudo ſit proxima virtutis cauſſa, & immediata. TVTVS. Non crediđiſſem vos ad hæc vulgaria recenſenda me debuiſſe compellere. Tamen libenter omnia oſtendam. Primum autem ſeſe offert ratio Ariſtotelica, quæ ex etymo hoc ipſum probat. Moralis enim virtus, Græcè ἠθικὴ ἀπὸ τοῦ ἔθους venit, quod eſt conſuetudo. Quare idem eſt apud Græcos virtus Ethicei, quod eſſet apud Latinos, virtus conſuetudinaria. Præterea idem probatur a ſufficienti partium enumeratione. Si enim moralis virtus preſsè ſumpta indiget alia cauſſa præter doctrinã, hæc certe vel erit natura ipſa, vel aſſuetudo. Non enim alia excogitari poteſt cauſſa, quæ huiuſmodi habitum in appetitu ſenſus imprimat, præter tres illas. At natura non eſt, vt monſtratum eſt; Doctrina eſt tantum cauſſa remota. Relinquitur ergo vt ſola aſſuetudo poſſit ita appetitum ſenſus efformare, vt virtutis habitum attingat, & formet. In hoc itaque ſenſu ſumpta virtute, patet quomodo intelligenda ſint denuo argumenta pro opinione Platonis. Concedimus enim Ciuilem Philoſophiam, præcepta Patrum, atque Præceptorum multum conferre ad virtutis generationem; ſed tamen concurrunt tantum ut cauſſæ remotæ, non ut proximæ. Quando vero Ariſtoteles inquit uirtutem conſuetudine produci, de cauſſa proxima illius loquitur, & immediata. Virtutemque ipſam ſumit ſtrictè, & quatenus illum præciſe habitum ſignificat, qui in appetitu conſiſtit ſenſitiuo, quique proximum eſt principium actionum, quo conſtanter, expeditè, & cum iucunditate operamur, & agimus ea, quæ nobis recta ratio dictauit. Hæc ſunt, quæ dixiſſe uolui in hac controuerſia, non quod quicquam eorũ ego putem aliquem ueſtrum ignorare, ſed vt Prouido, Ingenioſoque noſtro ſatisfacerem, qui ita viſi ſunt meam, qualiſcunque ſit, uoluiſſe tentare doctrinam. ANON. Ego minimè crediderim Doctiſſimos hoſce viros, moribuſque candidiſſimis ornatos, eo abſurditatis deuenire potuiſſe, ut tu ſuſpicaris, Tute, veruntamen quicquid ſit de re iſta, hoc tibi ſufficiat te ita doctè diſſeruiſſe, vt neque ipſi, neque quiſpiam noſtrum melius potuerit hanc controuerſiam diſſoluere.

PROVID. Ego quidem de me ipſo veriſſimum id eſſe fateor.

INGEN. Ego quoque. ANONYM. Video & cæteros omnes annuentes.

Digitized by Google

nuentes. Sed ad alia properemus. Prædixi uobis in ſuperiori colloquio, me hodie hinc non diſceſſurum, ſed cenaturum cum Hoſpite noſtro. Ipſe vero ſicuti omnibus in rebus benignitate, & liberalitate præſtat, ita etiam hodie me obnixè rogauit, ut uos omnes, nomine ſuo rogarem, ut una mecum ad hanc, quam ipſe frugalem paraturum promittit, cęnam conueniatis; uobis autem renuentibus, auctoritate mea compellerem. Hoc me facturum promiſi, ſicuti nunc facio præcipiens uobis omnibus, ne quiſquam diſcedat. Cęna peracta polliceor uobis me materiam quandam diſcutiendam propoſiturum, quam tempus illud, pocula, nec non & Bacchanalia ipſa apprimè requirere videntur, quæ etiam his temporibus ab inferis neſcio quo malo ſpiritu adiuuante, ſummopere reuocantur. Volo Colloquium quoddam haberi poſt cęnam, in quo miſcebimus utile dulci; At quiſnam noſtrum omne ferre debeat punctum neſcio. Sed ſpatiemur aliquantulum, donec adueniat hora cęnandi. Dicunt enim medici antequam quis cibum ſumat, debere prius ſe exercere. Sic enim calorem augeri naturalem, cibum antea ſumptum diſtribui, concoctionem peragi in vniuerſo corpore appetentiam tandem excitari, quæ in cauſſa eſt, ut cibus denuo aſſumendus optimè concoquatur, & citò in alimentum abeat.

O D Y S S E Æ

Octauo, Verſu CCXCII.

Age chara ad lectulum eamus dormituri,
Non enim amplius Vulcanus domi eſt, ſed alicubi
Proficiſcitur in Lemnum ad Sintias barbaros.

Vnde fiat vt Amantes, cum Amatis dormire tam vehementer appetant. Et quamobrem veteres Venereum actum nomine dormitionis vocauerint.

COLLOQVIVM XXXVII.

PROVIDVS.

TANTA fuit illa ſitis, quam ante cęnam Princeps noſter mihi concitauit audiendi, quid nam ipſe, hoc nocturno tempore, eſſet propoſiturus ad diſputandum, quod alterius ſitis, quæ uino tollitur oblitus omnino, ne uinum quidem ſemel guſtaui. At cum uideam proponi nobis carmina quædam in quibus nil aliud lego, niſi Martem, amore captum

Veneris,

Digitized by Google

Veneris, illam compellantem, & ſupplicantem, & ſecum dormitum iret; puto nos deludere voluiſſe, atque nil aliud velle nobis proponere, niſi vt cenati eamus dormitum. ANON. Abſit vt ego vnquam quempiam veſtrũ deludam, aut derideam. Iam iam videbis Prouide, quam erronea ſit ſuſpicio tua. Audite ergo me ò viri doctiſſimi. Sæpenumero ego mecum cogitans admiratus ſum vehementer, quod cum amantes homines, quique mulieris alicuius amore capti ſunt, nil aliud habeant pro fine, nil aliud pro ſummo bono reputent, niſi vt aliquando cum amata iungantur, remque habeant veneream, nil tamen frequentius habent in ore, nil magis inquiunt ſe deſiderare, niſi vt aliquando cum illa dormire ſibi concedatur. Vſque adeo enim hoc eſt verum, vt non Hetruſci modo ſuo idiomate illud comprobent, verum etiam latini, Græci, & Hebręi ita loqui conſueuerint, vt cũ quis amans, ab amata præmium ſui amoris poſtulauerit, nil aliud petierit, niſi vt ſecum dormiret aliquando. Plautus in Trino recenſens ea, quę amata mulier, amanti viro gerens morem, illi benignè cõcedit, Itur dormitum, ait. Homerus frequentiſſimè ſimilem loquendi modum habet in ore. Hic Martem ardẽtem Venerem introducit nil aliud deſiderantem, niſi vt cum illa dormiret. Nec modo id facit in propoſitis verſibus, ſed etiam ſubdit. Sic ait.

Huic gratum videbatur dormitare
Illic in lectulum vt conſcenderunt dormierunt.

In Iliadis etiam ſecundo, ait

θεὰ βροτῷ εὐνηθεῖσα
Dea cum mortali concumbens, dormiens.

At ſacræ litteræ frequentiſſimè omnium, hoc vtuntur loquendi modo.
Geneſeos c. 19. Filiæ Loth, cupientes ſemen Patris ſeruare, dormiamus cum eo, dixerunt; vt ſeruare poſſimus ex Patre noſtro ſemen. Verbum Hebræum, ſeu Radix eſt שכב ſciachau. Qua eadem radice vſa eſt Iempſar vxor Putipharis, amore capta Ioſephi, dum eum compellaret, ac deprecaretur vt ſecum commi-
Geneſeos cap. 39. ſceretur, inquiens. Dormi mecum. Sic Amnon ardens ſororem Thamar, & rem cum illa habere tentans, his verbis rogauit illam, veni, cuba mecum,
2. Regum. cap. 13. ideſt, dormi. Radix enim eſt eadem. Ecquid enim, obſecro, amantes iſti voluptatis capiunt ex ſomno, cum tunc temporis ſenſus omnes ferientur, ſemimortuumque ſit dormiens animal? Et tamen credendum non eſt tot nationes antiquas, abſque vlla ratione eo vſas fuiſſe loquendi modo. Auget admirationem meam, quod nemo hactenus, quod ſciam, huius cauſſam retulit. Ego itaque neſciens quo me verterem, vt huius difficultatis ſolutionẽ intelligerem, & tamen incredibili deſiderio flagrans hanc ipſam cauſſam, ſi qua eſt, intelligendi, hoc ipſum uobis diſcutiendum propono. Videbor fortaſſe alicui veſtrum limites egredi inſtituti noſtri; qui cum Philoſophica Homeri dicta colligere, & explicare aggreſſi fuerimus, ego ad ea tractãda vos compellam, quæ non modo Philoſophica non videntur, ſed amatoria potius, & plena leuitatis. Sed hic intelligat velim, me hac ipſa de cauſſa, huiuſmodi colloquium vſque in hanc horam diſtuliſſe, vt nemo huic

tractationi

tractationi intereſſet, niſi vos ò Amici, qui cum multa ſcire profiteamini, multa etiam ignorare tanquam veri Philoſophi, confitemini. Decet itaque vos, vt Philoſophos meæ imperitiæ, miſereri; vt doctiſſimos meæ ignorantiæ, atque deſiderio ſuccurrere. PROVID. O Peregrinam materiam, quæ nobis in hac ipſa hora tractanda proponitur. Non poteras, ò Princeps, rem mihi chariorem proponere. Eia, quæ mora? Quid dicis in hanc ſententiam Siticuloſè; Tu qui totus es amori deditus? SITIC. Equidem nil aliud habeo, quod dicam, niſi quod aliquando apud Stephanum Guatium legi, in quarto Ciuilis conuerſationis. Vbi de re hac verba faciens, inquit. (Io non ſapeua ancora la cagione, perche queſti amanti procurano di dormire con le lor donne; ma hora mi raueggo dalle uoſtre parole, che tengano per fermo, che coricandoſi preſſo di loro, ceſſerebbe l'occaſion de' penſieri, & dormendo tutta la notte riceuerebbono la mercede delle longhe loro vigilie.) Quare vir eloquentiſſimus putat non alia de cauſſa dormitionem hanc ab amantibus appeti, niſi vt per illam tollantur ea incommoda, quæ amoris flammæ pariunt, nempe vigiliæ, corporis macies, & alia huiuſmodi, iuxta illud Poetæ.

Sed tamen hæret amor, creſcitque dolore repulſa, **Ouid. 3. Metam.**
Et tenuant vigiles corpus miſerabile curæ,
Adducitque cutem macies.

Et alibi.

Fugerat ore color, macieſque adduxerat artus,
Sumebant minimos ora coacta cibos.
Nec ſomni faciles, & Nox erat annua nobis,
Et gemitum nullo læſa dolore dabam.

Cum ergo tot mala pariat Amor, per rei amatę priuationem, continuamque in amante rei eiuſdem memoriam, & deſiderium; hinc euenit, inquit Guatius, vt dormitionem illam appetant amantes, tanquam illud quod cauſſam auferat tot laborum, & vigiliarum. INCLVS. Mihi minimè ſatisfacit huiuſmodi reſponſio. Cum enim amantium finis nullus ſit alius, quam re amata frui, cum illaque coniungi, huius autem priuatio ſit cauſſa laborum, & vigiliarum; ſi cupiunt amantes hanc cauſſam tollere, ſufficeret ipſis frui muliere illa, quæ ab ipſis amatur. Non ergo dormitionem, ſed fruitionem appeterent. Quod ſi laborum, & vigiliarum remedium tantummodo appeterent, nulla ratione habita cauſſe, ſomnum tantum appeterent, quomodocunque aduenientem; nec illud magnifacerent cum hac ne, an autem cum illa muliere dormiant; vel etiam omnino ſoli. At conſtat hoſce amantes non modo illud deſiderare vt cum amatis dormiant, verum etiam vt amata mulier, ipſa quoque ſimul dormiat. ANON. Hoc certe patet exemplo Iempſaris, & Amnonis, ille ad Ioſephum dicente dormi mecum, hoc autem eiſdem verbis utente, atque rogante ſororem Thamar. INCLVS. Conſtat ergo rationem allatam à Guatio, & ſi probabilis eſſe uideatur, lucemque afferat difficultati, non tamen omnino illam tollere.

Digitized by Google

ANON. Neque mihi omnino ſatisfacit huiuſmodi doctrina. SITIC. Quid ergo dicemus ad hanc quæſtionem? Ego dixi, quod mihi in mentem uenit. ANONYMVS. Fieri ne poteſt ut in hoc tam mirabili cætu non inueniatur, qui hanc cauſſam teneat? Quid cogitas Prouidè? PROVID. Inueni, inueni, quod quærimus. Ea eſt cauſſa quod hoc tantummodo uidetur eſſe ueri Amoris præmium, & merces, ſi mulier amata non renuat dormire ſimul cum amante. INGEN. Non credent hoc vulgares homines, & amantes noſtri temporis, qui nihil aliud habent pro ſcopo, niſi actum ipſum venereum. PROVID. Quid ego vulgares curo? id mihi ſatis erit, ſi vos, qui ſapientia præditi eſtis, in meam ſententiam traxero. *Audiſti ergo* ne vnquam, Ingenioſe, adæquatum amoris præmium non aliud eſſe, niſi amorem reciprocum? INGEN. Sæpenumerò audiui, & veriſſimum eſſe deprehenditur. Videmus enim amantes homines, nunquam non vereri ne ab amatis reamentur, dicentes hoc tantum ipſos expetere pro ſui amoris mercede, ut amentur uice uerſa. PROVID. Tamen quia fieri poteſt, ut amans certus ſit de amore reciproco, & tamen ea de cauſſa in magnis angoribus uiuat, quia cum amata coniungi non poteſt; ut colloquium noſtrum omni careat oppoſitione, ita ſtatuamus, adæquatum amoris præmiũ, & finem amantis ultimum, qui ſummè deſiderabilis eſt, & ultra quem nil aliud eſt, quod appetatur, quique omnino ipſius amantis appetitum ſatiat, eſſe coniungi cum amata reamante. Hanc concluſionem ueriſſimam puto, & facile ipſa probatur ex natura ultimi finis. Finis enim ultimus ille eſt, qui acquiſitus cum fuerit omnino appetitum explet, & in quo nos omnino conquieſcimus. At conſtat amantem (de amantibus *mulierum*, aut hominum loquimur) nunquam conquieſcere, donec duo hæc ſit conſecutus: ſcilicet amorem reciprocum amati obiecti; & ipſi quoque iungatur. Nam quantumuis quis corpore fruatur mulieris amatæ, niſi reametur ab ipſa, nunquam in illa uoluptate conquieſcet; uſque adeo hoc eſt uerum ut ego multos nouerim, qui cum amatis mulieribus concumbentes, cognoſcenteſque illas non ſponte ſuccubuiſſe, ſed uel metu, uel alia de cauſſa adductas, non amore ullo, confeſſi ſunt uoluptatem illam diſplicuiſſe ſibi, tanquam illam, cui uerum deerat condimentum, & amoris merces. Hinc fit, ut neque uerba, neque tactus, neque oſcula, denique nec actus ipſe uenereus ſine certitudine amoris reciproci, ſufficiant ad explendum appetitum amantis; propterea quod hæc omnia ab amata fieri poſſunt, dolo, ut Samſoni contigit, uel metu, ut Lucretiæ, uel auri Sacra fame, ut in ſcortis euenit. INGEN. Hæc omnia vera eſſe confiteor, ſed quorſum bone Deus hæc affers? Quid hæc conferunt ad propoſitam tractationem? PROVID. Hoc ipſum conferunt, quoniam amantium dormitio, hęc duo ſecum affert, nempe & certitudinem amoris reciproci, & libertatem ſe coniungendi abſque ulla contradictione, aut impedimento. Vnde concludo minimè mirum eſſe, quod huiuſcemodi dormitio tam uehementer ab amantibus appetatur. INGEN. Quomodo antecedens probabis, quod ſcilicet dormitio includet illa duo? PROVID. Ecce oſtendo. Quid enim aliud dormiens amans cum amata facit, niſi quod amoris ſui ſinceritatem pate-

facit,

Digitized by Google

facit, tradens ſe ſemiuiuum, ac ſemimortuum in amatæ manus? Nonne hoc ſigno indicat euidentiſſimè ſe paratiſſimum eſſe ad effundendum ſanguinem vt amatæ rem gratam faciat? INCLVS. Proculdubio. PROVID. Dum itaque amata hoc ipſum facit oſtendit amanti eandem fidem, eundem amorem, eandemque animi ſinceritatem: in qua & certitudo illa relucet, atque libertas, qua amans poteſt quandocunque uoluerit cum amata rem habere. Tunc nulla fraus in oſculis, nulla in amplexibus, ſed omnia ab uno, eodemque amore, & animo prodeunt in duobus corporibus exiſtente. Hæc itaque cum amantibus in mentem ueniunt, excitatur illis appetitus dormiendi cum amatis, propterea quod hæc dormitio omnia ſupponere uidetur, quæ pro præmio dari amoris ſolent, tactus, oſcula, amplexus, actum denique uenereum; inſuper addit & certitudinem amoris reciproci, quam omnia illa iuncta ſimul certam facere haud poſſunt. TVTVS. Quomodo dicis dormitionem omnia illa ſupponere? PROVID. Quoniam quotieſcunque amata ſinit ſe ad dormiendum adduci cum amante, totam ſe illi tradit, ut ea cuncta exequatur, quæ amor poſtulat: abeſt autem omnis dolus, quia ſe ipſam committit amantis fidei, & uoluntati. TVTVS. Iam intelligo.

SITIC. Et ſi hæc omnia uera ſint, non ideo tamen apparet quod amantes debeant dormitionem appetere: Non enim propterea apparet quid uoluptatis amantes capiant ex ſomno ut illum tam uehementer appetant. Non enim ignorant in ſomno otiari ſenſus omnes, nihilque tunc temporis ſentiri, neque illud cognoſci cum hac ne, an cum illa muliere dormiatur, an autem cum nulla penitus.

PROVID. Tu Philoſophus es, & hæc ignoras? Anne fortaſſe putas amantes ipſos dormire, cum dormitionem appetunt? Non dormiunt tunc temporis, ò Siticuloſe, ſed vigilant. Neque dormitionem illam appetunt, quatenus priuatio eſt uoluptatis, ſed quatenus illam apprehendunt tanquam tribuentem ea, quæ dicta ſunt, eaque quodammodo in ſe continentem, quæ ſcopus ſunt amantium, atque finis, certitudinem ſcilicet amoris reciproci, & poſſidendi libertatem. Omne enim quod appetitur ſub ea ratione appetitur, ſecundum quam cognoſcitur, & apprehēditur. ANON. Si unicuique in propria facultate credendum, in re amatoria credendum erit Petrarcæ. Qui tamen non uidetur amorem reciprocum deſideraſſe, ſed fruitionem tantummodo corporis D. Lauræ. Sic enim ait.

Con lei fuſs'io, da che ſi parte il Sole,
Et non ci vedeſs' altri, che le Stelle
Sol vna notte, & mai non fuſſe l'alba,
Et non ſi trasformaſſe in verde ſelua
Per vſcirmi di braccio, come'l giorno,
Ch' Apollo la ſeguia qua giù per terra.

PROVID. Petrarcha ſexcentis in locis ſuam miſeriam deflet, & conqueritur quod non reametur. Quod ſi hoc loco uidetur corpus tan-

Digitized by Google

rum exoptaſſe, ea de cauſſa factum eſt, quoniam cum deſperaret ſe poſſe amorem, & gratiam D. Lauræ conſequi, ea expetebat, & deprecabatur, quæ in ſui libertate cõſiſterent, iis contentus, quæ poterat, cum, quæ vellet, habere non poſſet. ANON. Perſuaſiſti. INCLVS. Non alia certè cauſſa eſt Problematis, huius niſi quam Prouidus attulit. Ego vero nunc quoddam aliud intelligo, quod nunquam antea intelligere potui. ANON: Quidnam hoc eſt? INCLVS. Quod in Sacris Biblijs quotieſcunque aliquis dicitur cum muliere dormiſſe, intelligitur ſtatim, quod & mulier ipſa quoque ſponte concubuerit, & voluntariè cum viro. Exemplum vnum pro multis
Cap. 19. ſatis eſto. Legitur in Leuitico. Homo ſi dormierit cum muliere, coitu ſeminis, quæ ſit ancilla etiam nobilis, & tamen prætio non redempta, nec libertate donata, vapulabunt ambo, & non morietur, quia non fuit libera. Pro delicto autem ſuo offeret Domino ad oſtium tabernaculi teſtimonij arietem. Hic expreſſe conſtat mulierem quoque peccaſſe, cum qua dormierit homo, & propterea præcipiebat Deus, vt vapularent ambo. Et tamen dicere poſſem ego non conſtare hoc loco, quod mulier illa vi oppreſſa non fuerit. Si enim opprimatur non videtur adeſſe peccatum ex parte ipſius: eſt enim peccatum ex neceſſitate voluntarium. Cur ergo præcipit Deus, vt ipſa quoque puniatur? Soluitur. Quia peccatum mulieris, ipſiuſque conſenſus cõſtat ex verbo (dormierit) Si enim vi coacta, aut violenter oppreſſa ſit, non permittet virum iuxta ſe ipſam dormire, multo minus dormiet ipſa. TVTVS. Hac ratione dicendum eſſet Berſabeam vna cum Dauide peccaſſe, nam & Dauid cum illa dormiſſe legitur. Hoc tamen nunquam audiui. INCLVS. Ego minime dubito Berſabeam voluntariè concurriſſe ad peccatum. Legitur enim ſtatim ſanctificatam fuiſſe ab immũditia ſua: & poſtea nunciaſſe Dauidi ſe concepiſſe. Si immunda non erat, non induiſſet ſanctificatione, qua liberaretur ab immunditia. Cumque nunciauerit Dauidi ſe concepiſſe, indicium fuit deſideraſſe illam vt res lateret homines. Quod illi facere haud ſolent, qui vi opprimuntur: cupiunt enim vt omnes eorum innocentiam, oppreſſoriſque violentiam intelligant. SITIC. Quid de Thamar dices ſorore Amnonis? Hanc conſtat renuentem validè, Amnonique reſiſtentem, vi ab eo oppreſſam fuiſſe, & tamen legitur dormiſſe illum cũ
2. Reg. 13. ea. Noluit autem (inquit Scriptura) acquieſcere præcibus eius, ſed præualens viribus oppreſſit eam, & cubauit cum ea. Si ergo oppreſſit eam, quomodo dormiuit cum ea? Non arbitror te hunc nodum aliter ſoluturum, quam palinodiam canendo. INCLVS. Miror, quod hæc dicas, Siticuloſe. Videris enim ignorare conſenſum quem præbuit Thamar in illo concubitu: cum tamen ſtatim legamus illam ægerrimè tuliſſe, propterea quod Amnon volebat eam ſtatim poſt concubitum eijcere, dicens ei. Surge, & vade. Reſpondit enim ei Thamar. Maius eſt hoc malum, quod nunc agis aduerſum me, quàm quod ante feciſti, expellens me. Quibus verbis conſtat illam conſenſiſſe, cum renueret diſcedere. At, inquis, oppreſſit eam. Verè quidem illam oppreſſit, inquam ego; attamen antequam ipſe ſurgeret, illa quoque conſenſit. Et ideo dicitur prius Amnon oppreſſiſſe illam; deinde verò cum ea cubaſſe.

SITIC.

Digitized by Google

SITIC. Egregiè euaſiſti. PROVID. Dormire ergo virum cum muliere nil aliud indicare videtur, quam ambo ſimul iungi, & commiſceri, non quomodocunque ſed concurrente in ambobus eodem amore,& voluntate. Nec ſine ratione hic loquendi modus increbuit. Quæcunque enim mulier ad dormiendum cum viro ſe ſinit adduci, neceſſe eſt, vt non modo non aliquid mali aduerſus ipſum machinetur, cum ſe illius fidei committat, & in illius libertate ſe ipſam tradat, verum etiam vt ſit paratiſſima ad omnia illa in ſuum corpus perpetranda, quæ viro placuerint; præcipue vero illud, cuius prætextu conuenere ſimul. Non ergo mirum ſi amantes ſimul dormire appetant, cum ex huiuſmodi dormitione, non tantum fruendi libertas, verum & amoris reciprocatio colligi quodammodo videantur, & in ipſa refulgeant. A N O N. Quis tibi arcanum iſtud reuelauit Prouide? PROVID. Homerus noſter. Hic enim expreſsè hanc eandem ſententiam indicauit, in libro Kappa, verſu 335. Quo loco legimus Vlyſſem, cum in domum Circes veneficę perueniſſet, ipſe vero neutiquam fideret ei, quamuis bona verba danti, & ſuum amorem expetenti, illa vero cuperet Vlyſſis animum roborare, eique patefacere ſe omnino alienam eſſe ab omni dolo, non alia ratione Circi acquieuiſſe, niſi quando illa rogauit eum vt ſecum dormitum iret, atque ita metum omnem deponeret. Sic enim ait.

Sed agè in vaginam gladium pone, nos vero deinde
Lectulum meum conſcendamus, vt commixti
Lecto. & amicitia confidamus inuicem.

His uerſibus indicauit mihi Homerus ex dormitione confidentiam colligi; quæ nil aliud eſt, quam unius certitudo quędam de alterius amore reciproco. Amor autem reciprocus eandem uolũtatem, idemque deſiderium ſupponit cum deſiderio amantis alterius. Non enim ibi ſit amor reciprocus, ubi ſit in uoluntate diſcordia, & in deſiderijs. Dormire ergo amantem cum amata nil aliud ſonare uidetur, niſi poſſe quotieſcunq; uoluerit cum ea reamante coniungi. ANON. Tu mihi omnem abſtuliſti difficultatem, ò Prouide. Nunc eamus dormitum.

ODISSEÆ

Nono, verſu XXXIV.

Vt nihil dulcius ſita Patria, neque Parentibus
Eſt: etiam ſi quis longe diuitem domum
Terra in aliena habitet, ſeorſum à Parentibus.

Diſputatur cum Iuſto Lipſio de Amore erga Patriam. Oſtenditur amorem illum, non Lege, aut hominum inſtituto conſiſtere, ſed a Natura omnium pectoribus imprimi.

COLLOQVIVM XXXVIII.

ANONYMVS.

PVTAS ne Incluſe Doctiſſime Amorem hunc erga Patriam, quem adeo dulcem, ac vehementem eſſe, hoc loco noſter aſſerit Homerus, naturalem eſſe nobis, an potius lege aliqua conſtare, & inſtituto hominum? INCLVSVS. Si illuſtrium ſcriptorum auctoritatibus, agendum eſſet, aut eorum exemplis inſiſtendum, qui ſapientiſſimi cum eſſent, Patriæ tamen ſalutem propriæ vitæ prætulere, veriſſimam putantes eſſe Poetæ ſententiam dicentis.

Horat. carm. lib. 3. ode 2. *Dulce, & decorum eſt pro Patria mori*

Equidem vnicuique compertiſſimum fieret amorem hũc erga Patriam, & Parentes non ſanctiſſimum modo, & vehementiſſimum, verum etiam intimum, & à natura inſitum omnibus eſſe, non autem lege conſtare.

1. De cõſt. c.11. PROVID. Ego quidem tecum ſentio. Tamen vir Doctiſſimus Iuſtus Lipſius vno verbo antiquorum omnium auctoritates, & exempla non ſine validis quibuſdam rationibus contemnit, acriterque contendit amorem hunc in Patriam non quidem nobis natura competere, ſed more quodam, & humana conſtitutione. Etſi enim viri magni, & docti aliter ſunt effati, id quidem inquit ad famam dictum eſſe, & opinionem hominum, non ad veritatem. ANON. Pergratum mihi eſt & Prouidum noſtrum Iuſti Lipſij doctrinam vidiſſe. INCLVS. Ego ſanè non credidiſſem opinionem adeo erroneam in hominum mentes vnquam potuiſſe penetrare; multo minus eorum, qui ab omnibus Doctiſſimi habiti ſunt, qualis Iuſtus Lipſius extitit. Semper enim veriſſimam eſſe exiſtimaui Euripidis ſententiam dicentis.

Digitized by Google

- - - ἀναγκαίως ἔχει
πατρίδος ἐρᾶν ἅπαντας

- - - Imperat neceſſitas
Amare Patriam cunctos.

Si ergo Iuſtus Lipſius aliter ſentit, gratiſſimum erit mihi intelligere, quibuſnam illud ſibi rationibus perſuaſerit. PROVIDVS. Illas ego vobis cunctas recenſebo ſigillatim. Prima eſt, quoniam non omnes is amor tangit, aliter atque eueniret ſi eſſet naturalis. Quæ enim ſunt à natura omnibus competunt. Et tamen conſtat ſapientiſſimum Socratem, interrogatum cuiatem ſe ferret, reſpondiſſe Mundanum. Perinde ac nullam aliam Patriã cognoſceret, aut diligeret, præter vniuerſalem mundum.

INGEG. Ab hac ſententia parum receſſiſſe Hercules videtur apud Plutarchum, in libro de Exil. vbi habetur.

Hinc rectè interrogatus Hercules
Argiuus, an Thebanus? Haud vnam curo
Iactare. Græcia omnis eſt mihi Patria.

Secunda ratio paulò recedens à rigore prioris, idem probat, quoniam hic Amor non pariter in omnes, & eadem menſura diffuſus eſt, vt ſunt cęteræ proprietates naturales. Patet, quoniam diuites, nobileſque Patriam magis amant, & curant, minus plebeij, atque inopes. Quod tamen aliter (inquit Lipſius) euenire certum eſt, in omni affectu, qui à violento iuſſu eſt naturæ.

Tertia ratio. Si talis amor eſſet naturalis, non tam leuis cauſſa illum tolleret, aut minueret. Videmus tamen alios ira, alios amore, alios etiam ambitione permotos patriam deſerere, & ſe in alienam transferre regionem. Multi autem ſunt, qui lucri cauſſa proprias non modo relinquunt domos, verũ etiam in remotiſſimas mundi partes proprias ſedes tranſtulerunt.

Quarta, & vltima ratio videtur ad quoddam inconueniens deducere, ſuppoſito quod Patria ſit genitale ſolum. Si enim hoc Patria eſt, & in hanc vnuſquiſque naturaliter inclinatur, ſequeretur, quod vnius Amor erit erga Vrbem aliquam, alterius erga oppidum, alterius erga ignobilem Villam, prout diuerſa ſunt loca, in quibus naſcimur, & educamur. Et adeo creſcit hoc inconueniens quod ſicuti cuipiam tugurium, aut magar, aut fortè ſilua, & nudus ager erit Patria, ita amor eorum non dicetur egredi limites illos. Atque ita magna eſſet huius Amoris varietas, & inæqualitas, cum tamen ea, quæ ſunt à Natura, omnibus æquè conuenire videantur. Hæ ſunt rationes Lipſij. INCLVS. Niſi velit ea, quæ vnicuique manifeſtiſſima ſunt inficiari, confitebitur utique & ipſe omnes homines amore aliquo ſiue naturali, ſiue non, Patriam proſequi. PROVID. Non negat; ſed ait cauſſam, & originem Amoris huius non eſſe naturam, & ideo illum minimè appellandum eſſe naturalem, at inquit originem habuiſſe à more, & homi-

num inſtituto. INCLVS. At quonammodo id aſtruit? PROVID. Poſtquam, inquit, homines ex rudi illa, & ſoliuaga vita ab agris in oppida cōpulſi ſunt, & domos, ac moenia ſtruere cæperunt, & coetus facere, communio quædam inter eos exorta eſt, & ſocietas uariarum rerum. Quas tamen res ita amare, & curare Auaritia noſtra occepit ut ſuas. Non enim hæ res communes à Priuatis differunt, niſi quia non ſunt unius, unde vnuſquiſq; in eas aliquid iuris habet. Conſortio autem iſta formam quandam, & faciē expreſſit noui ſtatus; & eandem Patriam vocamus. Qua ſalua priuatæ etiā res noſtræ ſaluæ ſunt, & mortuæ moriente. Hinc charitas in eam, & amor. Sic quidem Lipſius ſibi perſuadet amorem erga natale ſolum ex inſtituto eſſe hominum, non à natura. INCLVS. Ego ſane non negauerim multum hæc argumenta probabilitatis habere; at cum ijs conferenda non ſunt, quæ ſtant pro contraria ſententia, nos ſcilicet naturaliter Patriam diligere. Nōne validiſſima ratio eſt, quod vnuſquiſque noſtrum, vel à teneris vnguiculis, ita videtur diligere natale ſolum, ut ſolum illud nobis placere videatur, præ cæteris omnibus. Hic ridiculum utique fuerit morem, aut humanā vllam conſtitutionem inuehere; non enim ab his reguntur infantes, ſed à ſolo inſtinctu naturali. Sed quid homines memoro? Hic amor animalia cuncta tangit; & non ad hæc modo, verum & ad Plantas ipſas, & vſque ad elementa videtur penetrare. Ecquis enim eſt, qui ambigat ſingula elementa proprium ſibi locum in vniuerſo vendicare, quem præ cæteris appetere, & amare quodammodo videantur. De Plantis eſt vnicuique conſpicuum alias alijs regionibus gaudere magis, in ipſiſque non modo diutius uiuere, verum etiam & proceriores, & fertiliores reddi. Ita vt nemini dubium ſit, quod ſi Plantæ, & elementa ſenſu prædita eſſent, proculdubio propria loca amarent, ipſiſque ſummopere delectarentur. Sicut videmus id euidentiſſimè in animalibus cuiuſq; generis, ut Caſſiodorus annotauit. Vnicuiq; inquit Patria illa charior eſt, in qua ab incunabulis ipſis commoratus eſt.

Lib. 1. Epi. 20.

PROVID. Hæc non ignorabat, arbitror, Lipſius, qui & ipſe fatetur feris datum eſſe agros, ſyluaſque quærere, hominibus autem fores patrias ſuper cuncta diligere: Aues ipſas per aera vagantes proprios nidos amare, erratiles feras ad cubilia damoſa feſtinare, voluptuoſos piſces in magno illo, & interminato Oceano gaudere certa eius parte, cauernas enim ſuas perquirere, cunctaque animalia ibi refugere, vbi longiſſima cupiunt ætate conſtare. INCLVS. Et hæc paruipendit Lipſius? Poteſt equidem hæc ſpernere; at quod rationes illæ, quibus ſibi contrarium perſuadet tanti faciendæ ſint, & æſtimandæ, ut his mereantur præferri, errat toto cælo, ſi id credit. Si enim id à natura datum eſt animalibus, vt ſua quæque propria loca cognoſcant, diligant, ament (non habet autem hic vllum locum mos, aut inſtitutum) cur non dicemus & Amorem illum, quo erga Patriam inclinantur homines, a natura nobis inditum eſſe? PROVID. Ni fallor, Princeps, aliquid habes notatione dignum, quod afferas pro huius controuerſiæ diſſolutione. Vidi enim te aliquoties os aperuiſſe, licet deinde deſtiteris.

ANON. Mihi certè uidetur hæc controuerſia facilè dilui poſſe, Incluſique ſententia nullo negotio confirmari, & argumenta Lipſij ſine labore

euerti

euerti etiam poſſe. Hæc ego omnia polliceor me præſtiturum, ſi modo non grauaberis mihi benignas aures præbere. PROVID. Non modo aures præbebo, ſed oculos, ſenſuſque omnes in te vnum interea conuertam.

ANONYM. Vt itaque facilius hanc controuerſiam dirimam illud ego præmittam, Amorem, de quo nunc loquimur eſſe paſſionem illam appetitus ſenſitiui, & affectionem erga rem amatam, quæ originem habet à voluptate, & complacentia illa, quæ ex rei amatæ conſideratione reſultat. Præmitto etiam illud, Patriæ nomen, etſi diuerſimodè accipiatur à nonnullis, hic tamen ſumi, prout natale ſolum denotat, in quo educati ſumus. De qua etiam Patria Homerus intelligit hoc loco. Sicut & in primo huius intellexit, quando de amore Vlyſſis in Patriam loquens dicebat. Piccol. grad. 7. c. 1.

- - - Cæterum Vlyſſes
Cupidus vel fumum exeuntem videre
Patriæ ſuæ ſic mori optat.

Optauit autem mori hoc pacto. Quoniam & ſi Circe, & Calypſo ſpoponderint Vlyſſi vitæ immortalitatem dummodo apud ipſas maneret, renuit tamen ille, maluitque mori, & Patriam videre, quam immortalis eſſe longe à Patria terra. His ita conſtitutis, ad difficultatem propius accedens, dico ad illam diſſoluendam nullam videri mihi potiorem methodum, illa, quam & Ariſtoteles quoque ſeruauit, quando de Amore ipſo agere inſtituit. Ea vero eſt, vt prius de obiecto amabili agamus, videamuſque in hoc noſtro propoſito an Patria ipſa ſit obiectum natura amabile, nec ne. Cum enim Amor ſit affectus quidam, & perturbatio appetitus ſenſuum, neceſſario, & naturaliter conſurgens ex conſideratione, ſeu ex uoluptate, quæ conſequitur conſiderationem rei amabilis, tunc conſtabit hunc Amorem eſſe homini naturaliter inſitum; ſi Patria ipſa ex ſui natura fuerit obiectum amabile. Quod ſi non ſui natura ſit amabilis, ſed ex hominum lege, aut inſtituto, certe concludendum erit neque amorem erga Patriam originem habere ab ipſa natura. Vt autem facilius innoteſcat an Patria ex ſe ſit amabilis, uideamus prius breuiter, quid non ſit in uniuerſum obiectum amabile. Hoc enim cognito facile erit poſtea perſpicere an Patria ipſa ſub ipſo contineatur. De hoc itaque Amabili Ariſtoteles cumulatiſſimè diſſeruit in octauo Ethicorum. Cuius uerba, quia maximè ad rem noſtram conferunt, hic ego legam. Sic ait. Hæc autem facile intelligentur, ſi quid ſit amabile cognouerimus. Quippe cum non videantur diligenda omnia, ſed ea duntaxat, in quibus ineſt cauſſa diligendi, cuiuſmodi ſunt bona, uel iucunda, vel vtilia. Id autem vtile uidetur, per quod aliquod bonum vel voluptas comparatur. Quare fit, ut amabilia ſint ipſum bonum & iucundum vt fines. Sed vtrum id quiſque diligat, quod abſolute eſt bonum, an quod ſibi eſt bonum quæſtio eſt. Hæc enim interdum inter ſe diſcrepant. Similiter & circa ipſum iucundum dubitatur. Videtur autem id quiſque amare, quod ſibi bonum eſt. Quod uero perfectè abſoluteque bonum eſt, id quidem ſimpliciter amabile, id autem quod cuique bonum, id cuique amabile. 8. Ethic. 2 Cap. 2.

bile. Amat porro vnuſquiſque, non quod ſibi re vera bonum, eſt, ſed quod videtur. Nihil tamen hic intereſt. Erit enim amabile, quod bonum eſſe videbitur. Hactenus Ariſtoteles. Ex cuius dictione mihi videor optimè poſſe colligere, quod cum amabile illud ſit, quod ſpeciem habet boni, vel iucundi, illud erit in duplici differentia. Aliud enim erit tantummodo bonum, vel iucundum apparens, aliud vero erit reuera tale. Hoc autem videtur illud eſſe, quod per ſe, & ex ſui natura amabile eſt. Nam quod non eſt tale, ſed apparet, nemo dixerit amabile eſſe ex ſui natura. Quod ergo reuera eſt bonum, reuera iucundum, id per ſe eſt amabile, & ex ſui natura. At hoc iterum videtur diuidi ab Ariſtotele in illud, quod per ſe, & ſimpliciter eſt tale, & reſpectu omnium; & in illud quod tale eſt ſecundum quid tantum, & reſpectu alicuius. Vtrunque tamen amabile eſt naturaliter, non apparenter. Illud quidem ſimpliciter eſt iucundum, & ſimpliciter bonum; hoc autem ab intrinſeco habet, naturalique principio, vt Socrati, aut Platoni ſit iucundum, aut bonum. Exemplis res fiet apertiſſima. Iis, qui ſibi manus inferunt, mors videtur iucunda, & bona, & ideo amabilis, nō tamen eſt reuera. Illam enim appetunt, quatenus finem eam exiſtimant malorum, & moleſtiarum, cum tamen ipſa ſit omnium malorum maximum, & vltimum terribilium. Contra vero ſcientiæ, virtutes, Honores, vitaque beata ſunt bona ſimpliciter, ſimpliciterque iucunda, & propterea per ſe ab omnibus amantur, & expetuntur. At ſi aliquis hæc non curat, aut acquirere reſpuit, id non alia de cauſſa facit, niſi fugiendi laboris cauſſa, qui in illis adipiſcendis eſt neceſſarius. At vero ſapor dulcis vel amarus, odor roſarum, aut liliorum, & alia huiuſmodi iucunda quidem ſunt, & naturaliter iucunda, non tamen ſimpliciter, ſed ſecundum quid tantum. Non quidem ſunt talia ſimpliciter, quia non delectant omnes. Iucunda tamen ſunt naturaliter, & per ſe, & ideo etiam amabilia naturaliter, propterea quod ab intrinſeco principio habent, vt Socrati, aut Platoni iucunditatem afferant. Eſt autem illud principium, ſimilitudo temperamenti Socratis, aut Platonis, & rerum illarum. Sic Iacobus, Marcuſque Antonius filij hoſpitis noſtri, ſunt illi naturaliter amabiles, naturaliterq; iucundi, non tamen ſunt ſimpliciter tales; quia non ſunt naturaliter ita iucundi alteri viro, quam hoſpiti noſtro, eorum Patri. Sunt enim caro ex carne eius, oſſa ex oſſibus, & ſanguis ex ſanguine. Vnuſquiſque autem naturaliter amat ſua, & neceſſario. Quia ergo hi filioli ab intrinſeco habent, vt ſimiles ſint hoſpiti noſtro, ideo neceſſario, & naturaliter amantur ab eo, neceſſarioque eidem hoſpiti verba eorum, greſſus, effigieſque placent, & afferunt voluptatem. Hæc autem, quæ de iucundo dicta ſunt eodem modo de bono etiam, & vtili erunt intelligenda. SITIC. Nunquam alias audiui filios amabiles eſſe ſecundum quid; immo videtur omnibus notiſſimum, eos eſſe ſimpliciter amabiles, eo quod nunquam Patres proprios non amant filios naturaliter. ANON. Neque ergo aliter ſentio. SITIC. Nonne dicebas Io. Iacobum, & Marcum Antonium fratres amabiles eſſe, atque iucundos naturaliter quidem, ſed ſecūdum quid, quia tales ſunt reſpectu patris tantummodo, & hoſpitis noſtri?

ANON. Ita ſane dicebam, ſed aliud eſt loqui ò Siticuloſe de filiolis hi-

ſce

ſce ſub nomine proprio Io.Iacobi, aut Marci Antonij, aliud ſub epitheto Filij. Quatenus enim filij ſunt, ſunt naturaliter, ſimpliciterque iucūdi, quia tales ſunt neceſſariò reſpectu illius, cuius ſunt filij. At ſi de illis materialiter loquamur, & (vt aiunt) tanquam de ſubſtrato, vt ego loquebar, tunc non ſimpliciter ſunt iucundi, neque amabiles, quia non neceſſario, reſpectu omnium, ſed tātummodo reſpectu Hoſpitis, qui illos genuit. Itaque, vno verbo, id quod naturaliter eſt amabile, in duplici erit differentia: vel enim erit ſimpliciter bonum, atque iucundum; hoc autem ab omnibus per ſe experitur, vt ſunt virtutes, & ſcientiæ; aut ſaltem erit tale, vt ab intrinſeco principio habeat, vt huic, aut illi animalium naturæ, huic aut illi hominum generi, vtilitatem, aut iucunditatem afferat, licet non omnibus id præſtet; cuiuſmodi ſunt ſapores varij, & alimenta, quæ ſui natura ſunt talia, vt huic ſpeciei animalium, non illi iucunda ſint, atque ſimilia. SITIC. Iam intelligo. At ſub quo membro amabilis Patriam ſis repoſiturus neſcio. ANON. Dupliciter poſſumus de Patria loqui, ſicut & modo de filijs loquebamur; ſcilicet vel formaliter quatenus Patria eſt; vel materialiter quatenus verbi gratia Bergomum, aut Vrbs alia. Si hoc ſecundo modo Patriam ſumamus, proculdubio nulla Vrbs, aut Prouincia, aut etiam oppidum eſt naturaliter amabilis primo modo; propterea quod non omnibus eſt iucunda ſimpliciter, neque vtilis, aut aliter bona, immo poteſt nonnullis eſſe noxia, & aduerſa, erit tamen naturaliter amabilis ijs, qui in ea orti ſunt, & educati, propterea quod his neceſſariò vtilis eſt, atque iucunda. SITIC. Si rectè intelligo, quæ dicis, hoc vis aſſerere Patriam formaliter ſumptam, & quatenus Patria eſt, eſſe naturaliter amabilem primo modo, ideſt ſimpliciter, & abſolutè, & reſpectu omnium, quibus eſt Patria. ANON. Hoc ipſum equidē aſſero, & veriſſimum eſſe profiteor. PROVID. Hoc ipſum etiam è diametro pugnat cum mea Lipſijque ſententia. ANON. Veriſſimum. Dico itaque Patriam omnem, quatenus eſt Patria, hoc ab intrinſeco habere, & à propria natura, vt ijs, qui in ea ſunt orti, & educati neceſſario & iucunditatem, & vtilitatem afferat. Quare & amor in illam naturalis erit nobis. Videamus ergo prius, quomodo patria terra (intelligo autem vna cum terra omnia illa, quæ ſunt illi neceſſario coniuncta, vt aerem, flumina, fontes, nemora, & alia huiuſmodi) ex ſui natura ſit illis iucūda, qui in ipſa orti ſunt, & educati. Hoc facile patebit conſideranti quanta uis inſit regionibus ipſis ad mores hominum permutandos, uariandaque temperamenta. Conſtat enim apud omnes, orbis terrarum regiones, & climata, ſicuti inter ſe actiuis qualitatibus differunt, ita etiam homines in illis genitos colore, pilis, moribus, denique & temperamento interſe ſummopere diſtare. Vſqueadeo hoc verum eſt, vt hæc differentia non in Regnis modo, & magnis mundi partibus conſpiciatur, verum etiam in Prouincijs ipſis, & ciuitatibus non obſcure appareat, tanta ineſt terræ, & aeri patrio uis ad immutanda hominum temperamenta. Quid? quod & ſæpenumero accidit, oppidū aliquod aere ſalubri gaudere, alterum autem inſalubri, quod vix aberit milliare. Vnde euidenter conſpicitur homines in illis genitos ualde differre, & temperamento, & longitudine vitæ, nec non & propenſionibus ipſis. Ita vt cō-

clūdere

Digitized by Google

cludere oporteat vel exiguam diſtantiam locorum, non exiguam in ipſis differentiam parere, eandemque in homines ipſos, adhuc & in animalia, & Plantas penetrare. Neceſſe ergo eſt vnumquemque noſtrum ſecum gerere in temperamento impreſſionem aliquam, & veluti character, quod ipſi indidit Patriæ natura. Nam etſi in eadem vrbe, in eodem vel exiguo oppido diuerſa producantur hominum temperamenta ratione varietatis naturarum, & uictus rationum particularium, in omnia tamen aliquid impreſſit regionis temperamentum, per quod huic magis ſimiles redduntur Patriæ, & regioni, quam alteri. Signum autem huius eſt, quod omnes eiuſdem vel exigui Pagi homines communem aliquam habent proprietatem, & propenſionem, per quam à vicinis diſtinguũtur. Si igitur omne ſimile gaudet ſimili, & vnuſquiſque iucunditatem ex illis percipit, quæ cum illi ſint ſimilia valent illum conſeruare, vt patet in cibis, potibus, & huiuſmodi alijs, cur non & idem conueniet & regioni ipſi, ut quilibet illa delectetur, cui factus eſt ſimilis in temperamento, & in qua maximè aptus eſt conſeruari? Talis eſt Patria Terra. Cum itaque, hac de cauſſa, Patria ſit naturaliter iucunda, naturaliter etiam amabitur. Hinc conſtat non omnino rationabiliter Lipſium à Patria reieciſſe Parentis nomen. Nam etſi negandum non eſt Parentes ſolos fuiſſe illos, qui nos genuerunt, & formarunt, negandum tamen non eſt, Patriam ipſam multum contuliſſe ad alterandam, & modificandam generationem noſtram. Parentes quidem nos genuerunt homines, Patria tales fecit. Et ſicuti Pictor ille verè eſt, qui imaginem conficit, & pingit, hicque illius auctor dicitur, partem tamen in illo magiſterio habere creditur & ille, qui colores miſcuit, & temperauit. PROVID. Incipit mihi ſummoperè placere hæc doctrina. ANON. Nil igitur mirum ſi diuerſa Piſcium genera diuerſas ſibi partes in vaſto illo Oceano, eligunt, amant habitant. Si volatilium alia alias arbores diligunt, in illiſque libenter nidificant. Sique varia genera ferarum varias gaudent mundi partes habitare, quamuis idem ſit mundus, eademque, vt Lipſius inquit, terrę pila. Cum enim unumquodque ſuam habeat, ex quibus conſtat, elementorum temperiem, variæque mundi partes item varias; hinc fit ut animalia cuncta ibi libenter refugiant, vbi longiſſima cupiunt ætate conſtare: cupiunt autem in ſimili. Quoniam itaque unuſquiſque ſimilis factus eſt Patriæ in elementorum, qualitatumque temperamento, propterea iucunditatem ex illa percipit naturaliter, & neceſſario; & ex conſequenti illam neceſſario, & naturaliter amabit, quod nos ab initio oſtendere propoſuimus.

INCLVS. Proculdubio veriſſima eſt hæc doctrina. Poſſet tamen aliquis obijcere, Ariſtotelis auctoritatem, dicentis, neminem amore capi, qui non fuerit ante forma, ſpecieque delectatus. Amor enim cum ſit affe-
9. Ethic. 5 ctus appetitus cognitionem ſupponit. Si ergo amabile illud eſt, quod bonum uidetur, aut iucundum; iucunditas autem, quæ eſt in Patria in ſimilitudine conſiſtit, dicendum videretur neminem amare Patriam poſſe, niſi qui huiuſmodi ſimilitudinem prius cognouerit. Quod tamen falſum eſſe uidemus. Quamplurimis enim ſua delectat Patria, cum tamen hanc ignorent ſimilitudinem.

ANON.

ANON. Negatur conſequentia. Vera quidem eſt enim Ariſtotelis ſententia, quod Amor delectationem ſupponat per ſpeciem formamue aliquam, non tamen neceſſe eſt ad delectationem recipiendam ut cauſſa delectationis cognoſcatur. Videmus enim vnum vni, alterum alteri ſaporem placere, & delectare, cum tamen pauci intelligant huius euentus cauſſam. Sic aliquando contigiſſe legimus, ut Pater filio occurrens iamdudum exulanti, illum neſcio quo inſtinctu naturæ amare occeperit (id autem accidit ob ſimilitudinem) cum tamen ignoraret illum ſibi filium eſſe. Semper tamen præcedit delectatio per ſpeciem, ut conſtat. Sic ergo & in Amore Patriæ contingit. Vnuſquiſque enim facie delectatur ſuæ Patriæ, huic montes, illi flumina, & fontes, alteri nemora delectant, Vlyſſes ipſe fumum exeuntem videre ſummopere deſiderabat. Propterea amant omnes ſuam Patriam, omnibus enim illa placet, atque delectat, pauci tamen ſciunt quęnam ſit cauſſa delectationis huius. Sed cum inter noſtram, & Patriæ temperiem ſimilitudo interſit maior, quam cum alienis regionibus, hinc, natura illa ſimilitudine delectata, accidit ut cauſſam delectationis arbitremur eſſe res illas, quæ noſtris ſenſibus magis patent; cum tamen non ipſæ ſint origo delectationis, ſed quid aliud reconditum magis.

INGEN. Hoc fortaſſe illud fuit, quod exprimere haud potuit Ouidius, cum ita cecinit. *1. de Pōto, Eleg. 4.*

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

PROVID. Satis uidetur conſtare Patriæ iucunditas. At ni fallor vtilitatem quoque illius patefacere pollicitus es. Hanc etiam intelligere cupio. INCLVS. Quorſum obſecro hæc interrogas. nonne hæc utilitas ſatis innoteſcit ex iucunditate? Vnumquodque enim ſicuti a contrario corrumpitur, ita à ſimili natum eſt conſeruari. Diutius ergo unuſquiſque conſeruabitur in Patria, quam extra Patriam. Hoc optime medici ſciunt. Qui ſi aliquem ægrotantem extra Patriam curandum ſuſceperint, & omnia experti fuerint, vt ipſi ſanitatem afferant, nihilque profecerint, tanquam ad ſacram anchoram confugientes ęgrotantem remittunt in patriam terram. Nec ſpe fruſtrantur. Aeris enim ſimilitudine roborata Natura, & Patriæ conſpectu delectatus æger, ſæpenumero morbos alioqui lethales ſuperat. ANONYM. Optime ſanè. Hoc vno argumento ſatis euidenter colligitur Amorem erga Patriam naturalem eſſe.

PROVID. Mihi quoque ita videtur. ANON. At uidete aliam vtilitatem, quam nobis attulit Patria, à paucis cognitam. Ea vero eſt, quoniam in illa primo aerem hauſimus, illam primum corpore iſto preſſimus, pedibus inſtitimus; In ea primo ſenſus noſtros aperuimus, pueritia luſit, iuuētus exercita eſt & educata. Quæ familiaris eſt nobis, & in qua primas experti ſumus uoluptates. PROVID. Hæc omnia Lipſius quoque commemorat; nec tamen multi æſtimat. Et uidetur id iure facere. Quæ enim iſthæc eſt vtilitas? ANON. Ea, inquam, quoniam hac de cauſſa videtur

Patria

Patria vitam tribuiſſe nobis, quia primo in ea viximus; ſuſtinuiſſe, quia primo illam preſſimus; ſenſus largitam eſſe, quia in ea primo illos exercuimus; Ludos dediſſe, quia primo in illa luſimus; Vno verbo videtur Patria eorum omnium nobis cauſſa, & auctor fuiſſe, quorum delectationem, & vſum in ea primo accepimus, vitæ, ſenſuum, voluptatum, ludorum, illecebrarumque omnium. Cum enim hæc omnia ab obiectis, tanquam ab efficiente cauſſa dependeant, nil mirum ſi prima obiecta, à quibus ſenſus noſtri primo exerciti ſunt, videantur nobis non modo actus ſecundos tribuiſſe, verum & potentias ipſas. PROVID. Nonne & quęlibet alia tellus, hæc eadem omnia efficere poterat? ANON. Poterat ſanè, non tamen effecit. Tota autem vis Amoris huius ex eo pendet, quoniam Patria illa fuit, quæ primo tot bona oſtendit nobis, non quia oſtendere poterat. PROVID. Illud ſaltem negandum non eſt, nos in hac exiſtimatione decipi, vtilitatemque hanc, quam fingis in Patria, apparentem, fictitiamque penitus eſſe, non veram: cum nihil ipſa nobis dederit, quod ab alia qualibet non poſſemus accipere: & inſuper non ipſa quicquam dederit, ſed omnia à parentibus accepimus; Potentias nempe actuſque omnes ab illis procedentes. ANON. Equidem non negauerim falſum eſſe penitus, quod ſiquis potentias ipſas, & ſenſus omnes pro actu, primo ſumptos dicat à Patria nobis tribui, propterea quod primos in illa actus exercuerint; Eſt enim vtilitas hæc Patriæ fictitia penitus, & apparens. At ſi de actibus ipſis ſecundis loquamur non ita facile conceſſerim apparentem eſſe vtilitatem hanc in Patria. Cum enim obiecta ipſa in ſenſus agant; agendoque ſenſationem efficiant, voluptates autem omnes ſenſationem aliquam conſequantur, quamuis potentiæ ipſæ ſenſuum à generante ipſo inditæ nobis ſint, non ab obiectis, negari tamen non debet, quod obiectum primo illas pulſans, & exercens, actumque eorum primum eliciens vocari rectè poſſit cauſſa & auctor ſenſationis noſtræ, in eo ſenſu, quod ipſum primo potentias ipſas aperuit, deditque illis actum, quem nunquam antea ab vllo alio obiecto acceperant. His ego rationibus adductus crediderim Amorem erga Patriam innatum eſſe nobis, non autem more aliquo acquiri, aut hominum inſtituto, vt Lipſius dicebat. PROVID. Summopere mihi placuit inaudita hæc ratio, qua doctè admodum oſtendiſti Patriam vere tribuiſſe nobis actus ſecundos potentiarum noſtrarum, quos primo edidimus. Ex hoc enim neceſſario ſequitur, vt illa appareat nobis & Potentias ipſas dediſſe, cum illud dederit, quo ſolo cognoſcere potuimus, nos illas poſſidere. ANON. Rectè ſentis. Non ita rectè Lipſius. Cuius iuuentum de hominibus primo vagantibus, deinde in oppida compulſis, deque eiuſmodi Amoris in Patriam origine, euidenter refellunt animalium exempla, idque quod in pueris cernitur. Quibus longe à Patria miſſis, & pulcherrimas vrbes incolẽtibus, propria tñ magis delectat, & placet, Patria, quãtũuis ignobile oppidum fuerit, aut Pagus. PROVID. Euidẽtiſſima iã eſt hęc pia, ſanctaq; ſententia. Scire tñ cupio qua rõne poſſint cõtraria argumenta euitari. ANON. Nihil illa conficiunt. Nã quod attinet ad auctoritates, multo plures ſunt pro noſtra ſententia. Præterquã quod neq; Socrates, neq; Hercules,

omnino

omnino expertes huius amoris erant, ſi quis rectè conſideret. Nõ.n. vlla ratione poterat Socrates ſe vocare mundanum, quod eadem multo rectius, & rationabilius Græcus non eſſet, & adhuc rectius Athenienſis. Neque Hercules ſi omnino ab hoc Amore abſuiſſet, ſe magis Græcum, quam Italum nuncupaſſet. Quod autem non æquè ſit hic Amor omnibus infuſus, neque eodem robore diffuſus in diuites, & pauperes, nobiles, & ignobiles, hoc non tollit, quod ſit naturalis. Nam neq; filij æquè amantur à Patribus, cum tamen amentur naturaliter. Videmus etiam pauperes minus dolere, & cõqueri de morte filiorum, quam diuites faciant. Eſt autem eadem cauſſa. Non enim pauperes tot delicias, totque voluptates experiuntur in Patria, aut in Filijs, quot diuites ipſi: neque tot ignobiles, quot nobiles, propterea non tantum hæc diligunt. Omnes tamen homines, aliquas voluptates, atque beneficia receperunt à Patria, vt monſtrauimus, propterea vnuſquiſque illam plus minus ve diligit, licet non omnes æque vehementer. INCLVS. Equidem ratio hęc Lipſij imbecillior erat, quam quæ tererentur in medium afferri. Ipſeque ſic ignoraſſe videtur, viſum, ſenſuſque omnes eſſe animalibus naturales, & tamen non in eadem perfectione omnibus competere, neque tribui; immo & nonnullis omnino denegari, vt ijs, qui cæci, aut muti, aut ſurdi naſcuntur. Hoc tamen non prohibet, quin & viſus, & auditus, & vox articulata res naturales non ſint. A N O N. Optimè. Vnde & ex hoc ipſo colligitur, quam debile ſit & ſecundum Lipſij Argumentum, quo dicebat, ea, quæ iuſſu naturæ contingunt, æque omnibus conuenire. Hoc enim falſum eſt; & præcipuè in illis, quæ & obiecta requirunt externa, vt producantur, cuiuſmodi eſt Amor. Vt enim hic naturalis dicatur, non eſt neceſſe, vt neceſſario inſit homini, ſed ſufficit, ſi appoſito obiecto naturaliter amabili, ipſe neceſſario reſultet. Quod igitur amabilia Patriæ obiecta, æquè omnibus occurrant, non eſt neceſſe, & ideo neque Amor hic neceſſario eſt æqualis in omnibus. At quia eadem obiecta neceſſario amantur, quando ſeſe offerunt, ideo dicimus Patriam naturaliter amari. De tertio Lipſij argumento dicimus non adeo leues eſſe cauſſas, quæ Amorem erga Patriam minuant, ex illaque eliciant homines. Quod ſi aliquando id contingat; ea de cauſſa id euenire dicimus, quoniam multo maiorem vim habet amor proprius. Nec propterea dicendum quod Amor Patriæ naturalis non ſit. Legimus multos leuibus de cauſſis Patrem occidiſſe, aut filios; & ſuperioribus annis non defuere, inter Noſtrates, qui ſolius lucrandæ dotis deſiderio permoti, tanquam carnifices inquiſſimi innocenti puellæ, immo & adhuc blandienti crudeliſſimè vitam abſtulerunt. Nec tamen quis propterea negauerit Amorem in filios apprimè eſſe naturalem. De quarto Argumento pauca dicenda ſunt. Concedimus vnumquenque ſuam amare Patriam, quantumuis ignobilem & obſcuram. Nec propterea inæqualis erit hic amor, niſi per accidens, & quatenus inæqualis eſt Patria materialiter ſumpta. Per accidens, inquam, eſt, quod vnius Amor latè ſe extendat, & explicet, alterius autem in anguſtos limites contrahatur. Per ſe tamen fit, vt vnuſquiſque amet Patriam. Quod ſi cætera paria eſſe ſupponantur, par proculdubio erit & Amor, nec vlla in illo conſpici inæqualitas poterit,

Digitized by Google

rit, quæ non ab aliqua extranea cauſſa proficiſcatur. PROVID. Hæc mihi ſatis. Iam mutaui ſententiam in melius. Et vt hoc etiam ingenuè fatear, & ſi rationes Lipſij contrarium mihi perſuaſerant, neſcio tamen quid intus reclamabat, nec ſinebat me in ea ſententia pacificè requieſcere. INCLVS. Scis ne quid hoc eſſet? id erat amor ipſe naturalis in Patriam, qui cum à natura ſit pectoribus noſtris inditus, altiſſimaſque radices egerit, ſibi videbatur domo eijci, & expelli, per rationes Lipſij, quæ aduenam illum, & extraneum faciunt. PROVID. Non longe abeſt à vero. ANON. At videatis quanta ſit vis, & efficacia veritatis, quæ vel nolentibus nobis, aut ignorantibus, vltro ſe ſe offert conſpiciendam. Nam & Iuſtus ipſe Lipſius non diu iniuſtam illam ſententiam ſuſtinuit, ſed veram tandem amplexus eſt, & *Cap. 10.* ſcriptis mandauit, ita ſcribens in 4. Politicorum. Patria proximo à Dijs gradu eſt. At nos Deum naturaliter maximè amamus, ergo & Patriam. PROVID. Iam multo libentius ſententiam muto, quando & erroris mei auctor illam mutauit.

O D Y S S E Æ

Nono, Verſu CVI.

Cyclopum autem ad terram ſuperborum, exlegum
Venimus, qui Dijs freti immortalibus
Neque plantant manibus plantam, neque arant,
Sed hæc inſeminata, & inarata omnia proueniunt.
Triticum, hordeum, atque vites, quæ quidem ferunt
Vinum ex magnis vuis, & ipſis Iouis imber dat incrementum.

Triticum, Hordeum, Vitem, immo & Plantas omnes ſponte naturæ prouenire poſſe breuiter oſtenditur. Diſcutitur & illud accuratè, an idem de animalibus quoque omnibus ſentiendum ſit.

COLLOQVIVM XXXIX.

PROVIDVS.

VIDEO Te ridentem, & renuentem capite, ô Siticuloſe; & tamen neſcio quid hoc ſibi velit. Audirem libenter, ſi modo moleſtum tibi non ſit, neque putes me per curioſitatem interrogare. SITIC. Ridebam, quoniam carmina hæc mihi videntur plena fabulis eſſe; & neſcio quid à nobis circa illa dici poſſit, in illorum confirmationem, quod Philoſophiam ſapiat.

PROVIDVS.

PROVIDVS. Si confirmare non poterimus, ſaltem Philoſophicè confutabimus. Sed cur hæc uocas fabulas? SITIC. Nonne hoc loco inquit Homerus in terra Cyclopum, triticum, hordeumque, nec non & uitem ipſam prouenire abſque vlla agricolarum induſtria, ſed omnia inarata, & inſeminata produci, & augeri Iouis imbribus? PROVID. Ita prorſus aſſerit. SITIC. At nos non ignoramus Cyclopum regionem Siciliam fuiſſe; ut Solinus ait, qui ſtatuit Siciliam primum Cyclopum ſedem fuiſſe, iiſque extinctis Aeolum inſulam occupaſſe. Vnde Virgilius. *lib. 3. Aeneid.*

Ignarique viæ, Cyclopum allabimur oris.

de Sicilia intelligens, & alibi. *Lib 2.*

Aetnæos vidit Cyclopas Vlyſſes.

Et Cicero ait. Cyclops Ætnam ſolam, & eam partem Siciliæ tenuiſſe dicitur. *In Verr.* Conſtat autem Ætnam montem eſſe Siciliæ perpetuo clarum incendio. Non adeo tamen diſtat à nobis Siciliæ regnum, ut neſciamus ibi minimè videri hæc miracula. PROVID. Ergo ne putas miraculum fore ſi hæc ipſa ſponte naturæ proueniant? SITIC. Quid ni? PROVID. Ego vero, etſi an hæc in Sicilia fiant nec ne, minimè diſputare uolo hoc loco, illud tamē conſtanter affirmo, à natura fieri poſſe, vt, non modo triticum, hordeum, vitis ipſa, verum & plantæ omnes, ſponte producantur. SITIC. Neſcio quo medio id ſis probaturus, cum hæc minimè in his regionibus appareant. PROVID. Etſi apud nos neque triticum, neque hordeum prouenire vnquam cernantur niſi ſata prius, ſimiliter neque vitis niſi plantata unquam pullulet, idque magno cum agricolarum exculta labore, nihilominus tamen ſi quis rectè conſideret non modo plantas quamplurimas apud nos ſponte naſci, verum etiam animalia diuerſarum ſpecierum ex putri materia generari, mures, ranas, muſcas, aliaque propemodum infinita, quæ cum animam ſenſitiuam in ſe contineant, multo ſunt plantis perfectiora, is nullo negotio intelliget fieri facile poſſe, quod diximus, nullam ſcilicet eſſe Plantam, quę alicubi locorum ſponte produci non poſſit. Eſt enim vnicuique notum, quod generari à cauſſa vniuoca ſemper, & neceſſario ſit maioris perfectionis ſignum, quam generari ex putri. Quæ enim vniuocè generantur eiuſdem ſunt eſſentialis perfectionis, cum ſua proxima cauſſa, quod de æquiuocè genitis dici haud poteſt; ſemper enim cauſſa æquiuoca, nobilior eſt ſuo effectu. Si ergo euidentiſſimè conſtat animalia multa ex putredine produci, & ab æquiuoca cauſſa, dicere oportebit, quicquid eſt illis animalibus imperfectius eodem modo gigni poſſe, ne illud abſurdum ſequatur, quod quæ ſunt ignobiliora nobiliorem neceſſario ſortita ſint generationis modum. Quamobrem apud me impoſſibile non eſt plantas omnes, cęteraque omnia ſemina, & fructus terræ prouenire poſſe ſponte naturæ, & potiſſimum in regionibus illis, aut inſulis, in quibus propter humoris copiam cum calore coniunctam abundat putredinis materia. INCLVS. Huic determinationi illud uidetur obſtare, quod

S frequen-

Digitized by Google

frequentiſſimè cernantur apud nos animalia multa gigni ex putri materia, cum tamen Plantæ multæ ſint, quæ hic non proueniant niſi medio ſeminum, &, vt inquiunt, per propagationem.

PROVID. Hoc nihil obſtat, Incluſe. Non enim id alia de cauſſa contingit, niſi propter regionis naturam, atque temperiem; forte & ob varietatem influxuum, & aſpectuum cæleſtium, à quibus quidem cauſſis non ita diſponi, apud nos putris materia poteſt, vt hæc vel illa Planta generetur, cum tamen diſponatur pro eorum animalium generatione, quorum temperamentum eſt affine, & familiare regioni. Non tamen hinc ſequitur, quod Plantę omnes ſponte naturæ prouenire non poſſint. Immo hoc ipſum repugnat eſſentiali perfectioni animalium, vt dictum eſt.

SITIC. Ratio quidem tua probabiliter ſatis uidetur concludere, ſed deficiente experientia multum amittit roboris.

PROVID. Non arbitror experientiam deeſſe, quotieſcunque non deſunt magnę auctoritatis viri, qui illud ita eſſe affirment, ſicuti Homerus aſſerit hoc loco in terra Cyclopum omnia inarata, & in ſeminata produci. Ne tamen illud quoque omnino deſideretur, quod poſtulas, ego & aliam grauem Auctoritatem tibi dabo. Ioannes Baptiſta Ramnuſius in prima parte Nauigationum, in libro de Itinere Æthiopiæ Franciſci Aluarez fidem facit in parte quadam regionis illius, quamplurimas nobiles plantas naſci ſponte, vt apud nos Syluestres faciunt abſque ſemine, & cultu; quæ tamen apud nos nullo modo ita proueniunt. Sunt hęc illius verba. (Tutta la terra fuori di quei ſaſſi è coperta di gran boſchi, & molti; & li maggiori ſono di oliui ſaluatichi, & molte herbe fra quelli, & la maggior parte baſilichi. Gli arbori che non ſono oliui, non erano da noi conoſciuti, & tutti erano ſenza frutto. In alcune ualli ſerrate, che tiene queſto monaſtero, vi ſono naranzari, limoni, cedri, pergole d'vua, & fichi, d'ogni ſorte, coſi di quelli, che ſi trouano in Portogallo, come d'India, & perſichi; Eranui anche cauoli, coriandri, naſturtio, aſſentio, & mirto, & molte altre ſorti d'herbe odorifere medicinali, & il tutto è mal gouernato, perche non ſono huomini induſtrioſi, & la terra produce le coſe ſopradette, come ella produce le coſe ſaluatiche; & produrria molto migliore che ui piantaſſero, ò ſeminaſſero). Quid modo dices Siticuloſe; putas ne etiam experientiam refragari traditæ antea doctrinæ? SITIC. Non ſanè. Gratiſſimum mihi facit hæc à Ramnuſio intellexiſſe. Nam etſi hæc dictio non omnes complectitur Plantas, recenſet tamen nobiliores. Quare ſi hę ſponte naturæ proueniunt, non eſt cur id de cæteris non poſſit affirmari. PROVID. Recte. Sed audias & alium locũ eiuſdem Ramnuſij ex quo uidetur idem colligi. Hic in nauigatione Aloyſij Muſtij aſſerit in regno Senegæ multas & alias nobiles plantas naſci ſponte his verbis. (L'arbore di queſto liquore è commun ad ogn'uno, perche coſtoro non li tengono come noi habbiamo li fruttari dell'horto, ouer come le vigne men proprie, ma tutto quello, che hanno è di foreſta, & in libertà d'ogn'vno. Hanno frutti di diuerſe ſorti ſimili alli noſtri, & anche che non ſono come li noſtri proprij, & ſono buoni; & eſſi ne

Cap. 11.

man-

Digitized by Google

mangiano, & tutti ſono di foreſta, cioè ſaluatichi, & non coltiuati de horti, come li noſtri. Et penſo che ſe gli teneſſero à mano, come facciamo noi li noſtri, lauorati, fariano frutti buoni, & perfetti.) Hic locus etſi non videtur adeo euidenter noſtram confirmare ſententiam vti ſuperior, valde tamen ei auxiliatur; propterea quod ex huiuſmodi dictione manifeſtè colligitur in illa regione omnes illas arbores ſponte naſci, nulloque præeunte cultu. SITIC. Ita mihi quoque videtur explicandus eſſe locus.

PROVID. Maneat ergo hæc ſententia Plantas omnes poſſe ſine ſemine produci ex ſola putri materia, haud ſecus quam muſcæ, & ſimilia animalia. INCLVS. Nunc mihi & aliud quoddam in mentem venit, magni alioqui roboris argumentum in tuæ ſententiæ confirmationem ò Prouide. PROVID. Quidnam hoc eſt? INCLVS. Deſumitur ex Auctoritate Diuinæ Scripturæ. Scribitur enim in primo Capite Geneſeos Deum, cum plantas producere vellet in vniuerſo, nil aliud feciſſe, niſi præcepiſſe terræ vt germinaret herbam virentem facientem ſemen; & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum. Quo dicto protulit terra hęc omnia; ſic enim legitur ſtatim. Et factum eſt ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. Et vidit Deus quod eſſet bonum. Hic locus uidetur apertiſſime indicare Deum tunc in terra creaſſe virtutem adeo perfectam vt in poſterum ipſa ſola auxilio aſtrorum, aliarumque cauſſarum abſque ſemine ſufficeret ad fructum quemlibet producendum. PROVID. Verè ſublime eſt Ingenium tuum ò Incluſe. Quis crediidiſſet rem hanc poſſe auctoritate ſacra confirmari, & tamen ita prorſus dicendum eſt, vt aſſeris. SITIC. Tu facile aſſentiris Incluſo, ò Prouide, quoniam tuæ fauet opinioni, ſic enim & Poeta noſter ait.

- - - L'huomo ſuole
Dar facile credenza à quel, che vuole.

Ego vero non ita facile ſubſcribam opinioni Incluſi. Neque enim videtur hæc ſententia rectè colligi ex illo loco Geneſeos. Hac enim eadem ratione dicendum eſſet & aquas ex ſe ipſis producere poſſe genus omne piſcium, & volucrum, quia Deus quoque parum infra pręcepit aquis vt producerent reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram. Similiter dicendum eſſet ex putri ipſa materia terræ produci poſſe animal quodlibet brutum, propterea quod præcepit Deus terræ, vt produceret iumenta, & reptilia, & beſtias terrę, ſecundum ſpecies ſuas. Et tamen Philoſophi omnes, & Chriſtiani Theologi, vnanimiter confitentur animalia perfectiora nō poſſe ex putri generari, ſed requirere cauſſam vniuocam. INCLVS. Non rectè, neque attentè legiſti illud caput, ò Siticuloſe, neque diligenter rem conſideraſti, verè quidem præcepit Deus aquis, vt piſces, uolatiliaque producerent, attamen ſubdit Scriptura. Creauitque Deus cete grandia & omnem animam uiuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ, & omne volatile ſecundum genus ſuum. Similiter etſi terræ præceperat ut iumenta produceret, & beſtias, ſubdit tamen ſcriptura; Et fecit Deus beſtias terrę, & iumenta, & omne reptile terræ. Hoc euidenti eſt argumento Deū non tantū

in terra,& aquis virtutē creaſſe,⁏vt ſine cauſſis vniuocis poſſent illa anima
lium genera producere; Immo & ſi prius illo iuſſu vim aliquā illis creatu-
ris,aquarum ſcilicet, & terræ conceſſit ad ea animalia generanda, quia tñ
noluit tantam illam eſſe vt ſine cauſſa vniuoca illud efficere poſſent, pro-
pterea,inquam,addita poſtea illa ſunt verba.⁏Et creauit Deus omnē animā
motabilem,& volatile,&c.ſimiliter & illa. Et fecit Deus beſtias & iumen-
ta terrę &c.At in creatione Plātarū nil aliud legitur feciſſe Deus, niſi quod
terræ precepit, ut germinaret herbam virentem', lignumque fiuctiferum.
Quo dicto factum eſt ita. Terra enim ſtatim germinauit, abſque creatione
noua,aut factura.Viditque Deus quod eſſet bonum.Indicium manifeſtiſſi-
mum hoc eſt,Siticuloſe Doctiſſime,Deum tunc talem in terra vim creaſſē,
ut ex ipſa poſſent plantæ omnes abſq; vniuoca cauſſa produci. PROVID.
Optimè ſanè. Gratiſſimum mihi eſt hoc hodie didiciſſe. SITIC. Mihi
quoq; valde ſatiſfacit hoc argumentum.TVTVS. Vos uidemini in eo con
uenire,quod animalia omnia non poſſint ex putri materia produci,& tamē
mihi uideor aliquando audiuiſſe,'fuiſſe alias Philoſophum quendam exi-
mium, qui aſſeuerabat nullā animalis ſpeciem inueniri, quæ non ex putri
In tracta- materia gigni poſſi t: vſque adeo,vt & hominē ipſum ſic aliquando genitū
tu de di- eſſe arbitretur. PROVID. Fuit hęc opinio Auicēnę,cuius argumēta,& fun
luuijs per damenta tanti roboris ſunt,vt ſudent ferè omnes,dū illa conantur demoli-
ignem. & ri. TVTVS. Fuit ergo Auicenna e diametro oppoſitus Auerroi, qui, vt au-
aquam. diui alias,exiſtimabat nullū animal poſſe vtroq; modo generari,ſed ea,quę
8. Phyſ. ex putri fiunt, etſi ſimilia eſſe videantur ijs, quæ per propagationem geni-
comm.86. ta fuere, ſpecie tamen ab illis differre. PROVID. Certè hi duo Auctores
ita inter ſe diſſentiunt. TVTVS. Quis nam eorū rectius ſentit? PROVID.
Errat vterque. TVTVS. Ego libenter audirem vtriuſq; argumenta, & qua
ratione euerti ſoleāt. ANON. Ego tibi paucis Auerrois argumēta referam.
Primū hoc eſt,quod vnius naturę,vnus debet eſſe generādi modus:ſi.n.plu
res eſſent,aliquis eorū eſſet fruſtra. PROVID. Hęc tō nullius eſt momēti;
negatur.n.aſſumptum. Non.n.id eſt fruſtra,quod eſt vtile. Vtile vero eſt,
quod aliqua pluribus modis generentur.Præterea ſibimet aduerſatur Auer
2.Cæli 14. roes hac poſitione; propterea quod alibi dicit accidentia nonnulla & ab
vniuoca cauſa, & ab æquiuoca generari; ut calor, qui & à calore,& à mo-
.u producitur.non tamē dixerit calorē à motu genitū ſpecie differre ab eo,
2. Cæli. quē calor alter produxit. Simi em quoq; ſententiam de igne protulit in 2.
Com. 36. Cęli,& 2.Metaphyſ.ANON.Altera ratio,eſt hęc;quod diuerſa materia,di
2. met. 36 uerſam requirit formam, vt ait Ariſtoteles 2. Phyſ.textu 26.& 2.de Anima
36.At materia putris,& ſemen diuerſæ ſunt materiæ,atq; diſtinctæ. PRO-
VID. Hæc etiam facile ſoluitur. Maior enim uera eſt de inexiſtente mate-
ria,non de tranſeunte. Ignis enim eiuſdem ſpeciei non minus ex aqua,quā
ex aere gigni poteſt. Minor vero vera eſt tantummodo prout ſemen,& ma-
teria putris dicunt materiam tranſeuntem, & ſunt termini à quo genera-
tionis. At ſi ſumantur vt dicunt materiam inexiſtentem falſa eſt minor.
eadem enim diſpoſitio introducitur in materiam ab æquiuoca cauſa,quæ
& ab vniuoca.

ANO-

Digitized by Google

ANONYM. Tertium argumentum Auerrois. Si animal aliquod vtroque modo generatur, aut neceſſario gignitur ex putri, aut non neceſſario. Primum conſtat dici non poſſe. Si ergo non neceſſario, id erit vel vt plurimum vel vt raro. Quodcunque dicatur, ſequetur id quod raro fit non naturaliter euenire, ſed à caſu. At quod à caſu fit contrarium eſt ei, quod fit à natura; fit enim præter intentionem naturæ.

PROVID. Hæc quoque ratio æquiuocationem committit in dictionibus, raro, &, frequenter. ANONYM. Oſtendas obſecro quomodo peccet. PROVID. Ea ratione peccat, quoniam dictionem rarò, ſumit prout diſtinguitur ab ijs, quæ frequentius fiunt; cum tamen referenda eſſet ad cauſſam à qua aliquid fit. ANONYM. Non intelligo.

PROVID. Vide. Generatio Phoenicis fit raro, tamen Phoenix non caſu generatur. At illud dicitur raro, & caſualiter fieri, quando ab aliqua producitur cauſſa, quę non illud efficere intendebat, ſed aliud quippiam; errorque ille rarò euenit. At dummodo cauſſa efficiens per ſe effectum intendat, licet id raro occurrat, ibi caſus non dicitur reperiri. Ad argumentum ergo dico murem non neceſſario generari ex putri. Quando vero petis an raro, an vt plurimum; Dico quod ſi dictio raro referatur ad generationem vniuocam, certè raro gignitur mus ex putri, frequenter ex ſemine. at non ideo ille dicitur caſu genitus, propterea quod comparatio hæc eſt reſpectu diuerſarum cauſſarum. Si vero velimus conſiſtere in generatione æquiuoca, dictionemque, rarò, referre ad cauſſam æquiuocam, à qua fit animal, & quærere an ab ea fiat raro, an frequenter, tunc dicimus frequenter fieri, ſeu ut plurimum. Cauſſa enim æquiuoca, & vniuerſalis, quotieſcunque tales diſpoſitiones reperit in materia putrida, ſemper murem generat, ſaltem ut plurimum. Vnde generatio illa caſualis non eſt. SITIC. Dicerem ego caſualem eſſe iuxta tua principia, propterea quod calor ille putredinalis minimè intendit muris generationem. PROVID. Fateor. at calor ille non eſt vera cauſſa muris ſed tantum eſt diſpoſitio illius generationis: mus autem genitus non fuit extra intentionem cauſſæ principalis, & per ſe. Sunt tamen, qui concedant uocari poſſe à caſu, ſecundum quid, & impropriè ratione putredinalis illius caloris. Nam ſicuti ſi quis ad pruritum pellendum carnes fricet, & ad huiuſmodi frictionē conſequatur morbi alicuius curatio, ſanitas quidem illa dicetur producta caſu, ſi relatio ad frictionem habeatur; non tamen ſi ad animalis naturam; hæc enim excitata, & adiuta à frictione morbum per ſe ſuſtulit, atque curauit. Sic calor putridus non quidem intendit efficere murem, id tamen intendit uniuerſalis cauſſa; quæ veluti natura quædam vniuerſi totum regit, atque gubernat. Hæc igitur cum ſemper intendat omnes, quas poteſt, formas producere ex potentia materiæ, producit & omnes illas ex materia qualibet, vnde & ea, quæ ex putri fiunt, per ſe fiunt. In quam ſententiam ipſe quoque tandem deſcendit Auerroes, vt patet apud eundem in 12. metaph. comm. 13. Valeat ergo prior illius opinio.

Tromb. 7. met 3p. q. 6

Iauell. 7. met q. 10.

TVTVS. Hactenus oſtenſum Auerrois rationes nihil concludere, audire nunc vellem & illas, quibus contrarium oſtenditur, nempe eiuſ-

S 3 dem

dem ſpeciei eſſe animalia, quæ & ex ſemine, & ſine ſemine gignuntur. PROVID. Primum adeſt Ariſtotelis auctoritas, qui illud expreſsè aſſerit, in 7. Metaphyſicorum. Adeſt & ratio. Conſtat enim ex operationibus rerum formas earum innoteſcere, ſicuti etiam ex tranſmutatione inuenta eſt materia. At vero animalia quæ generantur ex putri eaſdem habent operationes, eoſdemque motus, cum ijs, quæ uniuocè ſunt genita, imò ipſam quoque generationis operationem eandem, ut patet in ranis, piſcibus, muribus, ac ſimilibus; quorum fœminæ primum genitæ ex putri grauidæ ſæpe inueniuntur, & pariunt ſimilia.

Cap 7. tex. 22.

INGEN. Confirmari hæc ratio poteſt. Nam ſumendo murem natum ex mure genito ex putre, niſi eſſet eiuſdem ſpeciei, cum alio genito ex ſemine, ſequeretur neque mures omnes ex ſemine genitos ad eandem ſpeciem pertinere: & ſi ad eandem pertinet, ergo & parens illius in eadem ſpecie erat. PROVIDVS. Optimè. Patet præterea ex ſimilitudine, quam habent animalia illa in figura, & cæteris accidentibus. Patet & ea ratione, quia ſi id calori non repugnat, ſi non igni ipſi, ſi non Plantis, quæ omnia ab vtraque cauſſa producuntur in eadem ſpecie, neque id negandum animalibus videtur, prçcipuè imperfectis. TVTVS. Hæc mihi ſufficiunt argumenta. Sed magnam mihi parum antea ſitim excitaſti audiendi Auicennæ rationes, quas adeo validas eſſe dicis, vt cum difficultate ſoluantur. PROVID. Ego ſanè neſcio an tibi potero illas referre. INGEN. Ego referam. Aſſerit ille ſtellas earum influxus commixtos viribus elementorum omnia formare poſſe, & perficere. Inquit autem naturam non alia de cauſſa fœminam requirere ad generationem, niſi ratione loci, ad illam accomodati. Vterum enim ad generationem requiri tantum vt melius fœtus formetur: raroque reperiri perfectum locum generationis animalium ob repentinas elementorum mutationes. Vt itaque generatio frequenter fiat, natura prouidit mulieris uterum, pro loco congruo ad generationem. Quia tamen fieri poteſt, vt locus generationis animalis cuiuſcunque temperetur in elementis & extra uterum, ideo inquit tunc ſtellas in eo animal illud generare, ad quod erat accomodatus. Huius opinionis multa circunferuntur argumenta, ego potiora referam.

Ariſt. 2. metaph. cap. 2.

Primum ergo hoc eſt. Quicquid poteſt virtus inferior poteſt & ſuperior, & nobiliori modo. Patet nam tota virtus inferior eminenter continetur in ſuperiori, ab eaque eſſentialiter pendet in agẽdo. At inferior uirtus animal producit, ut homo hominem; multo ergo magis id efficere poterit ſuperior abſque inferiori. PROVID. Hoc vnum ex illis eſt, quæ adhuc inſoluta videntur. Perge. INGEN. Altera ratio. Quicquid poteſt perfectè materiam diſponere, poteſt & introducere formam, per diſpoſitionem enim materiæ forma introducitur. At omnis diſpoſitio materiæ poſita eſt in certa quadam temperie primarum qualitatum, & ſecundarum illas conſequentium. Omnis autem qualitatum commixtio cælo ſubiecta eſt. Poterit ergo & à cælo ſolo materia perfectè diſponi, et ſine ſemine, formaq; introduci. PROVID. Neque hoc facile ſoluitur.

INGENIOSVS. Tertio. Quæ ſunt propinquiora primo princi-

pio,

pio, videntur immediatius poſſe ab eo produci. Sed animalia perfectiora
ſunt etiam primo principio propinquiora. Poterunt ergo ab illo imme-
diatius produci. At illud dicitur immediatius produci ab aliquo, quod
medio pauciorum cauſſarum propinquiorum producitur.In genitis autem
vniuoce,vltima cauſſa omnium eſt vniuoca; & proxima. Poterit ergo Pri-
mum Principium abſque illa producere animal omne,& eo magis,quo il-
lud animal perfectius extiterit,& vicinius Deo. PROVID. Equidem In-
genioſe difficiliora affers argumenta. INGEN. Aliud minimè ſuccurrit.
PROVID. Hęc ſatis ſunt in præſentia. TVTVS. Mihi quoque validiſſi-
ma videntur. Tamen dictum eſt parum antea hanc quoque falſam eſſe opi
nionem. PROVID. Falſiſſima eſt, ab omnibuſque reijcitur, licet id rectè
à paucis fiat; ANON. Nonne rectè illam reijcit Antonius Andreas? PRO-
VID. Quid ait? ANON. Inquit abſurdum eſſe aſſerere animalia perfecta *7. Metap.*
gigni ex putri materia. PROVID. Rides,& merito rides. Petit enim prin- *queſt.8.*
cipium. ANON. Quid dicemus de Antonio Trombetta, qui ita hanc ſen-
tentiam reijcit dicens animalia perfecta non generari ex putri, quia ob ſui
perfectionem requirunt cauſſam vniuocam. PROVID. Hic quoque princi
pium petit.Nonne hoc ipſum eſt,quod negat Auicennas?ANON.Prorſus. *7. Metap.*
Ego puto Iauellum ſatis rectè hanc Auicennæ ſententiam reijcere, hoc ar- *q.5.*
gumento. Quoniam ſi homo generaretur ex putri rarò admodum genera-
retur,& caſu fieret, ideo monſtruoſus eſſet, contrariuſque eſſet homini ge-
nito. Præterea idem probat,quoniam vnaquæque materia ſuam habet for-
mam determinatam. non poſſunt ergo duæ materiæ diſtinctæ hominem
conſtituere,nempe ſemen, & putris. PROVID. Iocaris ne,an ſerio loque-
ris?ANON.Haud ſanè iocor,immo ex animo loquor,& dico quod ſentio.
PROVID.Ego itaque ſerio quoque reſpondens,dico Iauellum incidiſſe in
Scyllam,dum cuperet euitare charybdim. in craſſiſſimumque errorē præ-
cipitaſſe imprudenter. Quid aliud enim ſunt hæc ſua argumenta,quam ſe-
cundum,& tertium,quæ nos attulimus pro opinione Auerrois. Argumen-
ta nullius roboris, nulliuſque momenti. ANON. Fortè hoc ignorabat Ia-
uellus. PROVID. Eſto ignorauerit. Illud ſaltem ignorare non debebat,
hæc ipſa argumenta(ſi modo aliquid cōcludunt)de omni animalium ſpe-
cie concludere,aut procedere,immo & de plantis omnibus.Et tamen Iauel
lus eadem ipſa quæſtione ſuſtinet omnia illa animalia, quæ vtroque mo-
do generantur eſſe eiuſdem ſpeciei. Quare duorum alterum. Aut falſa eſt
hæc Iauelli ſententia; aut duo illa argumenta nullius ſunt efficaciæ, ad
probandum hominem non gigni ex putri.Immo Iauellus in quæſtione no-
na ſuſtinet acriter cum Diuo Thoma,animalia ex putri genita, licet eadem
& ex ſemine producantur, tamen dici non poſſe facta caſu, neque mon-
ſtruoſa.Et tamen ipſa quoque eadem ratione raro fiunt reſpectu genitorum
per propagationem,dicunturque diuerſam habere materiam.Quare Iauel-
lus præterquam quod earum rationum inefficaciam non uidit,in magnam *Lib.7. in-*
etiam incidit contradictionem. ANON. Ingenuè fateor,me nunquam tam *dicis Ariſ.*
craſſum errorem notaſſe in Iauello. INCLVS. Ego quoque referam, quæ *in metap. cap.7.*

Franciſcus Suarez affert ad refellendam Auicennæ ſententiam. Inquit ergo falſam illā eſſe, & repugnante experientia. Videmus enim ſola imperfecta animalia æquiuocè generari, perfectiora vero ſemper vniuocè. PROVID. Melius quidem aliquanto refellit; ſed tamen in eo deficit, quoniam quis ſuſpicari poſſet hæc quoque perfectiora ita gigni alicubi, licet ad nos huiuſmodi notitia minime peruenerit. INCLVS. Quomodo ergo poterimus nos huius opinionis falſitatem oſtendere, ſi tot magni uiri adeo defecerūt? PROVID. Prudentiſſimè omnium videtur mihi Fonſeca de re hac egiſſe, ſtatuens Auicennæ ſententiam, & argumenta poſſibilitate niti, non quod euidenter probent ſic eſſe de facto. Poſſibilitatem autem ſæpe facile non eſt (inquit) euertere. Propterea optimè omnium hanc opinionem reijcit inquiens quod ſi fieri poſſet vt hæc perfecta animalia ex putri producerentur, aliquando eſſent producta, hoc autem credibile non eſt tanto tempore latere nos potuiſſe, Et tamen ſemper latuit.

7. Metap. ca. 7. q. 1.

Secundo meliorem affert probationem, dicens; quod fruſtra id fieri videretur, quod ita parum eſſet duraturum, vt reſpectu ſuæ naturalis periodi, ferè nihil uideretur duraſſe; vt ſi homo, qui naturaliter viuit centum ferè annos, ita generaretur, vt neceſſario periret horæ ſpatio. Hoc autem ex neceſſitate eueniret in perfectis animalibus, genitis ex putri. Hæc enim cū primum ſic orta eſſent ſtatim perirent deſtituta genitorum procuratione. INGEN. Succurrit mihi modo, quædam alia ratio in hanc ſententiam. PROVID. Quæ? INGEN. Ea eſt, quam Ariſtoteles innuit in Problematis. Quoniam enim tempus generationis perfectorum animalium, valde ampliatur, & prorogatur, imperfectorum autem breue eſt, ideo perfecta ſponte naturæ prouenire non poſſunt. Cum enim nullus ſit in vniuerſo locus, exceptis animalium corporibus, in quo repentinæ non ſint elemētorum mutationes, & qualitatum, idque ob perpetuum cæli motum, anni temporum mutationem, diei noctiſque uiciſſitudinem, efficitur, ut nullibi ita ſtabilis reperiri poſſit elementorum, qualitatumque temperies, vt illa eatenus duret, quantum ſufficiat pro peragenda perfecti animalis generatione: Quæ ut Ariſtoteles inquit, nonnunquam anno integro, aliquando decem menſium ſpacio, ad minimum ſex menſibus confici aſſolet.

INCLVSVS. Cur excipis ergo animalium corpora?

PROVIDVS. Propterea quod in illis, virtute animæ elementa continentis, non ita faciles euadunt elementorum mutationes. Auicenna ergo, non modo in eo errauit, quod abſque ratione ulla, ſed merè licenter ſtatuit extra fœminæ vterum poſſe locum aliquem in mundo reperiri, qui ſit ad hominis generationē accomodatus, verū etiā quia nō vidit, nō ſufficere ſi talis detur, niſi ēt tādiu eā ipſam temperiē eſſet conſeruaturus, quantū ſufficiat ad perfectū animal procreandū. Hoc autem neq; oſtēdit fieri poſſe, neq; oſtendere poterat. SITIC. Neq; tu oſtēdiſti neceſſe eſſe, ut perfectiora animalia lōgius tēpus neceſſariò requirāt ad ſui generationē, quā imperfecta. PROVID. Patet ea ratione, quod cum generationes fiant compoſitione, incipit. n. natura ab elementis, & aſcendit ad mixta; deinde incipimus

viuere

Digitized by Google

viuere vita Plantæ, deinde vita animalis, tandem uita hominis. Vnde fit, vt quo maiori opus eſt compoſitione, eo longiori etiam tempore indigeat natura ad generandum. Perfectiora autem animalia, maiorem compoſitionem includunt. Nam & plures perfectionis gradus includunt, & mole ſunt maiora, & mirabilem magis organizationem requirunt; quæ omnia & maiorem numerum cauſſarum poſtulant, & longius temporis ſpacium vt perficiantur. Confirmatur, quoniam & ſi ſemen aptiſſima ſit materia pro generatione perfectorum animalium, vterus autem ſit ad illam accomodatiſſimus locus, multum tamen ipſa generatio retardatur. Reijcienda ergo hæc ſententia eſt, non modo ob allatas cauſſas, verum etiam quia eſt in hominum genus contumelioſa, abiectiſſimam illi tribuens rationem generationis. Dicendumque non omnia ex putri gigni poſſe animalia, ſed imperfecta tantum. TVTVS. Fieri ne poteſt vt Auicenna in confirmationem tam ſtolidę opinionis adeo valida, vt cenſes Prouide, attulerit argumenta? PROVID. Quam ſint difficilia ſatis oſtendunt ſcriptorum errata in illis diſſoluendis. Vis ne id videamus? TVTVS. Obſecro te. PROVID. Vide. Ad primum Iauellus inquit maiorem propoſitionem veram eſſe, ſi virtus illa inferior, & ſuperior totales ſint, & diſparatæ, potentes ſuper eundem effectum. vt eſſent ignis vt decem, & ignis vt viginti. Hoc enim modo veriſſimum eſt, quod quicquid poteſt ignis paruus, poterit & magnus. At inquit hominem, & cęlum, in generatione perfectorum non eſſe duas totales cauſſas, ſed partiales. At errat imprudenter. Non enim Auicenna loquitur de cęlo in particulari, ſed de cauſſa ſuperiori, & prima. Et deinde oſtendit hanc cauſſam tantum ſupra hominem poſſe, in generatione, quãtum ignis vt viginti, ſupra ignem vt decem, & adhuc magis. Inquit enim ſuperiorẽ cauſſam in ſe continere eminenter totam inferioris virtutem. INCLVS. Lapſus ergo & Fonſeca eſt eadem ratione. Hic enim concedens totam virtutem inferiorum agentium contineri in primo, negat tamen vim generatricem perfectorum animalium in cęlo contineri, cum cęlum non ſit animal, nec animali perfectius. PROVID. Proculdubio ipſe quoque turpiter labitur, ſi ita credit euadere argumentum Auicennæ. Huic enim ſufficit ſi aliqua ſuperiorum cauſſarum ad generationem animalium perfectorum, concurrentium, totam in ſe contineat virtutem cauſſarum ſecundarum. Si ergo Primum agens tale eſt, vt ait Fonſeca, ſufficiet hoc ad generationem quamlibet. ANON. Neminem ergo hactenus inueniſti, qui tibi ſatisfaciat in huius argumenti ſolutione. PROVID. Antonius Trombetta, optimè illud ſoluit. *7. Metap. quæſt. 5.* Cuius doctrinam vt vnuſquiſque intelligat, illud prius ſupponendum, nos hic de illa generatione loqui, quæ naturaliter fit. Nam ſi de ſupranaturali loqueremur, nemini dubium, illam ſine cauſſa vniuoca fieri poſſe à Deo. Quærimus ergo an animalia perfecta poſſint ab aliqua cauſſa naturaliter agente fieri, ex putri. Hoc ſuppoſito dico ad argumentum Auicennæ, falſam eſſe maiorem. Nam & ſi verum ſit totam vim inferioris contineri in ſuperiori, tamen cauſſa prima excedit ſecundam in entitate, & cauſſalitate. Ideo non ſola perfectio inferioris ita limitata continetur in prima cauſſa, ſed nobiliori modo, & infinities eminentiori. Et Propterea cum

effectus

effectus iſti inferiores ſint limitati, cauſſa autem prima ſit infinita, & illimitata, non poteſt naturaliter hos inferiores effectus producere, ſine concurſu cauſſarum inferiorum. A ſola enim cauſſa prima naturaliter agente, neceſſe eſſet produci effectum perfectum ſimpliciter, cuiuſmodi non eſt vllum animal, quantumuis perfectum. Ideo ſui generationem requirit cauſſam vniuocam determinantem, atque limitantem agens primum ad limitatum illud effectum producendum. SITIC. Et tamen dictum eſt antea hanc vniuerſalem cauſſam ſine vniuoca producere quædam imperfecta animalia. Quid ergo illam determinat tunc temporis? quid illam limitat? PROVID. Limitant materiæ diſpoſitiones præexiſtentes in putri materia, ac diſponentes illam ad illas formas animalium recipiendas. SITIC. Quid eſt in cauſſa, cur in putri materia non æque reperiantur diſpoſitiones ad hominis, leoniſque formam, atque muris? PROVID. Dicta eſt antea hæc cauſſa. Imperfecta enim animalia paucas requirunt, celeremque generationem habent. Ideo diſpoſitiones illæ, neceſſariæ ad eorum formas poſſunt caſu in ſubiecto conſurgere; Cumq; per aliquod breue tempus poſſint perdurare, ideo animalia illa, quæ cito generantur, poſſunt ex illo putri ſubiecto produci. At quæ ſunt perfecta non poſſunt, ob varietatem diſpoſitionũ, & agentium, quæ requiruntur circa materiam, ſi eorum generatio fieri debet; Et præterea, quia neceſſe eſſet diutiſſimè illam agentium commixtionẽ in illa temperie perdurare, quod fieri non poteſt ob ante allatam cauſſam. SITIC. Aſſentior. PROVID. Ad ſecundum ergo reſpondet Fonſeca non omnem materiæ diſpoſitionem eſſe cęlo proxime ſubiectã? Multas enim eſſe, quas Cęlum facere non poteſt, niſi interuentu inferiorum agentium, cuiuſmodi eſt diſpoſitio materiæ ad formas perfectorum animalium. Quæ quidem reſponſio improbanda non eſt. Immo ſcio nos aliquid tale in ſuperioribus protuliſſe, dum oſtenderemus Cęlum Empyreum naturaliter non cognoſci. Tamen rectius diſſoluetur argumentum dicendo, Cęlum ipſum & ſi aliquando fortaſſe poſſit ita elementa miſcere, vt quandam recipiant ex diſpoſitionibus animalis perfecti, non poſſe tamen omnes introducere; neque tamdiu temperiem illam in putri ſubiecto conſeruare ſine cauſſa vniuoca, donec abſoluta ſit animalis generatio, vt oſtenſum eſt antea. ANON. Mihi quoque magis placet hæc reſponſio. PROVID. Nunc ad

7. Metap. tertium venio, cuius diſſolutio a paucis rectè intelligitur. Dicendum tamẽ
quæſt. 5. cum Trombetta, effectus materiales, & immateriales, modo oppoſito ſe habere cum cauſſantur à ſuis cauſſis. Immateriales enim, cum eſſe poſſint ſimpliciter perfecti, ideo quanto ſunt propinquiores primo Principio, tanto paucioribus indigent cauſſis. At materiales, quia ſuam perfectionem habent in materia, quanto ſunt perfectiores, tanto pluribus indigent medijs vt generentur, & producantur. ANON. Mihi valde arridet hæc reſponſio. Effectus enim immateriales, quia eſſentialiter ſunt ſimplices ideo facilius eſt perfectiorẽ produci naturaliter, quã imperfectiorẽ, magiſq; degenerãtẽ à prima cauſſa. At materiales, quia eſſentialiter includunt materiã, quæ eſt imperfectiſſimum quid, & potentia, ideo quanto ſunt perfectiores, tanto maiorem compoſitionem includunt. Non enim aliter augeri perfectio po-

teſt

Digitized by Google

teſt rei materialis, niſi additione entitatum in vnum per ſe coeuntium. Quare ea, quæ ſunt perfectiora, plures etiam entitates includunt. Quoniam autem facilius eſt vnire duas entitates, earumue cauſſas, eaſque componere, quam coniungere quatuor, aut ſex, ideo facilius etiam eſt in natura producere effectus paucarum entitatum, quàm plurium; & ex conſequenti facilius eſt producere imperfectum, perfecto. TVTVS. Iam mihi videor optimè, exactiſſimeque hanc rem intelligere. Vtiliſſimum mihi fuit hoc Colloquium. ANON. Quoniam video nos omnes acquieſcere dictis, & ſilentium agere, antequam hinc diſcedamus, volui rogare vos omnes, vt ad futurum colloquium conueniatis. Quod quidem quia vltimum erit huius mei Principatus, ne quicquam à nobis ommittatur huic hodiernæ tractationi vtile, aut neceſſarium, ſtatui fore tale, vt in eo diſſeramus de cauſſa Prima, & immediata, quæ illis animalibus formam tribuit, quæ ex putri materia generantur. Adero ego; vt vos adſitis quoque etiam, atque etiam rogo.

QVÆSTIO III.

Quænam ſit cauſſa Princeps, & Immediata Animalibus illis formam tribuens, quæ ex putri materia producuntur.

COLLOQVIVM XL.

INGENIOSVS.

QVONIAM Hodie de cauſſa illa ſumus diſputaturi, quæ immediatè, & per ſe formam ſpecificam tribuit animalibus illis, quæ generantur ex putri, vt ego vobis faciliorem, magiſque diſtinctam, ac breuem diſputationem parem, mihi libuit prius quid ego ſentiam in medium proponere. Vos eſto te iudices, an rectè, an ſecus ſentiam. Dico itaque ab hac diſputatione reijciendum eſſe calorem illum putredinalem, ac diſpoſitiones illas, quæ in materia fundantur. Cum enim hæc omnia ſint accidentia, euidentiſſimum eſt illa non poſſe ſubſtantialem formam multo minus animam tribuere materiæ, tanto nobiliorem cæteris formis, ac perfectiorem. Eadem ratione & formæ ſubſtantiales putreſcentium corporum reijciendæ ſunt; Adueniente enim forma geniti, deſinunt eſſe. ANON. Ego pro omnibus reſpondeo te optimè loqui. Quam putas tu Siticuloſe eſſe huiuſmodi cauſſam? SITIC. Dicerem ego cęlum eſſe, quod formam huiuſmodi animalibus immediatè tribuit. Nullum enim aliud agens reperitur inter cęlum, & huiuſmodi

modi animalia cum generantur, cui tanquam proximo, principaliquẽ
agenti tribuenda ſit huiuſmodi generatio. Præterea videtur eadem ſenten-
ria comprobari, quoniam perfectorum quoque animalium generatio cęlo
2.Phy.26 tribuitur, ut agenti principi. Nam & Ariſtoteles inquit. Sol & homo gene
rant hominem. Tertio cuius eſt diſponere materiam, eiuſdem eſt formam
tribuere. Cęlum abſque alio viuente materiam diſponit pro generatione
imperfectorum animalium. Animam ergo & illis tribuet. PROVID. Tu
cum cęlum dicas eſſe cauſſam hanc, quam quærimus, quam partem huius
opinionis amplecteris? SITIC. Haud intelligo. PROVID. Arbitror te non
ignorare illos, qui cęlo hanc vim tribuunt, in quatuor ſectas diuiſos eſſe.
Alij enim putant cęlum quatenus corpus quoddam eſt diſtinctum à mo-
uente intelligentia hanc cauſſam eſſe; Alij vero per cęlum intelligunt ſolā
intelligentiam mouentem, prout diſtinguitur à corpore moto; vt Auicen-
nas. Tertio ſunt alij qui hanc cauſſam eſſe dicunt corpus ipſum cęli vna cū
intelligētia ſumptum. Sunt & ex iis, qui ſtatuunt cęlum prout ſumitur vna
cum Deo ipſo, agente primo, eſſe cauſſam hanc principalem, imprimētem
animam in materiam ipſam, in illis ęquiuocis generationibus. Cum itaque
quatuor ſint diſtinctæ ſententiæ, quæ tamen omnes ipſi cęlo hanc vim tri-
buunt, propterea rogaui te, vt diceres mihi, cui potius harum quatuor ad-
hæreres. SITIC. Ego de prima opinione intelligebam. PROVID. Sic pleri-
que intelligunt. Decipiūtur tamen, ſi modo putant corpus cęli illam cauſ-
ſam eſſe, quæ immediatè, & proximè animam imprimit in materiam illā,
ex cuius putredine animal aliquod gignitur. Huiuſmodi quippe nos cauſ-
ſam quærimus. Decipiuntur inquam; Nam & ſi Cęlum materiam diſpo-
nat, præparetq; ad formam, hanc tamen non imprimit in animalibus æqui-
uoce geniris. Cauſſa enim princeps, aut eiuſdem eſt perfectionis cum effe-
ctu, vt in vniuocis, aut maioris, vt in æquiuocis generationibus. At cęlum
pro corpore ſumptum minoris eſt dignitatis, & perfectionis, quam ſit ani-
mal; non enim Cęlum viuit, neque Animam poſſidet, ſed inanimatum cor-
pus eſt. Non ergo per ſe, neque immediate tribuere alteri poterit perfectio-
nem illam, qua ipſum caret. ANON. Non arbitror, ò Prouide, hæc ignora-
re Siticuloſum noſtrum, licet fortaſſe tentandi gratia dixerit ſe ſimilem opi
nionem amplecti. Vtcunque ſit, rectè illam reieciſti: neque de ipſa amplius
haberi ſermonem volo. Tu interea dicas mihi, quam tu ipſe ſententiam ſe-
quaris. PROVIDVS. Ego ſanè neque ſecundam, neque tertiam ſententiam
7.metaph. ſequor. Nam & ſi quibuſdam videātur rationibus comprobari, quas vnuſ-
cap.7.q.2. quiſque apud Fonſecam videre facilè poterit; conſtāt tamen eas validiſſi-
P.p.q.65. mè reiectas fuiſſe à Diuo Thoma, & à Doctore ſubtili. ANON. Ego ſanè
ar.4. minime audire moror, quibuſnam argumentis hæ opiniones videantur
3. Contr. comprobari. Si enim Angelico, Subtilique Doctoribus diſplicent, vix ueræ
gen. c.69. eſſe poſſunt. Attamen te etiam, atque etiam rogo, ne illa graueris argumen
103. ta referre, quibus eximij illi Doctores huiuſmodi erroneas opiniones reie-
Ar.7.me- cerint. PROVID. Libentiſſi mè faciam. Quod igitur intelligentia ſola tan-
tap.10.26. tam vim non habeat, vt dicebat Auicennas, optime probat D. Thomas ea
27.32. ratione, quoniam effectus, qui per ſe producitur in illis generationibus, eſt
totum

totum compoſitum, vt inquit Ariſtoteles. Neceſſe ergo eſt, vt cauſſa illa, quæ attingit vltimum illius generationis, vel ſit ſimilis illi compoſito in eſſentia; aut ſit illa perfectior, ita tamen, vt, in virtute ſua, totum ipſum compoſitum contineat. At intelligentia neque ſimilis eſt compoſito, quia materiam non habet; neque materiam ipſam in ſua virtute continet: Solus enim Deus, continet illam eminentiſſimè, ſicuti etiam ſolus creare poteſt. Eandẽ ſententiam Scotus probat, quia intelligentia nihil efficere poteſt, niſi mediante motu cęli. Si ergo Cęlum, quatenus eſt quoddam mobile corpus nõ poteſt eſſe cauſſa prima animalium illorum, vt oſtenſum eſt aduerſus Siticuloſum, eadem ratione neque intelligentia ſola poterit talis cauſſa nuncupari. Hac eadem ratione etiam colligitur abſurditas tertiæ opinionis, quæ ſtatuit Cęlum cum intelligentia ſumptum eſſe primum agens. Nam cum intelligentia nihil agat, niſi mediante motu Cęli, nihil etiam poterit immediatè producere, niſi ipſum motum. Cumque cęli motus nequeat vltimum attingere illarum generationum, vt patuit, ſequitur neque ambo ſimul iuncta idem efficere poſſe. Præterea probatur eadem ſententia, quoniã intelligentia non eſt forma Cęli, neque vnum per ſe efficit cum illo, neque tribuit illi viuentis actiones. Compoſitum ergo ex Cęlo, & intelligentia nõ poterit eſſe cauſſa prima neque immediata, attingens vltimum generationis animalis, quod eſt vnum per ſe, cuius anima verè materiam informat, efficitque animal vnum, habens in ſe toto vitales operationes. ANON. Euidens proculdubio eſt harum opinionum abſurditas. At vero tu Prouide, nondum tuam ſententiam pateſeciſti; tantummodo in alias inuectus es. Quid dicendum putas in hoc negotio? PROVID. Ego veram eſſe Fonſecæ opinionem aſſero; qui harum omnium opinionum videns abſurditatem, quartam ſententiam amplexus eſt, dicens Cęlum vna cum Deo ſumptum eſſe agens principale, cui primò, & immediatè tribuenda ſit horum animalium generatio. INGEN. Quænam eſt adeo valida ratio, quæ te ad hanc mouerit opinionem ſuſtinendam, amplectendamque. PROVID. Ea eſt, quam ipſe effert Fonſeca, quoniam, ſcilicet, Cęlum in virtute ſolius Dei materiam diſponit ad formas eorum animalium recipiendas: Cęlumque eſt inſtrumentaria cauſſa illius generationis. Non enim vnquam animal vllum ex putri generaretur, niſi Cęlum ad materiam concurreret diſponẽdam. INGEN. Affers ne aliud? PROVID. Nil aliud. INGEN. Tu ergo falleris, fallitur & Fonſeca ipſe. Non enim hæc aſſertio, cauſſam illam explicat, quam nos, vna cum ipſo Fonſeca quærimus. Quærimus enim cauſſam illam, quæ immediatè tribuit animam materiæ diſpoſitæ, quæque attingit vltimum illius generationis, & eſſentiam geniti ex putri animalis. At Fonſeca non hanc affert, ſed complexum quoddam, cuius pars vna, nẽpe Cęlum, non attingit formam geniti animalis, neque concurrit vt cauſſa princeps, neque vt partialis, ſed vt inſtrumentalis, quemadmodum ipſe quoque Fonſeca confitetur. Et tamen ipſe quoque primam quærit, & principalem. PROVID. Immeritò Fonſecam carpis Ingenioſe. Attulit enim ille cauſſam totalem illius generationis ex putri; quatenus ſcilicet comprehendit non modo cauſſam immediatè formam tribuentem animalibus illis,

In 2. diſt. 18. quaſt. vnica.

7. Metap. c. 7 quaſt. 2. ſect. 3.

lis, verum etiam cauſſam diſponentem materiam: Hæc enim eſt Cęlum ipſum. INGEN. Non rectè excuſas Prouide. Non enim infra Deum concurrit ſolum cęlum ad materiam diſponendam, ſed concurrunt etiam agentia ſecunda, ſine quibus neque Cęlum quicquam efficeret. Erant ergo illa quoque comprehendenda in eiuſmodi cauſſa totali, quod tamen non fecit Fonſeca. PROVID. Forte voluit comprehendere, afferreque tantummodo primam cauſſam, tribuentem formam, nempe Deum, & primam inſtrumentalem, nempe Cęlum. INGEN. Nec minus erraſſet hac ratione. Non enim Cęlum prima eſt cauſſa inſtrumentalis generationum, ſed intelligentia mouens illud. Pendet enim cęlum in ſuo motu ab intelligentia, & hæc à Deo ipſo. PROVID. Iam reſiſtere nequeo tanti roboris argumentis, reijciendamque cenſeo Fonſecæ quoque opinionem. ANON. Ego quoque ita cenſeo. Sed quid tandem dicemus ad hanc quæſtionem? INGEN. Equidem nil aliud dici poteſt, ò Amici, niſi id quod Scotus docet in 2. Sent. diſt. 18. Quo loco euidentiſſimè oſtendit cauſſam harum generationum principalem, & immediatam, & cui proximè tribuenda eſt animæ impreſſio in animalibus his, nullam aliam eſſe, niſi Deum ipſum. Hæc enim ſententia optimè probatur à ſufficienti partium enumeratione. Ipſe enim ſolus eſt, qui materię iam diſpoſitæ tribuere animam poteſt, continetque eminenter in ſe compoſitum totum. ANON. Mihi ſummopere placet hæc ſententia. PROVID. Ego quoque cum videam Fonſecæ opinionem non poſſe defendi, hanc amplectar. Sed quid dicemus ad illa argumenta, quæ antea allata ſunt à Siticuloſo, quibus oſtendere conabatur Cęlum cauſſam hanc eſſe? INGEN. Ad primum rectè reſpondet Fonſeca dicens & ſi inter Cęlum, & ipſa animalia nullum aliud agens medium reperiatur: reperiri tamē ſupra cęlum, nempe cauſſam primam. Non tamen dicendum cum hoc Auctore Deum impreſſiſſe Cęlo vim generandi talia animalia ex putri. Perinde ac Cęlum ipſum attingat quidem illarum generationum vltimum, vimque in ſe poſſideat, licet à Deo receptam, qua poſſit materiæ animam immediatè tribuere. Sed ita ſentiendum eſt; Cęlum diſponere tantum materiam, nec vltra procedere. Deum autem, illa diſpoſita, inducere formam per ſe ipſum, & immediatè. Ad ſecundum dico Solem concurrere quidem ad generationem perfectorum animalium; non quidem quod ipſe animalibus tribuat vim generandi, ſed quia ſine Cęlo non poſſet materia diſponi ad recipiendam formam. Dum ergo materia diſponitur, pendet vniuocum agens à Cęlo ipſo, & Sole; at cum forma introducitur non pendet. Quia ergo forma introduci non poteſt in materiam, niſi præuia diſpoſitione, propterea verum eſt Cęlum concurrere ad omnem generationem. Ad tertium reſpondeo propoſitionem illam; eiuſdem eſt introducere formam, cuius eſt materiam diſponere, tripliciter intelligi poſſe, prout etiam dictio, eiuſdem, triplici modo ſumi poteſt. Primus modus eſt, ſi dictio (eiuſdem) præcisè ſumatur: dico autem hoc modo, vt idem quod immediatè materiam diſponit, immediatè etiam introducat formam. Hoc modo falſa eſt propoſitio in omni prorſus generatione ſubſtantiali. Eſt enim vnicuique notum, materiam immediatè diſponi à qualitatibus cauſſæ efficientis, etiam in

vniueca

Digitized by Google

vniuoca generatione; formam vero ab ipſa cauſſę ſubſtantia, & natura educi immediate de potentia materiæ. Qualitates enim eo peruenire nequeūt, neque poſſunt attingere formam. Secundò ſumi poteſt illa dictio, prout idē compoſitum ſignificat, ſeu idem, quod ſit per ſe vnum. In hoc etiam ſenſu falſa eſt, ſi eodem modo propoſitio intelligatur. Nam & ſi idem ignis & calefacit materiam, & inducit formam ignis, non tamen vtrunque præſtat eodem modo. Sed materiam quidem calefacit mediante calore, formam autem inducit immediatè. Tertio ſumi poteſt dictio (eiuſdem) prout idem aliquod ſignificat, ſiue ſit per ſe vnum, ſiue per accidens, quatenus etiam compoſitum dicit ex ſubſtantia & accidente. Cuiuſmodi eſt totum hoc ignis calidus. Hoc ſenſu vera quidem eſt propoſitio in generatione vniuoca tantum, non in æquiuoca. In generationibus enim vniuocis, ſemper verū eſt, quod idem ſuppoſitum, quod ſuis qualitatibus materiam diſponit, ſua etiam forma ſpecifica educit formam: At in æquiuoca non ſemper verum. SITIC. Optima ſanè doctrina. Verum dic mihi Ingenioſe, eſt ne ſenſus vllus illius propoſitionis, in quo illa abſolutè, & nudè ſumpta, veritatem contineat? INGEN. Vnus eſt tantummodo, mea quidem ſententia. Et eſt huiuſmodi, quod eiuſdem agentis, cuius eſt materiam diſponere, eſt etiam inducere formam, ſaltem conſecutiuè. Ita ſcilicet, quod agens quodlibet quatenus etiam diſponens tantummodo, eſt cauſſa neceſſaria, vt forma, vel propria ipſius vi, vel virtute alterius cauſſæ in materia reſultet. In hoc itaque ſenſu tantummodo verum eſt, neceſſario idem agens, quod materiam diſponit formam quoque producere. Vnde & Cęlum ipſum vt diſponens materiam in generatione æquiuoca animalium, animam etiam illis tribuit conſecutiuè; quoniam diſpoſita materia, neceſſario conſequitur, vt cauſſa prima naturaliter agens, quęque ſemper appetit omnes producere formas, producat in illa materia formam quam poteſt. Poteſt autem illam naturaliter, cuius neceſſariæ diſpoſitiones iam præexiſtunt. Ita quidem arbitror dicendum eſſe. Proderit tamen admodum vnicuique cupienti rem hanc exactius intelligere, videre D. Thomam in 3. contra Gen. cap. 69. Scotum in 2. diſt. 18. & Fonſecam 7. Metap. cap. 7. quæſt. 2. ANON. Arbitror ea ſufficere, quæ dicta ſunt hactenus. Nunc, ò Amici, nouus Princeps eligendus. POLYD. Sunt hic omnia parata. Io. Iacobus vellet Tutum Principem, propterea quod pulcherrimum, inquit, pomum heri, accepit ab eo. ANON. Et puer ille quoque cognoſcit altiorem hanc ſedem, cæteris eſſe potiorem. Propterea vellet eum in illa ſedere, à quo beneficia recipit. Eia Io. Iacobe, educ Principem ex pileo. Ingenioſus exijt. Hoc euidens eſt indicium puellum illum nulla in ſuperioribus ſortibus educendis, vſum malitia fuiſſe. Vno verbo: Fortes creantur fortibus, & bonis. Non poterat ex optimo, candidoque Patre, non optimè indolis proles proficiſci.

ODISSEÆ
Vndecimo, verſu XIV.

Hic vero Cimmeriorum virorum populus erat, ciuitaſque
Qui caligine, & nubibus tecti ſunt, nec vnquam eos
Sol lucidus aſpicit radijs. - - - - - - - -
Sed ſemper nox pernicioſa ſuperuolat miſeris mortalibus.

Quomodo intelligendus Homerus ſit, cum inquit Solem arcticum Polum incolentibus nunquam affulgere. Vnde & à Calumnijs Philathæi ipſe defenditur.

COLLOQVIVM XLI.

INCLVSVS.

CIMMERII Populi interiora Aſiæ olim tenuerunt. Poſtea à regibus Phrygiæ. Lydiæque, item à Scythis Nomadibus Aſia exacti, ad frigida, Solique imperuia loca ſe receperunt. Hinc prouerbialiter Cimmerij lacus, Cimmerię tenebræ dicuntur. Feſtus etiam de ijſdem populis ita ſcribit. Cimmerij dicuntur homines, qui frigoribus habitatas terras incolunt. Ita vero horum
Lib.4. regionem tenebris obrui, vt hic ſcribit noſter Poeta, Lactantius etiam confirmat, exclamans. O mentem Cimmerijs vmbris atriorem. Vnum certè illud conſtat hos populos occidua valde, Solique imperuia loca habitare, ſiue eorum regio in ipſa ſit Zona gelida, & intra peripheriam Arctici circuli, contineatur, ſiue extra illam ſit dummodo ſit illi vicina. Vt hinc mirandum non ſit, ſi Homerus ſcribit in huiuſmodi regione miſerè mortales viuere, Solemque incolis non affulgere. SITIC. Et tamen carpitur, immo & irridetur à nõnullis Homerus noſter, propterea quod ſtatuerit in huiuſmodi partibus perpetuã volitare noctem pernicioſam mortalibus, ad eaſque nunquam Solis radium penetrare. INCLVS. Quis eſt hic, qui adeo imprudenter eximium virum carpit? SITIC. Lucillus Philathæus, in 2. de Cælo, contex. 18. digreſſ. 4. Homeri enim verba in rigore ſumens ita illum interpretatur, quod negauerit Solem in partibus illis nunquam oriri, ſed perpetuo ſub Horizonte latere, & ex conſequenti regiones illas omnino inhabitabiles eſſe, vt pote illas, quibus omnino deſit cauſſa vitæ, nempe Solis præſentia. Propterea multis rationibus contendens extremas illas mundi partes incoli, Solemque ipſum vbique locorum & oriri, & occidere, licet diuerſis id interuallis fiat, concludit Homerum inſipienter, & leuiter ſtatuiſſe extremas illas terrarum regiones in perpetua nocte manere, pernicioſaſque

Digitized by Google

ſe dicatur. Nam & legimus illum ſtatim cognouiſſe Matris animam, Agamemnonis, Achillis, Aiacis, Elpenoris, aliorumque multorum. Quanquam autem res ipſa, quę narratur minimè contigerit, ſed mera ſit fabula ab Homero conficta, negandum tamen non eſt in illa quamplurima contineri, quæ myſterium habeant, ſintque conſideratione digniſſima.

HOSPES. Proculdubio non negandum. Galenus noſter ex hac ipſa narratione collegit concupiſcibilem animæ partem in iecore conſiſtere, ex eo quod Homerus canat Vlyſſem apud inferos hæc quoque vidiſſe referentem. *3. de Plac. cap. 7.*

Verſu 575.

Et Titium vidi claræ Telluris alumnum
Porrigitur cui tota nouem per iugera corpus
Hinc, atque hinc geminus roſtro vrget vultur adunco.
Immortale iecur tendens: iacet ille ſupinus
Nec depellendi manibus datur vlla poteſtas.
Latonæ nanque auſus erat tentare cubile,
Impius, Aeterno fuerat quæ iuncta Tonanti,
Cum Pytho Panopei peteret per amena vireta.

His verſibus inquit Galenus, Poeta concupiſcibilem animæ partem in iecore collocari euidenter oſtendit, qui conſiderans Tityum concupiuiſſe Latonę ſtuprum afferre, icciřco finxit vultures iecur illius rodere, vt pote in eam partem ſupplicio illato, vnde origo iniurię extiterat.

INGENIOSVS. Quemadmodum itaque Galenus ex hac de Tityo narratione colligit Homerum optimè nouiſſe iecur fontem eſſe concupiſcibilis animę partis, nec ſine valida ratione ſcripſiſſe, iecur illius, non aliud membrum rodi à vulture, vt Doctiſſimè Hoſpes noſter annotauit; Ita nos quoque hoc loco cogimur illa accuratè conſiderare, quæ de ſeparatis animis Homerus canit, uidereque quidnam myſterij illa contineant, & nunquid rationem habeant naturalem. Ego cum externa die diligenter mecum ipſe reuoluerem, atque ſigillatim ea conſiderarem, quæ de ſeparatis illis animis hic affirmat Homerus, vidi ea omnia ad hæc quinq; capita redigi poſſe.

Animas Rationales	A corpore ſeiungi poſſe. Sanguinem ſitire Præterea recordari Forma, & effigie inter ſe diſtingui, Futura prænoſcere.

Hæc ipſa capita ego vobis examinanda propono, vt quid de illis ſentiendum ſit ſigillatim conſiderantes, ita tractatum quendam conficiamus in quo cuncta, aut ſaltem pleraque contineantur, quæ de ſtatu animæ ſeparatæ naturaliter dici poſſunt.

INCLVS. Peregrina ſanè erit hæc materia. Sèd videris mihi unum

Digitized by Google

Ex Principijs Naturalibus Argumenta deducuntur Animæ Rationalis Immortalitatem demonſtrantia. Homerus etiam defenditur ab Ariſtotele, & Platone.

COLLOQVIVM XLIII.

INGENIOSVS.

EXIMIVM Vatem Homerum ſicuti omnia ferè ſapientiſſimè ſcripſiſſe omnium veterum, & recentiorum conſtat Auctoritate, ita de Animæ rationalis immortalitate illum optimè ſenſiſſe adeo eſt perſpicuum, ut nemo qui vel tantillum in illius lectione ſit verſatus de re hac poſſit ambigere. De qua animæ immortalitate, etſi multi egerint oſtendentes eam rationibus naturalibus immortalem eſſe, inter quos Io.Baptiſta Perſona Hoſpes noſter adeo validis id præſtitit argumentis, vt iure potuerim in præſentia ab hoc labore deſiſtere, nihilominus tamen & quia Homeri locus præſens id poſtulat, & quia nonnulla ſuccurrunt argumenta ab alijs omiſſa, vel non exactè intellecta, ego ſtatui hoc loco breuibus de hac ipſa re agere, oſtendereque hanc ipſam animam minimè eſſe corruptioni obnoxiam ex ſui natura. TVTVS. Quorſum, obſecro, addis illa verba, ex ſui natura?

INGEN. Quoniam cuncta præter Deum, diſſolui poſſunt ipſo iubente. Quod & Plato ipſe nouit; qui cum expreſsè animæ immortalitatem tutatus fuerit, vt patet in Phædone, confeſſuſque fuerit Angelos, & quos ipſe vocabat Deos minores, indiſſolubiles eſſe, immortaleſque ſubſtantias, nihilominus tamen in Timęo videre eſt Deum ipſum ſupremum, cæteros alloquentem his verbis. Dij Deorum quorum opifex ego, & Pater ſum, hæc attendite. Quæ à me facta ſunt me ita volente indiſſolubilia ſunt. Omne ſiquidem, quod vnitum eſt diſſolui poteſt. Sed mali eſt, quod pulchrè compoſitum eſt velle diſſoluere. Quapropter quia generati eſtis immortales quidem, & indiſſolubiles omnino non eſtis, nec tamen vnquam diſſoluemini, nec mortis fatum ſubibitis. Nam voluntas mea maius præſtantiuſque vobis eſt vinculum ad vitę cuſtodiam, quam nexus illi, quibus eſtis tunc cum gignebamini colligati. Hæc Plato. Quæ ea de cauſſa attuliſſe volui vt conſtaret Ethnicos quoque Philoſophos illud cognouiſſe, non rationalem animam modo, verum & reliqua cuncta arbitrio Dei eſſe mortalia. Quod autem animam, aliaque multa ipſi immortalia eſſe ſtatuerint, id formaliter, & ab intrinſeco intellexerunt, ſicuti nos quoque hoc loco intelligimus cum pollicemur oſtenſuros animæ rationalis immortalitatem. Hoc autem primum dico euidenter ea ratione comprobari, quoniam homo uitæ immortalitatem formaliter appetit. Eſt enim adeo euidens talis appetitus perpetuo uiuendi, vt nulla indigeat probatione. At niſi velimus tale appetitum fruſtra nobis

 tribui,

Homo enim appetit immortalitatem ſub ratione immortalitatis, ideo formaliter,& per ſe dicitur illam appetere,& proprie, & ideo arguitur illius immortalitas. At animalia cum occurrunt,reſiſtuntque cōtrarijs, illud tantummodo ſtudent,& optant,vt temporaneam illam, præſentemque offenſam pellant, nihil ſollicita de futuro. Vnde licet toties ſe tueantur à contrarijs, quoties occurrunt, & lædunt,non tamen dici poſſunt immortalitatem appetere formaliter, & per ſe,ſed tantum per accidens, materialiter, & impropriè. Quia vero appetitio formã,& naturam recipit ab obiecto formali, ideo huiuſmodi appetitio brutorum nullam in illis immortalitatem arguit. PROVID. Quæ dicta ſunt de differentia harum appetitionum hominis, atque brutorum, videntur optime explicari poſſe exemplo duorum hominum, quorum vnus mille aureos deſideret non contentus ſi quis illi det nouemcentum & nonaginta nouem;alter autem vnum tantum aſſem appetat, quo accepto panem illo emat,comedat, & rurſus aliũ aſſem deſideret,atque ita in infinitum procedat. Vterque enim dicetur mille aureos deſideraſſe. Ille tamen formaliter, & proprie, hic materialiter,& impropriè;ille per ſe;hic per accidens. ANON. Mihi ſummopere placet hoc exemplum. INGEN. Accomodatiſſimum certè. Dico ergo vno verbo hominem per ſe,& formaliter immortalitatem appetere,ideo habere animam immortalem;at hoc de alijs animantibus dici haud poteſt.

Secunda ratio innititur Auctoritati Ariſtotelis,dicentis in primo de Anima,animam ſeparabilem fore,& immortalem ſi aliquã propriam ſibi operationem edere poſſit ſine corpore. At ego oſtendo huiuſmodi habere operationem. TVTVS. Antequam vlterius progrediaris,libenter audirem quænam ſint fundamenta huius Ariſtotelicæ ſententiæ. INGEN. Fundamentum hoc vnum eſt;quoniam res omnes ex earum operationibus cognoſcuntur; & hæ operationes cum ſint veluti imagines quædam naturæ operantis,illam proximè indicant;qualis enim eſt operatio rei,talem quodam modo & rem eſſe neceſſe eſt. Quare ſi anima poteſt aliquid ſine corpore operari, poterit & ſine corpore ſubſiſtere. Operatio enim exiſtentiam rei operantis præreqùirit, neque quicquam poteſt vllam edere operationem, niſi prius conformiter exiſtat illi operationi. TVTVS. Nunc tuam rationẽ afferas. INGEN. Multas quidem habere cernitur anima rationalis operationes ſibi proprias, hãc tantum ego hic commemorabo, quod intellectus noſter ſupra ſe ipſum ſe reflectens cognoſcit non modo ſe ipſum, verum etiam propriam operationem quamcunque. Hæc quippe operatio omnino immaterialis eſſe videtur, & conſequenter animæ arguit immortalitatem. Quod autem immaterialis ipſa ſit patet, quoniam nullum corpus ſupra ſe ipſum totum reflecti, aut conuerti poteſt, neque ſibi ipſi ſuperponi, neque vlla ipſius pars ſupra ſe ipſam. Nulla etiam corporea potentia poteſt ſe ipſam cognoſcere,aut propriam operationem. Videndi enim potentia non videt oculum,neq; propriam viſionem, ſicuti neque imaginatio ſe ipſam, aut actum proprium cognoſcere poteſt,quod & de alijs quoque corporeis facultatibus, & potentijs dicendum venit;vt inductione patebit. Si ergo intellectus poteſt & ſe ipſum intelligere,& ſui ipſius obiectum fieri,inſuper

Tex 13.

Tolet.3.de anima. c. 5.q.16.

per

per & omnes ſuas intellectiones cognoſcere, neceſſe eſt illum longe abeſſe ab omni corporea conditione, eſſeque immaterialem penitus. ANON. Non videtur hæc præeminentia reflectendi ſe ſupra ſe ipſum per propriã operationem eſſe adeo propria immaterialium rerum, vt nullo modo conueniat materialibus; immo ſunt & materialia quædam, quæ ſupra ſe propriã exercent operationem. Vt aqua ſi fuerit calefacta, ſibique dimittatur abſq; vllo auxilio refrigerabit ſe ipſam. Si ergo hæc ſe ipſam refrigerat, cur & oculus quoque non videbit ſe ipſum? Saltem hoc ipſum ſequitur intellectum non ideo eſſe immaterialem, quia ſe ipſum intelligat, ſupraque ſe ipſum propriam conuertat operationem, cum id & alijs materialibus rebus competat. INGEN. Peccat hæc obiectio in pluribus, quamuis ſatis acuta videatur. Primum quidem non oſtendit rem vllam materialem conuertere operationem ſuam ſupra propriam aliam operationem. Non enim aqua calefacta dum ad propriam frigiditatem redit refrigerat ſuam refrigerationem, ſed tantummodo refrigerat ſe ipſam. Et tamen intellectus ſua intellectione aliam ſui intellectionem intelligit; immo & cognoſcit ſe intelligentem, cum tamen aqua non refrigeret ſe refrigerantem. Peccat deinde, quia cum dicimus potentiam videndi non videre ſe ipſam, neque oculum, ſicuti neque imaginatio cognoſcit ſe ipſam de ipſis potentijs loquimur, quæ ſunt actus primi, & cauſſæ immediatæ operationum. Exemplum tamen allatum minimè aduerſatur huic ſententiæ. Et ſi enim aqua calefacta per ſe ipſam redeat ad frigiditatem non hinc tamen ſequitur, quod potentia ipſa refrigerandi, nempe frigiditas aquæ (hæc enim ipſa eſt cauſſa immediata, & actus primus, ex quo propriè dicta refrigeratio profluit) ſe ipſam refrigeret, ſed illa eſt quædam non vera refrigeratio, ſed emanatio frigiditatis, & actus primi, qui naturaliter ad ipſam aquam conſequitur, & neceſſario. Et tamen intellectus, nempe ipſa intelligendi potentia, & actus primus intelligit ſe ipſum, & propria actione agit in ſe ipſum, quod nulli materiali potentiæ competere poteſt, neque exemplum allatum contrarium aſtruit. ANON. Hoc non ſatis ego intelligo. INGEN. Audias tertium tuæ oppoſitionis peccatum, & omnia intelliges. Cum dicimus rem nullam materialem reflectere ſupra ſe propriam operationem, per operationem intelligimus actum ſecundum, & vltimum ipſius rei, qui primum ſupponit, nempe potentiam ipſam immediate agentem, actumque ſecundum producentem. Sic dicimus oculum ſua viſione, qui eſt actus ſecundus illius, non videre ſe ipſum; non tamen dicimus illum ſi potentiam amiſerit videndi non poſſe illam acquirere. Sed ſuppoſito oculum videndi potentiam habere, dicimus per illius potentiæ operationem ſe ipſum videre non poſſe, neque actum ſecundum illius ſupra ſe poſſe reflectere, neque ſupra potentiam ipſam. Hoc autem dicimus commune eſſe rebus omnibus materialibus. Neque contra euenit, cum aqua ad priſtinam frigiditatem redit vt in exemplo dicebatur. Non enim tunc ipſa actum ſuum ſecundum, & vltimum ſupra ſe ipſam conuertit, ſed tantum primum redimit, quem prius amiſerat, nempe frigiditatem. At actus ſecundus illius & vltimus eſt refrigeratio, quæ à frigiditate profluens, illamque ſupponens frigiditatem

aliam

aliam producit. Quem actum conſtat aquam minimè ſupra ſe reflectere, neque ſupra actum ipſum primum, qui eſt ipſa frigiditas. At intellectus, ſiue intelligendi potentia actus primus cum ſit, habet & ſecundum, qui eſt ipſa intellectio: hanc autem ſupra ſe reflectit, eo quod intellectionem habet ſui. Aquæ vero frigiditas non modo non ſe ipſam, ſed neque aqua ipſa ſe ipſam refrigerat propria refrigeratione, ita vt dici poſſit actu ſuo ſecũdo in ſe ipſam operari. A N O N. Iam omnia intelligo. INGEN. Affero & tertiam rationem pro animæ immortalitate, deſumptam ex eiuſdem animæ operationibus illis, quæ in actibus fidei eluceſcunt. Habet enim mirabilem illã vim anima rationalis, vt poſſit per intellectum illis veritatibus firmiter adhærere, & aſſentiri, quæ non modo lumine naturali per ſe nota nõ ſunt, & nõ modo ex naturalibus principijs nõ deducuntur, verum etiam habent omnem ſenſum, omnemque experientiam repugnantem. Horum non pauca exempla ſunt apud Catholicos. Cuiuſmodi illud eſt de Altaris Sacramento, de myſterio Trinitatis, & alia multa. Quibus omnibus nos ita firmiter aſſentimur, ac ſi ſenſu eſſent comprobata. Hic adeo firmus aſſenſus non poteſt non ab immateriali, incorporeaque facultate procedere. Aſſenſus enim corporeæ potentiæ, à cauſſis corporeis, ac materialibus procedit, medioque illarum rationum, quæ ab huiuſmodi rebus deducuntur. At aſſentiri propoſitionibus, quibus nulla experientia, nullus ſenſus fauet, quaſque nulla ratio ex corporeis, materialibuſque rebus deducta comprobat, id cuiuſdam erit facultatis corpori non alligatæ, minimeque materialis; S I T I C. Dicerem ego hæc omnia referri in Dei omnipotentiam, hanc autem naturali lumine cognoſci, vt oſtenſum eſt ſupra. I N G E N. Hoc nihil obſtat meæ rationi Siticuloſe. Non enim omnibus nota eſt per naturales rationes Dei omnipotentia, ſed doctioribus tantum. Attamen rudes mulierculæ, nec non & infantes nonnulli nihil minus, quam docti homines ea firmiter credunt, perinde ac ſi ſenſibus ipſis conſtarent. Inſuper & Deum quoque ipſum omnipotentem eſſe conſtantiſſimè fatentur, etiam ſi nulla illis id ratione oſtendatur, ſed ſola auctoritate mouentur; atque hoc credunt, quia ſic credere volunt. Quod ſi quis credere nolit, non poteſt ab vllo hominum cogi vt interius credat, immo neque ab vlla creatura. Nec tantum hi actus fidei videntur mihi ab immateriali facultate procedere, verum etiam actus credendi ſimplici auctoritati hominum, cuiuſmodi ille erat Pythagoreorum, quibus ſatis erat ad ſua dogmata confirmanda ſi id dixiſſet Pythagoras. PROVID. Negari certè non poteſt magnam vim huiuſmodi habere argumenta ad indicandam animæ rationalis immortalitatem. At quod Homerus hæc omnia cognouerit non ita facile conceſſerim Ingenioſe. Immo & Ariſtoteles aſſerit apertè nihil horum intellexiſſe Homerum, immo ſtatuiſſe omnem intellectum, omnemque illius operationem eſſe corpoream. Quodquidem ſi verum eſſet, aliæ inueſtigandæ rationes eſſent, quæ fidem facerent Homerum animæ ſeparationem intellexiſſe, omiſſis his, quæ ex operatione incorporea procedunt. I N G E N. Quid Ariſtoteles mouit, vt diceret Homerum hæc ignoraſſe? Aut vbi nam id aſſerit; non enim ſatis bene recordor, licet neſcioquid tale videatur

Tolet. 3. de anima. q. 16.

Ne ſanè mihi mortem commemores, Inclyte Vlyſſes,
Vellem ſane ruſticus eſſe, & mercede ſeruire alteri,
Viro inopi,cui nec victus ſufficiens eſſet
Quam omnibus mortuis vita defunctis imperare.

Ex quibus quidem verſibus euidentiſſimè conſtat Homeri ſententiam hanc fuiſſe, de anima ſeiuncta, vt naturaliter appetat vniri corpori, tanquam illi perfectio ſit naturalis in corpore viuere, ſeparari vero ſit illi imperfectio preternaturam. Hinc enim fieret, vt, poſtquam ſeparata fuerit à corpore,rurſus appetat ad ſtatum ſuum redire naturalem. Quoniam itaque ſanguis ipſe, eſt veluti vinculum quoddam, quo anima corpori alligatur, ideo non poterat melius Poeta noſter naturalem hanc animæ ſeiunctæ inclinationem ad vnionem corporis ſignificare,& exprimere,quam per ſitim ſanguinis,qua cunctas animas mortuorum ſtatuit affici. INCLVS. Quia videris mihi tu quoque hanc ipſam ſententiam recipere, quam tribuis Homero, nulla illius addita confirmatione, volo vt ſcias hanc doctrinam omnino repugnare Doctrinæ Platonis. Qui apertiſſimè aſſeruit corpus quammaximè odio haberi ab anima, tanquam illud,quod illius operationibus obſit ſummoperè. Qui affirmare non eſt veritus ſapientes homines, & Philoſophos nil magis appetere,quam mortem ipſam,vtpote quæ facilem illis veritatis contemplationem reddat.Qui tandem hęc habet.Neceſſaria iam ratione concluditur nos quadam rationis ipſius via ad id conſiderandũ perduci,videlicet donec corpus habemus,animuſque noſter tanto malo erit admixtus, nunquam nos id quod deſideramus verum ad votum conſecuturos. Hæc Plato. *In Phędone.*

PROVID. Attamen ſi rectè conſideremus, ò Incluſe,videbimus neceſſario cum Homero ſentiendum eſſe, animam rationis compotem naturaliter appetere vnionem corporis,ſegregationem autem abhorrere,quemadmodum & grauia naturaliter quidem centrum appetunt, fugiunt autem ſupera loca. Et quoniam tu confirmationem huius exoptas,id ego tibi ita oſtendo. Anima duos habet eſſendi modos, ſed duas exiſtentias omnino inter ſe diuerſas; nam & forma quædam eſt, ſimul exiſtens cum corpore, & præterea etiam poteſt ſine corpore ſubſiſtere, ſicuti ratione naturali oſtenſum eſt antea. Neceſſe ergo eſt,vt alter exiſtendi modus ſit animę naturalis, alter autem præter naturam. Non enim ambo ſimul conuenire ei poſſunt ſecundum naturam, vnius ſiquidem rei vnus tantum eſt naturalis eſſendi, & exiſtendi modus. Nulla autem potiori uia inuenire poterimus vter eorum animæ competat ſecundum naturam, quam conſiderando quinam ſit ille ſtatus animæ, in quo magis illa perficitur. *Si* enim magis in corpore perficitur, quam extra corpus dicendum erit exiſtentiam in corpore eſſe animæ naturalem, extra corpus vero præternaturam,ſic & è conuerſo. Non enim quicquam perfici poteſt ab eo,quod ſibi aduerſum fuerit, & præternaturale. At ſi rectè conſideremus,videbimus animam magis in corpore perfici, quam extra corpus. Primum quidem *D. Tho.1. 2.q.4.ar.6.*

p.q.85. art.1. ratione illa, quam Doctor Angelicus tetigit. Si enim perfectius eſſe haberet anima ſeiuncta, quam coniuncta corpori, ſequeretur vnionem illius cum corpore non fieri propter melius animæ, ſed propter melius corporis tantum. At hoc eſt inconueniens. Materia enim eſt propter formam, non è contra, at ſecundum hanc poſitionem forma eſſet propter materiam, anima propter corpus. 2.Phy.26

Præterea. Anima naturaliter eſt pars Phyſica hominis; eſt enim illius forma; quamuis per ſe poſſit ſubſiſtere. At conſtat animam per ſe ſumptam eſſe quid imperfectius compoſito, ſicuti etiam omnis pars eſt imperfectior toto; erit ergo ipſa quoque perfectior, ſaltem melius ſe habebit iuncta cum ſuo toto, quam ab illo ſegregata.

Tertio. Ibi perfectiorem ſtatum obtinet anima, vbi pluribus eſt potentijs prędita, & plures actus edit. Patet. Omnis enim actiua potentia, & omnis actus ſecundus perfectionem aliquam dicit. At anima dum eſt in corpore non modo illis prædita eſt potentijs, quæ immateriales ſunt, illamque comitantur ſeparatam, cuiuſmodi ſunt intellectus, & voluntas, verum etiã omnibus ornata eſt materialibus, quarum actus exercet, cuiuſmodi ſunt ſenſitiuę omnes internæ, & externæ, & alia huiuſmodi.

INCLVS. Videtur & huic quoque doctrinæ obſtare D. Thomas. Qui in prima parte, quęſt.89.art.2. inquit ſeparatam animam liberius intelligere, eo quod à grauitate corporis non impeditur puritas intelligentiæ. Non ergo corpus animæ operationibus, aut potentijs prodeſt, vt tu dicebas, ſed potius obeſt.

PROVID. Nihil obſtat hoc tuum argumentum Incluſe. Nam etſi veriſſimum ſit, quod in eo dicebatur, corpus ſcilicet intelligentiam retardare, id tamen tantum pertinet ad operandi modum, non ad ſpeciem operationis. Etſi enim anima vnita corpori non ita libere intelligit vt ſeparata, intellegit tamen vtcunque. Et inſuper multas alias ſpecies operationum exercet, quas nullo modo edere poteſt ſeparata. Ex quo etiam patet Platonis argumentum, nullius eſſe efficaciæ aduerſus hanc ſententiam. Illud enim tantummodo probare nitebatur intellectuales operationes eo melius agi, quo magis anima corpus deſerat. At hoc non ſufficit ad oſtendendam ex actibus maiorem animæ ſeparatæ perfectionem. Ad hoc enim oſtendendum, oportebat monſtrare aut omnes penitus actiones perfectius fieri à ſeparata, aut ſaltem nouam aliquam acquirere potentiam dum illa ſeiungitur, quorum neutrum eſt verum, immo in ſeparatione multas amittit anima potentias, vt dictum eſt.

INCLVS. Iam manibus, & pedibus in tuam ſententiam venio.

PROVID. Addo & quartum argumentum huiuſmodi. Niſi anima verum, & perfectum ſuum eſſe haberet in corpore, accideret illi, quod corpori vniatur. At ſi vnio eſſet animæ accidentalis, neque homo ex illa, & corpore conſtitutus eſſet unum per ſe, ſed per accidens; quod eſt abſurdiſſimum. ANON. Optima, & pulcherrima ratio.

PROVID. Hanc poſtremo ſententiam amplexus eſt & D. Thomas, p.p.quæſt.89.artic.1. & art.2. quæſt.90.art.4. quęſt.118.art.3.p.2.quæſt.4. art.6.

Digitized by Google

art.6.& alijs in locis. Cum itaque animæ ſtatus cum corpore ſit ſeparatione perfectior, ſtatuendum omnino erit ſeparatam animam ſemper naturaliter appetere vnionem corporis, tanquam illam, qua perficiatur illius exiſtentia. Nam vt inquit D.Thomas ſicuti corpus leue manet quidem leue cum à proprio loco ſeparatum fuerit, cum inclinatione tamen, & propenſione ad proprium locum, ſic anima etiam à corpore ſeparata propriam quidem naturam ſeruat, ſed tamen cum naturali propenſione ad vnionem corporis. A N O N. Iam veriſſimum eſſe confiteor, id quod aliquando me legiſſe recordor apud Torquatum Taſſum, in Epiſtolis familiaribus; mortuos ſcilicet ſummopere lætari, ſi nouerint eorum memoriam apud nos eſſe ſuperſtitem, naturaliterque illos appetere, vt à viuis quomodocunque de ipſis verba fiant. Ea enim ratione quodammodo videtur fieri reditus eorum ad hanc vitam, ad quam, vt oſtenſum eſt, naturaliter inclinantur. INGEN. Hoc veriſſimum eſſe arbitror; immo & Homerus ipſe hoc loco neſcio quid ſcripſit tale. Qui Elpenorem Vlyſſis ſocium, & in domibus Circes necatum, introducit cum ipſo Vlyſſe loquentem, & deprecantem eum, vt illius memoriam conſeruaret hunc in modum.

Te continuò Domine iubeo recordari mei Odyſſ. 11. verſ. 71.
Ne me inde fletum, inſepultum relinquas
Sed ſepulchrum mihi erigas in littore maris
Vt mea ad poſteros quoque perueniat fama.
Hac mihi perfice, remumque meum impone ſuper ſepulchrum
Quo etiam viuus remigabam.

Ita quidem, & mortui videntur, ſecundum Homerum, ſui memoriam apud viuos adamare, hancque uitam naturaliter appetere.

PROVID. Vſque adeo verum eſt, quod Homerus eleganter ſcripſit, mortuorum animas ſiti ſanguinis laborare.

SITIC. Ex hoc ipſo Colloquio illud etiam colligitur non minus in Philoſophia rudes eſſe, quam ſint impij illi, qui hominum reſurrectionem inficiantur. Si enim rectè Philoſopharentur, viderent animam rationis compotem immortalem eſſe, vt in ſuperiori colloquio oſtenſum fuit; viderent deinde hanc ipſam ſeparatam animam ſemper appetitu quodam naturali in corporis unionem ferri, perfectiuſque in ipſo exiſtere, quam extra ipſum. Cognoſcerent ergo neceſſe eſſe, vt tandem huic illius appetitui ſatiſfiat, ad corpuſque informandum redeat, ne fruſtra appetitus illæ ſit animæ inditus. Fruſtra enim proculdubio eſſet, niſi adimpleretur aliquando.

PROVID. Optimè ſentis, neque ego tam vltra conſideraueram. Iam mihi multo charior hæc erit doctrina quam hodie explicui.

INGEN. Erat tertium propoſitum caput, cuius pertractandi anſam nobis in hoc libro præbet Homerus, animas ſegregatas recordari præteritorum. Tuum erit hoc caput Siticuloſe: Te audiemus in ſequenti colloquio de hac re diſſerentem.

SITIC. Hanc conditionem, quam reſpuere haud poſſum, libenter acci-

pio,& præſtabo quod potero. Vnum tamen volo huic addere colloquio, quod mihi modo in mentem venit. Id autem eſt non Homerum modo,ſed etiam Virgilium cognouiſſe hunc animarum appetitum ad corpora redeundi. Ipſe enim Aeneam introducit apud inferos ita interrogantem Anchiſem patrem.

O Pater anne aliquas ad cælum hinc ire putandum eſt
Sublimes animas? iterumque ad tarda reuerti
Corpora? quæ lucis miſeris tam dira cupido?

Cumque Anchiſes pater multa de animarum purgatione narraſſet, ſic tandem concludit.

Has omnes (animas) vbi mille rotam voluere per annos
Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno
Scilicet immemores ſupera vt conuexa reuiſant
Rurſus,& incipiant in corpora velle reuerti.

Nonne & Virgilius quoque cum Homero ſentit de innato animarum appetitu reuertendi in corpora?

PROVID. Et ſi non adeo euidenter id aſſerat, ut Homerus facit, cariſſimum tamen mihi fuit hoc ex te audire. Non parum enim roboris accepit mea doctrina, valdeque inſuper infirmatur opinio hæreticorum vel ex ipſa Virgilij auctoritate.

Animas ſeparatas conſeruare eaſdem ſcientias quas cum corpore adeptæ ſunt. Nec non & præterita recordari.

COLLOQVIVM XLV.

SITICVLOSVS.

QVOD hęc ipſa fuerit Homeri ſententia ſeparatas animas recordari præteritorum,eorumq; omniũ,quæ cum corpore cognouere, euidentiſſimè ſanè colligitur ex hoc libro, in quo animæ mortuorũ conſpiciuntur ante actam cum corpore vitã enarrare,parentes, filioſq; commemorare, mortis ſuæ genus explicare, aliaq; omnia recenſere, quę ipſis dũ corpori vnirentur contigerunt.Quod ita prorſus & ſecundum veritatẽ ſentiendum ſit,nemini dubiũ. Nam D.Hieronymus in Epiſtola ad Pulinum teſtatur animas noſtras dum à corpore ſeparantur non obliuiſci ſcientiarum illarum quas acquiſiuere in hac vita. Diſcamus in terris, inquit, quorum ſcientia nobis perſeueret in cælo. Quod etiam verè recordentur eorum, quæ hic geſſere, Veritas ipſa patefacit, dicens. Recordare fili mi, quia recepiſti bona in vita tua, Lazarus ſimiliter mala. Idem & Diuus Gregorius.
Luc.16.

teſtatur

Digitized by Google

teſtatur ea ratione, quoniam niſi animæ ſeiunctæ memoriam haberent peccatorum, quæ commiſere in hac uita mortali, materiam non haberent Deo gratias agendi pro eius Miſericordia. Et tamen ſcriptum eſt. Miſericordias Domini in Æternum cantabo. Quomodo vero quis poterit Domini Miſericordias in æternum cantare, qui miſeriæ non meminerit. Conſtat ergo omnino verum eſſe, ſcientias hic acquiſitas remanere in anima ſeparata, eamque recordari præteritorum. Quid autem ſecundum naturalem Philoſophiam ſtatuendum ſit, nondum dictum eſt. De hoc ego hodie agam. Illud autem in primis ſupponam quod omnibus eſt in confeſſo, ſcientias ſcilicet ad intellectum pertinere, ita vt ille ſolus dicatur actum elicere intelligendi, ſiue per ſe ſolum, ut cauſſa totalis intelligat, ſiue concurrente phantaſmate ipſo, aut ſpecie aliqua intelligibili. Hoc itaque ſuppoſito, vt ordine aliquo meus hic tractatus inſtituatur, diuidam ſermonem meum in quatuor capita, quæ omnia videntur mihi neceſſario cognoſcenda eſſe, ſi id, quod quærimus, rectè volumus intelligere. Erunt autem hæc. *4. Moral. ad finem.*

1 *Ad intellectionem eliciendam requiri neceſſario intelligibilem ſpeciem praexiſtentem in intellectu, cuius auxilio actus intelligendi producatur.*

2 *Eaſdem ſpecies remanere in intellectu ſeparato quæ in hac vita genitæ fuere.*

3 *Per ſolas hæſce ſpecies poſſe intellectum eadem poſt ſeparationem cognoſcere, quæ & in corpore cognoſcebat.*

4 *Separatam animam non modo eaſdem ſcientias, quas hic acquiſiuit retinere, verum etiam propriè recordari præteritorum, ita vt eadem cognoſcat quatenus præceſſere, cum temporis diſtinctione.*

PROVID. Pulcherrimus ſanè hic eſt ordo. SITIC. Non ignoro hęc omnia & ab alijs quoque antea Doctiſſimè tractata fuiſſe, potiſſimum autem à D. Thoma, & à Scoto, non tamen præter rem hic denuo repetentur. Nam vt ommittam me cogi omnino Principi noſtro parere, qui mihi hoc munus impoſuit, accedit quod illi quoque viri ſapientiſſimi ſparſim hæc omnia tractauere, longiſſimiſque habitis diſcurſibus, & diſputationibus ego vero, qui eorum doctrinæ penitus inhæreo, cuncta in pauca quædam conferam, potioribus tantum allatis argumentis, illiſque in ordinem ita redactis, vt vno quodammodo intuitu diſcerni, & cognoſci hæc omnia poſſint. INGEN. Ad illud vnum in præſentia teneris, vt quæ circa huiuſmodi materiam legiſti apud Auctores, huc afferas. Non enim hæc tractamus, vt aliquando noſtra hęc colloquia in lucem exeant, ſed tantummodo vt exerceamur honeſtè. Eia ergo, ex ordine quam primum. *D. Th. p. 1. q. 89. Scot. p. d. 3. q. 7. & in 4. diſt.*

Primum Caput.

NOn defuere, neq; hodie deſunt, qui omnino ſpecies intelligibiles tollunt, tanquam minimè ad intellectionem neceſſarias, ſufficere dicen-

res intellectum, cum Phantaſmate. Cuius quidem opinionis rationes, & fundamenta ego hic breuitati ſtudens non afferam, cum & diligentiſſimè referantur, & validiſſime refellantur à Scoto, in primo diſt. 3. quæſt. 7. Satis mihi erit ſi vnum, vel alterum argumentum referam, quò ſpeciei intelligibilis neceſſitas conſpiciatur. Primum autem eſt huiuſmodi. Nihil tranſire poteſt de potentia remota, & eſſentiali, ad potentiam propinquam, & accidentalem, niſi mutatione aliqua reali præcedente in ipſo, & forma aliqua recepta prius. Non enim aqua vnquam erit in accidentali potentia ad motum ſurſum niſi prius in aerem mutetur, aut ignem. Hoc patet, ſimiliter neque ruſticus vnquam erit in accidentali potentia ad canendum cithara, niſi prius habitum acquirat citharizandi. At intellectus aliquãdo quidem eſt in potentia eſſentiali ad intelligendi actum, vt patet in ruſticis, & infantibus omnis ſcientiæ expertibus; aliquando vero eſt in potentia tantũ accidentali, & propinqua vt apparet in viris doctis dormientibus, aut aliud agentibus, qui quandocunque volunt, poſſunt ea, quę animus iubet, ſpeculari. Neceſſe ergo eſt, vt intellectus tranſiens de potentia illa eſſentiali, & remota ad hanc propinquam, & accidentalem realiter mutetur, formamq; aliquam recipiat nouam. Quæ forma erit etiam naturaliter prior ipſo intelligendi actu, propterea quod potentia propinqua ad actum eſt naturaliter prior actu; intellectus autem per formam illam conſtituitur in potẽtia propinqua ad intelligendum. TVTVS. Mihi quoque dicendum videtur mutationem aliquam neceſſariam eſſe vt tranſitus fiat de potentia eſſentiali, ad accidentalem; at quod hæc mutatio in intellectu fieri debeat, fortè aliquis negabit, dicens ſufficere ſi fiat in obiecto. SITIC. At hoc nullo modo dici poteſt. Conſtat enim in obiecto ipſo nullam fieri mutationem realem dum cognoſcitur ab intellectu, idem enim ſemper manet ſiue intelligatur, ſiue non tantum relationem quandam rationis acquirit, quæ etiam eſt ens rationis. INCLVS. Dicent alij hanc formam, quæ intellectum conſtituit in potentia accidentali ad intelligendum, non aliam eſſe, niſi phantaſma ipſum. SITIC. Hæc quoque ſententia etſi multifariam refellitur à Scoto, loco citato, ea etiam ratione falſa eſſe depræhenditur, quoniam eadem forma numero, non poteſt duas res realiter diſtinctas conſtituere in actu primo, & in potentia accidentali ad operandum. Intellectus, & Phantaſia duæ ſunt res diſtinctæ realiter, vt iamdiu conſtat. Non ergo per eandem numero formam, per idem numero Phantaſma & intellectus erit in potentia accidentali ad intelligendum, & Phantaſia etiam ad propriam edendam operationem. INCLVS. Optimè. SITIC. Fit ergo mutatio in intellectu, & forma quædam in illo acquiritur qua reducitur de potentia eſſentiali, ad accidentalem, ita vt illa recepta poſſit abſque alia mutatione reali intelligere, niſi aliquid impediat.

Ariſt. 8. Phyſ. 32.

Præterea actus intelligendi nullo modo elici poteſt, niſi obiectum quod intelligitur ſit aliqua ratione præſens intellectui ipſi. Obiectum enim ipſum eſſentialiter requiritur ad intelligendi actum. Erit ergo præſens aliqua ratione ipſi intellectui. At non poteſt alia ratione præſens eſſe, niſi in forma aliqua reluceat, & repræſentetur intellectui inhærente. Erit ergo

hæc

Digitized by Google

hæc neceſſaria ad intelligendum. Hæc autem ſpecies eſt intelligibilis, obiecti ipſius imago, quædam, & ſimulachrum. Confirmatur, quoniam & ſenſus omnes per ſpeciem obiecti, quam in ſe recipiunt, proprias edunt ſenſationes, vt patet in viſu, auditu, ſenſibuſque internis omnibus. Confirmatur & per Ariſt. qui 3. de Anima dicit intellectum ſuſceptiuum eſſe ſpecierum, & formarum; & tex. 6. inquit animam eſſe locum formarum; & tex. 8. inquit intellectum in habitu ſimilem eſſe rebus per ſpecies.

ANON. Putas ne huius modo ſpecies manere in intellectu etiam tranſacto actu intelligendi; an potius deſtrui illo ceſſante?

SITIC. Error maximus eſt eorum, qui putant eas non manere in intellectu, niſi actu ipſo manente intelligendi. Hac enim ratione tolleretur omnis potentia accidentalis ad intelligendum, quod & dictis antea repugnat, & Ariſtoteli aduerſatur, in 2. de Anima tex. 55. Patet conſequentia, nam iuxta hanc hypotheſim omnis intellectus non conſiderans actu non poſſet ad actum conſiderandi tranſire, niſi denuo ſpeciem hanc acquireret, præuia mutatione reali. At hæc eſt potentia eſſentialis. Ex hoc autem ſequeretur & aliud abſurdum, quod eodem modo ſe haberet intellectus docti, & ſapientis, ac illius qui nihil vnquam didicit. Vtriuſque enim intellectus dū actu non contemplatur eſſet in pura potentia. ANONYM. Præclarè.

SITIC. Præterea probatur, quoniam principia agendi ſtare poſſunt ſine actione, vt conſtat in lapide ſurſum detento, in quo eſt principium motus deorſum, nec tamen mouetur, cum tamen ſit in potentia accidentali ad eundem. Ergo & ſpecies hæc intelligibilis, cum ſit principium intelligendi, conſtituens intellectum in accidentali potentia ad intelligendum, ſtare poterit abſque actu ipſo intelligendi. INGEN. Dic mihi quæſo Siticuloſe, confert ne aliter ad intelligendum huiuſmodi ſpecies, quam obiectum repræſentando? SITIC. Dico breuiter cum Scoto, concurrere effectiuè vna cum anima ipſa ad intelligēdi actum. Hoc autem ita probatur. Intellectus ſolus non eſt illius actus cauſſa efficiens. Nam cum ſit etiam cauſſa materialis eiuſdem, dicente Ariſtotele, quod intelligere eſt quoddam pati, ſi etiam eſſet cauſſa totalis efficiens eiuſdem, nunquam non intelligeret actualiter homo, nunquam non ſpecularetur. Ad producendum enim naturaliter effectum, ſufficit ſi hæ duę cauſſæ iungantur efficiens totalis, & materia diſpoſita. Ignis enim appoſita ſtupa ſtatim comburit. Cum ergo intelligendi actus per modum naturæ producatur, ipſeque intellectus poſſibilis ſit ſubiectum eiuſdem optime ſemper diſpoſitum, ſi etiam ſit totalis cauſſa efficiens ipſius, ſitque ſibi ſemper pręſens, neceſſario fiet, vt anima ipſa ſemper actu intelligat, aut omnia quæ poteſt (poteſt autem omnia) eo quod cauſſa naturalis agit ſemper ad vltimum potentiæ; aut ſaltem aliquid perpetuo intelliget, in quod ipſa maximè poteſt. Hoc autem conſtat experientiæ repugnare. Sæpenumero enim nihil actu cogitamus. Non eſt ergo intellectus ſolus ſufficiens cauſſa intellectionis productiua. Neque itidem erit ſola ſpecies, ſeu obiectum relucens in ſpecie: alioquin ſequeretur intelligere ipſum non eſſe propriam animæ operationem, ſed obiecti. Quare potius eſſet homini præternaturalis hęc operatio, quam

Vide Ariſ. 3. de anima tex. 18. 37 38

In 1. diſt. 3. q. 8.

naturalis. Præterea ſpecies ipſa eſſet dicenda potentia intellectiua, non anima. Cum itaque neque intellectus ſolus, neque ſola ſpecies ſit ſufficiens cauſſa productiua intellectionis, ambo vero neceſſario requirantur ad illam, dicendum erit cauſſam ipſam totalem ex illis duabus conſtitui, ut ex duabus partialibus cauſſis, ſicuti ex duobus hominibus vna conficitur cauſſa mouens lapidem. INGEN. Itá ne ex æquo cenſens intellectum, & ſpeciem, vt duo illi homines? SITIC. Minime, ſed id fit cum ordine quodam eſſentiali, qui talis eſt, quod neutra dependet ab altera in ſua cauſſalitate, ſed vtraque in ſuo genere eſt perfecta. Non enim intellectus quicquam recipit à ſpecie, neque ſpecies ab intellectu. Attamen illè nobiliori modo concurrit, hæc autem ignobiliori, & vterque modus neceſſarius eſt ad intelligendi actum. INGEN. Indiget res hæc exemplo aliquo. SITIC. Exemplum habetur apud Scotum. Semen maris, & fœminæ eodem modo concurrunt ad fœtus generationem vt duæ cauſſæ efficientes partiales, vt medici ſentiunt, & rectè: perfectiori tamen modo ſemen maris concurrit fœmineo. Et uterque modus in ſua cauſſalitate perfectus eſt, nihil recipiens ab altero, quod ad propriam cauſſalitatem pertineat. Non enim maris ſemen quantumuis perfectum generat ſine fœmineo, neque hoc ſine illo. Sic & in eo partu, ſeu conceptu intellectus accidit. Intellectus ipſe mas eſt, ſpecies fœmina, actus ipſe intelligendi conceptus eſt productus ab vtraque cauſſa. Non tamen intellectus quicquam propriæ actiuitatis recipit à ſpecie, neque ſpecies ab intellectu, ſed vtraque cauſſa in ſuo genere eſt perfecta, cum tamen intellectus ipſius cauſſalitas ſit nobilior cauſſalitate ſpeciei. INGEN. Accomodatiſſimum ſanè exemplum. SITIC. Ex his quæ de hoc primo capite dicta ſunt, optime elucescit &

Secundum Caput.

CONſtat enim per hominis mortem corrumpi haſce ſpecies non poſſe, cum ipſæ hereant intellectui. Abundantius autem probatur, hac ipſa ratione. Cum enim quicquid corrumpitur duobus modis corrumpi poſſit, aut per ſe, & à contrario, vt calor à frigiditate; aut per accidens & per ſubiecti corruptionem, vt Phantaſmata corrupto homine (hoc autem patet apud Ariſtotelem in lib. de Longitudine, & Breuitate vitæ, cap. primo) ſi ſpecies ipſa intelligibilis corrumpitur per hominis mortem altero horum duorũ modorum corrumpetur. At primo modo non poteſt, non enim contrarium habet, quod vim habeat illam corrumpendi; Nec ad corruptionem ſubiecti interibit, cum illud ſit intellectus, incorruptibilis, & immortalis. Conſtat ergo in anima ipſa ſeparata ſpecies illas intelligibiles conſeruari, quas ipſa acquiſiuit dum eſſet in corpore.

D. Th. p. p. q. 89. ar. 5

Tertium Caput.

HOc erat, quod eędem ſpecies remanentes in intellectu poſt hominis mortem, ſufficiunt vna cum ipſo, ad producendos eoſdem intelligendi

Digitized by Google

gendi actus, qui & in vita quoque producebantur. Cum enim remaneant poſt hominis diſſolutionem omnes illæ cauſſæ, quæ ſufficiunt ad effectum producendum, effectus quoque remanebit vt notum eſt. Ad edendum autem intelligendi actum ſufficit ſi illius cauſſa totalis effectiua, ſubiectumque rectè diſpoſitum, & approximatum agenti reperiantur, vt dictum eſt antea. Hæc autem conſtat reperiri in anima ſeparata. Remanet enim intellectus & ſpecies ſimul, quæ duo cauſſam efficientem, atque totalem conſtituunt intellectionis; remanet etiam ſubiectum eiuſdem, quod nihil aliud eſt, niſi ipſe intellectus poſſibilis. Remanebit ergo & actus intelligendi, qui earum cauſſarum eſt effectus. Cum itaque ſcientia in ſolo conſiſtat intellectu, vt dicit Ariſtoteles, conſtat ex his non modo ſcientias omnes, quas anima dum in corpore eſſet adepta eſt remanere in intellectu, poſt ſeparationem, verum etiam eoſdem ſpecie actus produci poſſe poſt mortem, qui & in vita producebantur. *3. de Ani. tex. 37.*

INCLVS. Optimâ quidem hæc tua eſſet conſequentia Siticuloſe, ſi illud quoque admitteretur, quod ais Intellectum vnà cum ſpecie ſufficere ad intelligendum. SITIC. Nonne hoc ipſum probatū eſt antea. INCLVS. Quid ad illam tuam probationem in contrarium dicam non habeo, at illud ſcio Ariſtotelem illi ſententię repugnare, qui non intellectum tantummodo cum ſpecie requirit ad intelligendum, verum & Phantaſmata ipſa aſſerit eſſe neceſſaria. Inquit enim in 3. de Anima intelligentem neceſſario phātaſmata ſpeculari. At conſtat animas ſeparatas minimè poſſe phantaſmata ſpeculari, cum hęc per mortem deleantur, corrupta Phantaſia, in qua reſidebant. SITIC. At hoc nihil concludit Incluſe. Non enim ita ſentiendum eſt, quod ipſa Phantaſmata effectiuè concurrant, aut per ſe, ad intelligendi actum, ita vt intellectus eſſentialiter indigeat Phantaſia, aut Phantaſmate ad intelligendum. Hoc enim eſt abſurdum.

INCLVS. Vnde colligis hanc abſurditatem? SITIC. Ex eo, quoniam ſequeretur intellectum, qui nobilior eſt potentia in operando pendere à Phantaſia, cum tamen hęc in agendo minimè dependeat ab intellectu. INCLVS. O Pulcherrimam rationem.

SITIC. Sed Ariſtotelis dictum ea ratione eſt verum, quod quotieſcunque Intellectus aliquid contemplatur, phantaſia etiam ipſa cogitur illud Phantaſma cōſiderare, quod ad idem obiectū pertinet, intellectuſq; ipſe quodāmodo conuertitur ad illud. Hoc autē accidit ꝓp connexionē maximā ſuperiorū, inferiorumque potentiarū in agendo. INCL. Neq; hoc mihi ſatis. SITIC. Audi ergo, & ſatisfaciā tibi. Cū intellectus actio, & Phantaſiæ ad idē ſuppoſitū pertineant, vtraq; autē operatio ad idē genus pertineat, & inſuper fiat per modū naturæ, quæ ſemper agit ad vltimum potentiæ, hinc fit, vt quotieſcunque intellectus aliquid contemplatur, phantaſia etiam ſimul, & ſemel eiuſdem phantaſma ſpeculetur, ut intenſior fiat contemplatio, ex inſpectione Phantaſmatis ad idem obiectum pertinentis. Hoc tamen quodāmodo per accidens contingit ipſi operationi intellectus; euenit enim ex coniunctione intellectiuæ facultatis cum potentijs inferio-

ribus.

tibus. INCLVS. Iam nulla amplius mihi difficultas ſupereſt. SITIC. Videas tamen Scotum in primo, diſt. 3. quæſt. 8. Relinquitur ergo, vt abſoluamus.

Quartum Caput.

QVod erat huiuſmodi, animam ipſam ſegregatam propriè recordari præteritorum, ea cognoſcens cum præteriti temporis diſtinctione. Hoc ipſum quoque videtur Scotus diligentiſſime tractaſſe, in quarto Sententiarum, ex naturalibus principijs deducens animam ipſam ſeparatam proprie recordari eorum, quæ geſſit cum corpore. Verum quoniam id longiſſima quæſtione præſtitit, ego in pauca conferam potiora illius capita, & argumenta, conaborque rem ipſam & faciliorem reddere, & dilucidiorem. Exordiar autem hunc in modum.

Diſtin. 55. quæſt 3.

Principio conſtat actum, quo res præteritas cognoſcimus, quatenus ſunt præteritæ, qui recordatio dicitur, in nobis reperiri, ſiue ad vnam tantum facultatem pertineat, ſiue ad plures. Obiectum autem illud, quod immediate per huiuſmodi actum cognoſcitur, ſub ratione præteriti, non eſt quæcunque res præterita, ſed neceſſe eſt, vt ſit alter aliquis actus noſter, quem edidimus antea. Non enim ego recordarer vos alias hoc loco ſediſſe, & diſcurriſſe, niſi recordarer me vos vidiſſe ſedentes hoc loco, & diſcurrentes audiuiſſe. Patet hoc ea ratione, quia licet certo ſciam me natum eſſe, ſub ratione præteriti, non tamen recordor natiuitatis meæ, propterea quod nullum actum meum cognoſco, qui præterito tempore tráſiuerit ſupra meam natiuitatem, ideſt quo meam cognouerim natiuitatē. Quare recordatio ita definiri poteſt, quod ſit cognitio alicuius noſtri actus præteriti, quatenus eſt præteritus. PROVID. Videtur hoc illud eſſe, quod voluit Ariſtoteles, cum dixit memoriam habere actum poſt tēpus; SITIC. Hoc ipſum. Actus enim recordandi ſuccedere debet alteri actui noſtro, cuius nos recordamur. Hac itaque definitione conſtituta, ſequitur primo potentiam illam, quæ propriè dicitur recordari poſſe percipere fluxum temporis, quod interceſſit inter obiectum recordationis, quando exiſtebat, & actum recordandi; alioquin non cognoſceretur illud, quatenus eſt præteritum. Sequitur præterea ſpeciem aliquam requiri in potentia, ad reminiſcentiam efficiendā. Cum enim obiectum recordationis reuera non ſit præſens dum fit recordatio, (alioquin non cognoſceretur vt præteritum) & tamen in omni cognoſcendi actu neceſſario requiratur obiecti præſentia aliqua, efficitur, vt nonniſi per ſpeciem aliquam repræſentantem illud obijci potentiæ poſſit. Quare ſi potentia illa, cuius munus eſt fluxum tēporis cognoſcere, & obiectum; vim etiam habeat ſpeciem ipſam conſeruandi, eiuſdem ſolius erit & reminiſci. Saltem hoc conſtat ſpeciei conſeruationem neceſſariam eſſe ad reminiſcentiam.

De memo. & remin. 20.

Sequitur tertio duplex eſſe obiectum reminiſcentiæ, proximum, & remotum. Proximū eſt actus ipſe noſter, cuius recordamur; remotum eſt eiuſ-

dem

Digitized by Google

dem actus obiectum, circa quod verſabatur. Vt cum recordor vos hic antea ſediſſe, obiectum proximum huius reminiſcentiæ, eſt cognitio mea, qua vos aliquando ſedentes cognoui; remotum autem eſt veſtra ſeſſio. Quia vero actus ipſe meus cognoſcendi, eſt immediatum obiectum reminiſcentiæ, ideo neceſſe eſt ſpeciem illam, quæ requiritur ad reminiſcētiam ab eodem actu, dum fit, imprimi in potentia. Non enim imprimi poteſt ab eo, poſtquam pręterijt. Vnde illud quarto loco ſequitur nullum vniuerſale poſſe eſſe obiectum immediatū reminiſcentiæ. Vniuerſale enim omne abſtrahit ab hoc, & nunc, ab omni fuiſſe, & fore, & huiuſmodi conditionibus reſpicientibus exiſtentiam. Actus autem noſter res eſt ſingularis, vt conſtat, & præterea cognoſci debet ſub ratione præteriti, vt dictum eſt. Poteſt tamen vniuerſale eſſe obiectum remotum. Recordari enim poſſum me aliquando conſideraſſe Trianguli naturam, aut hominis. Sequitur vltimo actum illum, qui debet proximum obiectum eſſe reminiſcentiæ, debere etiam eſſe illius, qui reminiſcitur, non alterius. Hoc patet. Cum itaque tot conditiones requirantur ad reminiſcentiam, in dubium verti ſolet ad quā animæ partem illa pertineat, nunquid ad ſentientem, an autem ad rationis compotem, quæ ſeparabilis eſt. PROVID. Ariſtoteles omnem reminiſcentiam videtur in parte ſenſitiua collocaſſe. Nam in libro de Memoria, & Reminiſcentia cap. primo ſtatuit memoriam eſſe uim ſenſitiuam, non intellectiuam. At reminiſcentia ad eandem animæ partem videtur pertinere, ad quam & memoria, propterea quod reminiſcentia neceſſario memoriam ex poſcit. Et in cap. quarto expreſſe inquit reminiſcentiam corpoream eſſe. SITIC. Non hæc ignoro ò Prouide, neque Scotus ignorauit, qui in quarto Sententiarum acerrimè in vtranque partem diſputat. Nam validiſſimis rationibus primum oſtendit vim nullam ſenſitiuam poſſe reminiſci, aduerſus Ariſtotelem; Poſtea vero eaſdem nititur rationes ſoluere, quod ea præſtitit efficacia, vt euidenter conſtet illum hanc rem problematicè tractaſſe. Ego vero nollem in eo immorari, vt oſtendā in parte ſenſitiua, & materiali memoriam conſiſtere, & reminiſcentiam. Non enim illud videtur eſſe pręſentis inſtituti, & præterea vereor ne colloquium ita longum euadat vt faſtidium vobis afferat. INGEN. Illud tantummodo erat tibi tractandum, & oſtendendum an anima ſeparata poſſit recordari præteritorum. Hoc oſtendas, omnemque digreſſionem fugias. SITIC. Partem ergo affirmatiuam aſſero ſuſtinendam eſſe. Facile vero probatur, propterea quod omnia requiſita ad reminiſcentiam reperiri poſſunt in intellectiua animæ parte, quæ ſeparabilis eſt. Ex eo enim conſtabit ſeparatam ipſam animam recordari omnium poſſe, quæ ipſi cōtingerunt in hac vita, dummodo circa ea actum aliquem exercuerit intellectus, aut voluntatis, quæ duæ facultates ſunt ſeparabiles. Quod igitur in intellectu omnia inueniantur ad reminiſcentiam neceſſaria, inductione patebit. Intellectus enim habet actum poſt tempus, conſideratque nonnulla prius, nonnulla poſterius; Eiuſdem etiam eſt percipere fluxum temporis intercedentis inter vtrumque actum. Propterea quod talis cognitio fit, quotieſcunque præteritum tempus confertur cum præſenti, prius cum poſteriori. Quæ facultas conferendi non deeſt intelle-

ctui,

ctui, vt eſt vnicuique notum. In eodem etiam ſpecies omnes conſeruantur intelligibiles, neceſſario requiſitæ, ad actum quemlibet intelligendi; vt pote quæ natura actum præcedant. Oſtenſum enim antea eſt; eaſdem in intellectu conſeruari, etiam actu ipſo tranſeunte, ac deſinente. Vnde conſtat in intellectiua parte memoriam ipſam reperiri prout dicit ſpeciei conſeruationem, Tertia conditio non abeſt ab intellectu. Non ſolum enim habet pro obiecto res externas, verum etiam quemlibet actum proprium; nam & ipſe ſupra ſe ipſum reflectitur, cognoſcendo & ſe ipſum, & quemlibet actum proprium. Quare & eiuſdem actus ſui poteſt ſpeciem recipere in ſe ipſo, illamque diu conſeruare; atque per eandem cognoſcere actum illum poſtquam preterijt. Oſtenderem etiam in intellectu reperiri & quartam reminiſcentiæ conditionem, quæ erat, quod ipſa immediate verſatur circa ſingulare. Oſtenderem inquam; Intellectum poſſe cognoſcere, & de facto cognoſcere ſingulare ipſum. Verum duabus abſtineo de cauſſis. Vna quidē, ne res nimis in longum abeat; altera vero, quia ſcio Anonymum noſtrum, cui Princeps ſequentis capitis explicationem impoſuit, ſtatuiſſe de hac ipſa re diligentem ſermonem habere. Cum itaque intellectus omnia illa continere, atque preſtare poſſit, quæ ad recordationem ſunt neceſſaria, ipſe vero ſit à corpore ſeparabilis, euidenter conſtat animam ipſam ſeparatam eorum omnium recordari optimè poſſe, quæ didicit in hac vita, & circa quę actum aliquem intellectus edidit; vt hinc appareat neque Homerum hoc ignoraſſe; cum tot mortuorum animas introducat, omnia fere illa enarrantes, quæ ipſis contigere, dum corpori iungerentur. INGEN. Hoſpes noſter mihi modo in aurem dixit hæc omnia, verè quidem ex Scoto deſumpta eſſe in 4. ſententiarum, cuius ipſe ſtudioſiſſimus, eſt, vt noſtis omnes; ſed in eum ordinem, & breuitatem à Siticuloſo eſſe redacta, vt plane noua ſibi videantur, SITIC. Ego gratias ago Hoſpiti noſtro, quod tam egregiè de me ſentiat. HOSPES. Non eſt quod mihi gratias agas, cum id tantummodo dixerim, quod veritas ipſa requirebat. INGEN. Anonyme, tuum erit ſequens caput.

Nunquid Animæ Mortuorum inter ſe Forma, ſeu effigie diſtinguantur. Explicatur etiam Textus decimus Libri Tertij de Anima Ariſtotelis.

COLLOQVIVM XLVI.

ANONYMVS.

EXIMIVS Vates noſter Homerus in hoc ipſo libro non modo ſtatuit, & aſſeuerat Vlyſſem mortuorum animas vidiſſe, ſed ita etiam diſcreuiſſe illas, vt eas, quæ mulierum eſſent, ab ijs, quę virorum extiterant dignoſceret; inſuper & eorum omnium, quos ipſe cognouerat viuentes animas etiam diſtinctè recognoſceret. Conſtat enim cognouiſſe illum Matris animam, Agamemnonis,

Digitized by Google

nis, Elpenoris, Achillis, & aliorum. Quare poſſet aliquis ſuſpicari, Homerum illius fuiſſe ſententiæ, quod animæ ipſæ ſeparatæ, eandem figuram, & effigiem ſeruent, quam corpus illud obtinuerat, in quo antea continebantur. Hanc tamen ſententiam non modo non refellam, ſed ne quidem examinabo, cum mihi minimè deſit probabilior modus ſuſtinendi hanc Homeri doctrinam. PROVID. Dic mihi Anonyme. Eſt ne adeo abſurda hæc opinio, quam tetigiſti, vt ne quidem mereatur examinari? ANON. Ego nunquam aliquem audiui, aut ſcriptorem vllum legi, qui hanc opinionem tueretur. Ideo ne verbum quidem de illa facere decreueram. HOSPES. Ego vero hoc vnum certo ſcio eximium virum Bernardinum Salinum, Theologum inſignem, Philoſophum acutiſſimum, Mathematicumque celeberrimum, è Societate Ieſu, cuius ego dum Logicæ, & Philoſophiæ primis annis operam darem, auditor fui, huius fuiſſe opinionis, quod Anima poſt ſeparationem eandem extenſionem naturaliter ſeruet, quam & in corpore obtinebat, quando diſceſſit. Ita vt anima paruuli infantis etiam ſeparata minor eſſet quam anima gigantis, aut alterius hominis ætate prouecti. Scilicet volebat animam ſeparatam eandem habere longitudinem, latitudinem, ac profunditatem, quam corpus habebat, cui coniungebatur antea. Quod ſi quis obijciebat haſce dimenſiones eſſe quantitates quaſdam, quãtitatem autem omnem eſſe rerum corporearum, & materia conſtantium, nõ autem incorporearum, & immaterialium, cuiuſmodi eſt anima ſeparata; Reſpondebat quantitatis, ſeu corporeitatis naturam non in ſimplici dimenſione conſiſtere, ſed in eo, quod aliam à ſe dimenſionem, ſeu aliud corpus excludat. Scilicet dicebat corpus non ideo corpus dici, quia longum ſit, latum, aut profundum, ſed quia cum huiuſmodi dimenſionibus ſit præditũ, nullum etiam aliud corpus ſinit eundem locum occupare, quem ipſum poſſidet. INGEN. Mirabilis certè erat hæc opinio, quam vir ille de Anima rationali conſtruxerat. At quibus nam illam ipſe probaret argumentis libentiſſimè audirem. HOSPES. Vnica, eaque non contemnenda ratione, illam ſuam ſententiam probare ſolitus erat, hunc in modum. Anima dum eſt in corpore, extenditur ad extenſionem corporis, totum enim corpus occupat, & non eſt extra corpus. Quando ergo ſeiungitur, aut aliquam ſeruat extenſionem, aut nullam, ſed redigitur ad punctum. Hoc ſecundum dici haud debet, nam punctus nihil eſt, poſitiuum, anima vero ſubſtantia eſt quædam. Præterea. Si anima punctus eſſet, ſequeretur quod ipſa infinitæ virtutis eſſet, in illo puncto. Conſtat enim virtutem quamlibet eo magis intendi, quo magis colligitur, & vnitur. Vt ſi calor duorum graduum exiſtẽs in pedali, colligeretur in ſemipedale, quatuor graduum fieret, ob eiuſmodi vnionem, qua in duplo minori ſubiecto collectus erat. Si ergo ſubiecti quantitas fieret infinities minor, infinities etiam maior euaderet virtutis intenſio. At punctus infinities minor eſt, qualibet quantitate. In eo ergo infinities maior virtus quælibet conſiſtet, quam in vllo corpore reperiri poſſit. Sic probabat animam minimè ad punctum redigi, cum corpus deſerit. Si ergo aliquam ſeruare dimenſionem dicatur, aut eandem ſeruabit, quam habet in corpore, aut aliam acquiret. Non eſt dicendum quod aliam

acquirat,

Digitized by Google

acquirat, propterea quod non eſt maior ratio de vna, quàm de alia. Eueniet ergo vt eandem conſeruet. Hæc erat Præceptoris mei ſententia; ex qua illud etiam ſequebatur ſeparatam animam eandem effigiem, atque figuram ſeruare, qua ſuum quoque corpus præditum erat. Si enim eandem extenſionem, eaſdemque dimenſiones retinet, ergo & caput quoddam ſimile capiti ſui corporis habebit, & crura, & brachia eiuſdem longitudinis, & latitudinis, in ſuper & digitos, & aures, naſumque, & mentum, & os cæteraſque omnes particulares ſicuti eadem dimenſione pręditas, ita & eadem figura habebit affectas, qua corporeæ partes afficiebantur. Vnde hac ratione fieret, quod ſi alicui res immateriales videre permittatur, mortuorumque animas videat, cernet illas figura, & effigie inter ſe differentes, non aliter atque corpora ipſa differre conſpicerentur, Quemadmodum hoc loco legimus Vlyſſi contigiſſe. PROVID. Hæc etiam videtur eſſe Diui Thomæ ſententia. Qui in ſecundo contra gentes, capite octuageſimoprimo agens de diſtinctione animarum ſeparatarum inquit quamlibet animam eſſe ita commenſuratam ſuo proprio corpori, in quo prius extitit, vt non ſit commenſurata alteri. Hanc autem animarum commenſurationem Toletus vocat configurationem, in 3. de Anima. Quæ dictio, configuratio, magis videtur exprimere opinionem ab Hoſpite noſtro relatam. Et inquit D. Thomas, ipſeque Toletus, huiuſmodi configurationes tot eſſe, quot ſunt animæ ipſæ, remanereque in anima ipſa etiam poſt corporis diſſolutionem. Et probant quoniam animæ ſunt formæ corporum, & conſtituunt vnum per ſe cũ corpore. Vnde neceſſe eſt vt quælibet anima ſit ſuo proprio corpori ita cõmenſurata, & configurata, vt non alteri. alioquin ex illa, & ſuo corpore proprio factum fuiſſet vnum per accidens. Quare concludit diuerſas commenſurationes, & cõfigurationes remanere in anima ſeparata, quemadmodum & in cera remanet figura impreſſa a ſigillo, etiam eo remoto. Toletus tamẽ ſe magis explicans, addit huiuſmodi configurationem non eſſe quidem differentiam indiuiduantem, & conſtituentem animam, ſed potius conſequi animam iam ſingularem, & indiuiduam. Quam etiam fuiſſe D. Thomę ſententiam, docet Ferrarienſis in commento. Inquit enim non exiſtimaſſe Sanctum Doctorem, quod Animæ ſolis configurationibus inter ſe differrent, immo ſtatuere eas diſtingui ſe ipſis, ſed tamen & hac quoque configuratione, tanquam accidentali quodam diſcrimine, inter ſe diſcrepare. ANON. Nunquam crediidiſſem ſimilem opinionem tot pro ſe habere potuiſſe fundamenta. INCLVS. Sunt tamen qui huiuſmodi opinionem refellant validiſque argumentis impugnẽt. Primum quidem quoniam & ſi anima ſit forma corporis, tamen prius natura eſt aliquid in ſe, quam vniatur corpori. Quare in illo priori nullam dici poteſt habere commenſurationẽ ad corpus, vt conſtat. Ergo præter omnem rationem videtur illi tribui huiuſmodi commenſuratio, vel configuratio poſtquam ſeiuncta fuerit à corpore. Præterea ſequeretur iuxta hanc hypotheſim, quod anima claudi, aut gibbi hominis, vel etiam cui brachium, aut aliud membrum abſciſſum eſſet, ipſa quoque huiuſmodi defectum pateretur, ita vt quodammodo dicenda hęc anima foret clauda, gibba, ſine brachijs, aut ſine oculis, quę omnia

Ca. 5. tex. 80. q. 18.

nia

nia ſunt abſurdiſſima. ANON. Ego vero vos rogo, ne vlterius proueharis huiuſmodi diſputationem, ne dum in illa tempus conſumitur, mihi deinde deficiat, neque illa proferre poſſim, quæ dicere paraui, de alia quadam effigie animarum, qua inter ſe diſtinguuntur. INGEN. Rectè loquitur Anonymus; hic ſuus dies eſt. Volo tamen inceptam controuerſiam aliquando exactè diſcuti. Interea tu Anonyme inſtitutam tractationem exordire, & perfice. ANON. Dico itaque valde eſſe rationi conſentaneum quod animæ ipſæ omnes quodammodo inter ſe diſtinguantur effigie quadam, & figura; ita vt ſi fieri poſſet, vt quis animas cerneret ſeparatas, hic continuo & earũ varietatem ſit cognoſciturus, ea prorſus ratione, qua Homerus de Vlyſſe canit, quod ſcilicet amicorum animas diſtinctè nouerit, & alia huiuſmodi. Verum hæc imago, quam ego dico, animæ impreſſam eſſe, non ea eſt extrinſeca, quã Prouidus aſſerebat, ſed alia quædam eſt intrinſeca, & abſque omni dimenſione. Ea vero eſt imago ſui ipſius, & conditionum particularium ad ſe pertinentium; quæ relucet in ſpecie intelligibili, hærente intellectui, etiam poſt mortem, vt dictum eſt antea. Nemo quippe eſt, qui frequentiſſime ſe ipſum non conceperit, atque proprias conditiones non cognouerit; dum hanc vitam degit. Vnde neceſſe eſt vt ſpeciem intelligibilẽ genuerit ea omnia repræſentantem, puta ſexum, nomen, naturam, qualitateſque, atque conditiones omnes. Cumque ſpecies illæ remaneant etiam in intellectu ſeparato, efficitur vt earum auxilio, in ipſo reſulgeat imago totius hominis, conditionumque omnium particularium illius, cuius anima illa fuit aliquando pars eſſentialis. Quamobrem cum in anima Matris Vlyſſis ſpecies quædam exiſteret, in qua reſulgebat ſe eſſe Anticleam, filiam Autolici, Vxorem Laertis, Matrem Vlyſſis (ſi modo ipſa dum viueret hæc omnia conſiderauit aliquando) certè qui potuiſſet animam ipſam incorpoream videre, vidiſſet & huiuſmodi ſpeciem, cunctaque in ea refulgentia, atque ita cognouiſſet cuiuſnam illa fuiſſet anima. Aſſero itaque ſingulas ſeparatas animas talem gerere in intellectu proprio imaginem ſui quales ipſæ ſe ipſas, aut quale compoſitum totum cuius pars erant aliquãdo cognouere. Hoc autem, arbitror, euidentiſſimum fiet, ſi illud oſtendero intellectum non vniuerſalia modo cognoſcere, verum etiam ſingularia. Cũ enim hoc negetur à nonnullis, eadem quoque ratione negarent animas ſeparatas in ſe ipſis gerere ſui, aut totius proprij compoſiti imaginem. Oſtendendum autem eſt intellectum ſingularia cognoſcere, non quomodocunque, ſed directè, & per propriam ſpeciem. Nam & ſi Diuus Thomas ipſe quoque fatetur intellectum ſingularia cognoſcere, id tamen non directè fieri ſtatuit, neque per propriam ſpeciem, ſed per conuerſionem ad phantaſmata. Dum enim intellectus per ſpeciem intelligibilem vniuerſalia cognoſcit, quorum tantum, inquit, illa eſt repræſentatiua, conuertit etiam ſe ad phantaſmata, atque ita & ſingulare phantaſmatis cognoſcit. Secundum hanc autem poſitionem æquè corrueret noſtra ſententia, de varietate imaginum animorum ſeparatorum. Cum enim in illis phantaſmata minime remaneant, ſed per mortem deleantur, hinc fieret vt in ſeparatis intellectibus nulla eſſet ſingularis imago, nulla cognitio ſui ipſius, neque vllius ſingularis,

Digitized by Google

laris,contra quam nos ſuppoſuerimus. Oſtendam ergo intellectum cognoſcere ſingulare per propriam ſpeciem, atque directe, ita vt huiuſmodi cognitio æque poſt ſegregationem ſeruetur. INGEN. Merito rogaſti Anonyme, Inclusum, atque Prouidum,ne inceptam ab illis diſputationem ad finem vſque perducerent. Namque vt video,tu quoque longiſſimam quæſtionem tractare inſtitueras. ANON. Non id ego tamen ita tractabo,ò Princeps,vt allatis in vtranque partem argumentis veritatem doceam,& contraria ſoluam argumenta.Hoc enim non ſine multo labore, & nimia huius colloquij prolixitate fieri poſſet. Præterquam quod plurimi etiam hanc quęſtionem diligentiſſime tractauere,ad quos vnuſquiſque facile recurrere poteſt.INGEN. Loca quæſo indices,& Auctores breuiter. ANON. Scotus 7. Metaph.quæſt.16. Antonius Andreas 7. Metaph.quęſt.13. Antonius Trombetta,7.Metaph.q.7.Frãciſcus Toletus 3.de Anima tex.20.quæſt.12. Benedictus Pererius lib.3.Principiorum cap.17. Iacobus Zabarella de Ordine intelligendi cap.3. & alii quamplurimi, quos prætermitto. INGEN. Admiror tuam memoriam Anonyme. ANON. Ego itaque duo tantum agam, eaque breuiter. Primum quidem oſtendam intellectum ſingularia modo aliquo cognoſcere. Deinde propius accedens patefaciam talem cognitionem haberi per ſpeciem propriam ſingulare repræſentantem. Quod igitur intellectus ſua cognitione attingat ſingularia, ſexcentis fere rationibus probatur. Primum quia cognoſcit ſenſationes noſtras,quæ omnes ſunt ſingulares. ſecundo cognoſcit propoſitiones contingentes, & ex eis ſyllogizat. Sunt autem hæ propoſitiones ſingulares. Tertio cognoſcit differentiam inter vniuerſale, & ſingulare. Scit enim definire vtrunque & vtriuſq; proprietates aſſignare, ergo vtrunque diſtincte cognoſcit. Quartò experimur ſuas omnes,& ſingulas intellectiones cognoſcere,reflectendo ſe ſuper ſe ipſum,& actum ſuum.Quilibet autem actus illius,eſt ſingularis.Quinto intellectus imponit nomina rebus ſingularibus, ergo illas cognoſcit. Sexto quicquid poteſt potẽtia inferior poteſt & ſuperior, & aliquid vltra. Senſus, qui ſubiicitur intellectui cognoſcit ſingularia. Ergo eadem cognoſcet & intellectus. Minor eſt euidens. Maior probatur exemplo ſenſus externi,& interni,Phantaſiæue,cui ille ſubiicitur. Hæc enim cognoſcit,quicquid cognoſcit externus ſenſus, nempe ſingulare præſens, & aliquid amplius nempe ſingulare abſens. Quare & intellectus, cui Phantaſia ſubiicitur, cognoſcet quicquid illa poteſt,nempe ſingulare ſiue præſens, ſiue abſens, & aliquid vltra nempe vniuerſale. Quemadmodum enim ſenſus externus ſe habet ad phantaſiam,ita phantaſia ad intellectum. Septimo,intellectus conficit propoſitiones ſingulares,affirmando, vel negando ſingulare de ſingulari, & ex ipſis argumẽta cõponit,inductiones,enthymemata, & ſyllogiſmos expoſitorios.Hæc autem omnia temere fierent,niſi ſingulare cognoſceretur ab intellectu. Octauo, Intellectus corrigit ſenſum circa ſingulare determinatũ, vt patet de Sole, quem intellectus dictat maiorem eſſe,quam appareat oculo.Ergo cognoſcit ſingulare.non enim corrigere poteſt,niſi errorem cognoſcat. Nono Ars, & Prudentia ſunt habitus intellectus,& circa ſingularia verſantur,vt notum eſt. Decimo.Incognita dilige-

re

Digitized by Google

te non poſſumus. Magis autem diligimus ſingulare, quam vniuerſale. Immo præceptum Dei de dilectione magis ſingulare reſpicit, quam vniuerſale. Vide Ioannis primo legitur. Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poterit diligere? Sunt & aliæ rationes, quibus eadem veritas confirmatur, à quarum relatione ſuperſedeo, his decem contentus. Ad ſecundum caput propero, oſtenſurus ſingularis cognitionem non per reflexionem fieri ad phantaſmata, ſed per ſpeciem repræſentantem ſingulare ipſum. In primis autem illud euidentiſſimum fit ea ratione quoniam intellectus multa cognoſcit ſingularia, quæ phantaſma non habent, per quod cognoſcantur, Vt ſunt omnes actus intelligendi, & uoluntatis, qui optimè cognoſcuntur ab intellectu. Hæ uero operationes, & hi actus cum non ab vllo ſenſu percipi poſſint, cum ſint immateriales, nullum etiam habebunt phantaſma, quod illas exprimat, & intellectui oſtendat. Cognoſcētur ergo ab intellectu per propriā ſpeciem. Pręterea ſi ſingulare cognoſcitur ſine propria ſpecie, per conuerſionem intellectus ad phantaſmata, eadem ratione poſſet & vniuerſale cognoſci, contra quam oſtenſum ſit antea. Conſequentia patet, nam & natura ipſa vniuerſalis, ſicuti reuera exiſtit in ſingulari, ita etiam refulget in phantaſmate eiuſdem ſingularis: alioquin non poſſet phantaſma ipſum effectiuè concurrere ad productionem ſpeciei repræſentantis vniuerſale, niſi imago eiuſdem vniuerſalis contineretur in phantaſmate. Et tamen hæc eſt communis ſententia ſpeciem ipſam intelligibilem effectiuè produci à phantaſmate, vna cum agente intellectu. Quare ſicuti ad cognoſcendum vniuerſale ab intellectu neceſſaria ſpecies eſt, quamuis in phantaſmate refulgeat, ita & de cognitione ſingularis erit ſtatuendum. Tertio cauſſa naturalis cum ſemper agat ad vltimum potentiæ, niſi quid illi reſiſtat, producit perfectiſſimum effectum, ſibique omnino ſimilem. Productio autem ſpeciei intelligibilis pendet per modum naturæ à phantaſmate ipſo, & agente intellectu, ut dictum eſt, & recipitur in intellectu poſſibili, in quo nulla eſt reſiſtentia. Producetur ergo ſemper ſpecies perfectiſſima, ſimillimaque phantaſmati. Talis autem eſt rei ſingularis. Nam ſicuti prima ſubſtantia eſt perfectior ſecunda, ita ſpecies repræſentans primam, perfectior erit repræſentante ſecundam tantum. Amplius uero & phantaſma ipſum rem ſingularem primò refert. Primò ergo & ſpeciem ſingularis imprimet in intellectu.

PROVID. Simili ratione & nonnulli utuntur ad indicandum ſingulare eſſe primo cognitum ab intellectu. ANON. Et rectè vtuntur.

Quarto & ultimo ſic arguo. Duabus cauſſis ad eundem effectum concurrentibus altera vniuerſali, altera particulari effectus ſequitur particularem. Patet in generatione hominis, quæ procedit à Sole, & homine. At in productione ſpeciei intelligibilis intellectus agens concurrit ut cauſſa uniuerſalis, phantaſma vt particularis. Ergo & ſpecies ſequetur conditionem phantaſmatis, ergo & ſingulare referet, ſicut & phantaſma. 1. Meth. c. 2. q. 3. ſec. 6.

SITIC. Hæ duæ poſtremæ rationes ſunt equidem valde efficaces, ita ut & Fonſeca, qui contrariam ſentētiam tuetur aſſerat magnum eſſe earum

X robur.

robur. ANONYM. Cur ergo ipſe quoque non noſtræ adhæret opinioni? SITIC. Quia inquit repugnare ſpeciem intelligibilem dari rei ſingularis. ANONYM. Probat ne? SITIC. Probat. Aſſumens enim intellectum noſtrum medium eſſe inter ſenſum & intellectum ſubſtantiarum ſeparatarum, inquit, quod cum ſenſus ſola ſingularia cognoſcat, intellectus autem angelorum & ſingularia, & vniuerſalia percipiant; dicendum eſſe intellectum noſtrum ſola vniuerſalia cognoſcere, ne eiuſdem perfectionis ſtatuatur cum ſeparatis intellectibus. ANON. Ignorauit ergo Fonſeca differentiam cognoſcendi ſingularia inter angelos, & homines. SITIC. Quænam iſthæc eſt differentia? ANON. Quoniam Angeli ſingularia cognoſcunt, ſub ratione ſingularitatis, homines autem nequaquam. SITIC. Hanc diſtinctionem non planè intelligo. ANONYM. Audi ergo. Singulare dupliciter cognoſci poteſt, vel ſub ratione ſingularitatis, vel ſub ratione totius actu continentis ſingularitatem, ita vt totum obiectum adequatum intellectus ſit ipſa natura facta ſingularis per differentiam indiuiduantem. Prima cognitio ſingularis illa eſſet, quando ſingularitas ipſa, indiuiduanſque differentia eſſet ratio intelligendi, & obiectum adæquatè intellectum, ita vt diſtinctè, atque perfectè cognoſceretur, diſtingueretur que ab alia qua libet ſingularitate. Hac autem ratione non cognoſcitur à nobis ſingulare. Quod ea ratione patet, quoniam ſi duæ albedines eſſent in eodem loco, & eſſent eiuſdem intenſionis, non diſcerneremus vnquam, ſi ſeparentur, & ſigillatim videantur, hanc non eſſe illam. Sicuti neque intellectus noſter nō diſtinguet duo ſingularia, circunſcripta diſtinctione omni accidentali, quę eſt per locum, magnitudinem, figuram, colorem & alia huiuſmodi; iudicaremus enim ea eſſe vnum. Sicuti videmus etiam accidere in radijs ſolaribus, in muſcis, in ouis, & alijs, quæ valde ſunt ſimilia. Hoc inquam modo intellectus noſter non cognoſcit ſingularia; qui tamen perfectiſſimus eſt modus illa cognoſcendi. Hic tamen angelis competit. At ſecundo modo dicitur cognoſci ſingulare, quando ſingularitas ipſa cognoſcitur quidem, non vt obiectum adæquatum, ſed vt pars obiecti; tunc autem cognoſcitur adęquatè ſingulare totum prout conſtituitur ex natura, & Indiuiduali differentia. Hoc igitur modo, qui imperfectior eſt, cognoſcitur à nobis ſingulare, vt argumenta adducta patefaciunt. Non erat ergo quod Fonſeca timeret ne homo Angelis æqualis fieret, ſi ſingularia cognoſceret hoc modo. SITIC. Mihi ſummopere placuit hæc doctrina, videoque Fonſecam trepidaſſe timore, vbi non erat timor. Tamen & aliud addit argumentum in eandem ſententiam; quod non ſpernendum videtur. Inquit enim Naturam abhorrere ſuperuacanea: ſpecies autem intelligibiles naturarum communium ſufficere ad intelligenda ſingularia, adiunctis earum Phanſmatibus. Superfluum ergo adiungere ſpecies ſingularium.

ANONYMVS. Errat & hic Fonſeca. Non enim poterit hoc modo euitare, quin & ſpecies vniuerſalium, ſint in natura ſuperfluæ. Nam & vniuerſalia videri poſſunt in phantaſmate, vt oſtenſum antea. Verum propius accedo ad argumentum, nihilque ſuperfluum poni ſtatuo, ſi ſpecies intelligibilis ſingularium detur, neque ſufficere phantaſma ad

ſingularis

ſingularis cognitionem. Intellectus enim, & Phantaſia duæ ſunt potentiæ toto genere differentes, quare & earum operationes debent à cauſis toto genere differentibus proficiſci. Non ergo vlla operatio intellectus propria poterit immediatè proficiſci à phantaſmate, quod immediata etiam cauſſa eſt operationis phantaſiæ. Continebit ergo intellectus aliquid ſibi proprium quo intelligat, ſicut & phantaſia phantaſma continet, quo ipſa operatur. Tale autem non aliud eſt niſi ſpecies. Cumque intelligat & ſingularia, hoc autem fieri nequeat auxilio ſpeciei repræſentantis vniuerſale, danda illi erit & ſpecies ſingularium, qua poſſit illa cognoſcere.

SITIC. Neque huic rationi uideo, quid poſſit Fonſeca rurſus obijcere. Attamen addit & Auctoritatem Ariſtotelis, qui in tertio de Anima Textu Decimo inquit vniuerſalia cognoſci à nobis directè, ſingularia autem reflexè. Et interpretatur, directè, per ſpeciem propriam, Reflexe, conuertendo ſe ad Phantaſmata.

ANONYM. At vero Siticuloſè, locus hic Ariſtotelis eſt obſcurior, quam per ipſum poſſit hæc ſua opinio comprobari. Argumento eſt varietas, & diuerſitas opinionum, & expoſitionum eiuſdem textus, quæ reperitur inter Auctores. Immo ſi quis accuratè conſideret, atque perpendat locũ illum, totum contrarium colliget, nempe vniuerſalia per lineam reflexam cognoſci, ſingularia vero per rectam.

SITIC. Noua penitus eſt huiuſmodi expoſitio, quam polliceris, Anonyme. ANONYM. Vis ne experiamur, quàm ipſa ſit ad aures Philoſophi? SITIC. Nihil magis opto.

Expoſitio Textus Decimi, Libri Tertij de Anima.

PRæſtat in primis Græcam Ariſtotelis dictionem afferre, quę ſic habet. τῷ μὲν οὖν αἰσθητικῷ τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν κρίνει καὶ ὧν λόγος τὶς ἡ σάρξ ἄλλῳ δὲ ἤτοι χωριστῷ, ἢ ὡς ἡ κεκλασμένη ἔχει πρὸς αὐτὴν ὅταν ἐκταθῇ, τὸ σαρκὶ εἶναι κρίνει. Senſitiuo igitur calidum, & frigidum iudicat, & quorum ratio quædam caro eſt. Alio autem vel ſeparabili, vel ut circunflexa linea ſe habet ad ſe ipſam quando extenſa fuerit, carni eſſe diſcernit. Hic textus eſt Decimus. Pro cuius exacta explicatione illud eſt animaduertendum, quod Ariſtoteles in textu nono conſiderans aliud eſſe magnitudinem, puta hãc, aliud magnitudinis eſſe, ideſt eſſentiam; & aliud eſſe hanc aquam, & eſſentiam aquæ; ſicut & aliud eſt hæc caro, & carnis eſſe, aſſumpſerat Mentem, & intellectum hęc omnia cognoſcere, ſcilicet & eſſentiam, & rem ipſam indiuiduam & materiatam; in dubium autem reliquerat, quomodo poſſet tam varia cognoſcere. Concluſerat tamen Mentem ipſam, vel per diſtinctam facultatem ea cognoſcere, vel à ſe vario modo ſe habente. De his enim cognoſcilibus loquens in tex. 10. inquit, ἢ ἄλλῳ ἢ ἄλλως ἔχοντι κρίνει ὁ νοῦς. vel alio, vel aliter ſe habente mens ipſa iudicat & diſcernit carnem, & carnis eſſe; aquam & aquæ eſſe, & ſic de alijs. Poſito ergo mentem, vtrunq; cognoſcere, licet incertus ſit modus, in textu decimo, difficultatem ſoluit,

& modum hunc declarat. Inquit igitur hanc mentem uti ſenſitiuo dum calidum, & frigidum iudicat, per hæc intelligens ſenſibilia omnia, quæ ſunt indiuidua, & ſingularia accidentia; ſimiliter vtitur inquit, mens ſenſitiuo ad iudicanda ea, quorum ratio quædam caro eſt; ideſt carnes particulares, per has intelligens compoſita omnia ſingularia. Inquit ergo uti mentem ſenſitiuo ad hæc cognoſcenda, quia ſenſu ipſa vtitur, vt illa intelligat. Nam per ſenſitiuum omnes ſenſus denotat. At in cognoſcenda eſſentia rerum, quam per Carni eſſe ſignificat, inquit mentem ipſam vel vti alio ſeparabili, nempe alia facultate à ſenſu diuerſa, & ſeparabili; aut certè ipſam Mentem aliter cognoſcere eſſe carnis, quam carnem hanc cognoſcat; id autem pręſtare more lineæ circunflexę, quæ redit ad ſe ipſam poſtquam extenta fuerit; Perindeatque Mens ipſa ſingularia cognoſcens ſit ueluti linea quædam ſui natura circunflexa, ſed quæ extenſa ſit ab aliquo; cum autem vniuerſale, & eſſentiam rerum cognoſcit (niſi per ſeparabilem facultatem cognoſcat) ſimilis fit eidem lineæ circunflexæ, & antea extenſę, cum ad ſe ipſam redit. Hæc germaniſſima eſt textus conſtructio, cui & Græca dictio maximè fauet; & ratio ipſa illius veritatem patefacit. Suppoſito enim Mentem cognoſcere & externa ſenſibilia, & eorum eſſentias, equidem cognoſcit alio ipſa ſenſibilia ſingularia, nempe ſenſu. Dum autem hoc fit euadit ipſa Mens ut linea quædam circunflexa, quæ extenditur. Cognoſcit enim ſenſibile directè conuerſa in ſenſum, vt manum, vel brachium extendimus, dum aliquid ab offerente optamus recipere. Extenditur etiam mens hoc modo, quoniam tunc videtur inducere conditionem ſenſus, ad illiuſque naturam trahi, nil ultra cognoſcens, quam quod & ſenſus ipſę cognoſcere poteſt. At rerum eſſentiam non hac ſanè ratione cognoſcit, ut conſtat; Ergo alia, atque diuerſa. Hæc autem diuerſa ratio duplex eſſe poteſt. Vel quod Mens alia etiam facultate utatur, diuerſa à ſenſu, & ſeparabili; uel quod, nulla utens, ipſa per ſe ipſam illam intelligat eſſentiam, quam ſenſus nullo modo poteſt attingere. Qui ſecundus modus ſi admittatur, nemo eſt, qui non fateatur tunc Mentem euadere veluti lineam quandam, quæ cum ſui natura ſit circunflexa, & extenſa fuerit antea, reuertitur ad ſe ipſam. Nam ſicuti antea ſingulare cognoſcebat directè conuerſa in ſenſum, tanquam brachium extendens, quo cognitionem ſingulariũ reciperet, ita tanquã ad ſe illud retrahat, & in ſe redeat, & reflectatur; ipſe per ſe ſolam contemplatur eſſentiam rerum, ſic optimè patefaciens quam ſit ſenſu ipſo nobilior, atque præſtantior. Iam ergo uidere potes textum hunc minimè fauere Fonſecę, ſed potius aduerſari.

SITIC. Sanè aduerſatur; nec vlla ratione poteſt hæc expoſitio reprobari; adeo eſt accomodata verbis Ariſtotelis, & rationi. Sed quid bone Deus fuit in cauſſa, ut non modo hanc non uiderit Fonſeca expoſitionem, ſed neque tot Præſtantes uiri, qui eodem modo textum hunc interpretantur?

ANONYMVS. Illam arbitror fuiſſe erroris cauſſam, quoniam illi verba hæc (cum extenſa fuerit, carni eſſe diſcernit) ſeiungebant à præcedentibus. Vnde cõcludebant carnis eſſe cognoſci per lineã extẽſam. Verũ

ſi quis

ſi quis accurate & Græcum codicem, & Latinam verſionem conſideret, videlicet proculdubio nihil illum textum concludere, niſi totum hoc ſimul coniungatur, (vt circunflexa linea ſe habet ad ſe ipſam cum extenſa fuerit, carni eſſe diſcernit) ideſt, mentem eo modo eſſentias cognoſcere, quo quis imaginetur lineam, aut virgam aliquam natura ſua circunflexam reuerti ad ſe ipſam poſtquam extenſa fuerit antea. Sic enim euenit intellectui vniuerſalę conſideranti, vt dictum eſt. Prius enim neceſſe eſt illum extendi ad ſenſum ſingularia, & ſenſibilia cognoſcendo. A quibus poſtmodum abſtrahens vniuerſale, illudque vi ſua peculiari conſiderans videtur quodammodo ad ſe ipſum reuerti.

SITIC. Non alia ſanè fuit erroris eorum expoſitorum cauſſa. Iam video ipſum Fonſecam nullo modo poſſe defendi. Alia quidem ipſe argumenta quoque in contrarium affert, vltra relata; quæ cum innitantur auctoritatibus Themiſtij, Simplicij, Philoponi, Alberti Magni, aliorumque nonnullorum, omnia vero facile ſoluantur, per ea, quæ dicta ſunt hactenus, ea prætermittam.

ANONYM. Facias quod lubet. Ego itaque ita concludam, quod cum intellectus noſter per ſpeciem propriam ſingulare cognoſcat, ſpecies vero & poſt mortem remaneat in intellectu, colligam inquam & mortuorum animas intra ſe imagines ſingularium omnium, quæ in hac vita cognouere, conſeruare; & ex conſequenti & imaginem proprij compoſiti, atque indiuidui, cuius ipſæ forma, & pars eſſentialis extitere. Atque ita per huiuſmodi imaginem ipſæ ab inuicem diſtinguentur, tanquam per imaginem quandam illi effigiei ſimilem, peculiarique conditioni, qua præditum erat compoſitum.

INGEN. Incluſè, meditare qua ratione anima ſeparata poſſit futura prænoſcere; hoc enim caput explicandum ſupereſt; Tu itaque id ſequenti colloquio explicabis.

Animam ſeparatam non poſſe naturaliter futura præcognoſcere: Poſſe tamen ea videre, quæ apud nos aguntur, & multorum cognitionem adipiſci nouam, quorum ignorantia tenebatur in hac vita.

COLLOQVIVM XLVII.

INGENIOSVS.

BREVITER, ò Amici, ego me expediam ab onere illo, quod mihi Princeps noſter impoſuit. Quamuis enim inter alia, quę hoc libro Homerus canit de Anima ſeiuncta, illud maxime à lectoribus obſeruetur, quod aſſerit de Tireſia, inquiens illum futura præuidiſſe, & prænunciaſſe, poſtquam è ſanguine bibiſſet, ſicuti & reliquas quoque animas feciſſe legimus, ſi

quis tamen quærat nunquid anima id valeat naturaliter efficere, huic ego negatiuè reſpondebo, aſſerens fieri illud minimè poſſe. Sed id ſolius Dei eſt proprium. Qui ſicuti omnia in ſe eminenter continet, preterita, præſentia, & futura, nihilque illi præteritum eſt, aut futurum, ſed cuncta ſunt præſentia, ita cuncta videt, & diuiniſſimè cognoſcit. Quod ſi animæ beatorum, aut etiam ſpiritus cacodæmonum aliquando futura prenunciant, id ex diuina voluntate, ac diſpenſatione procedit. Beati ſcilicet ſicuti beatifica Dei uiſione fruuntur, ita illo reuelante poſſunt in eo ipſo futura videre, atque cognoſcere. Poteſtque Deus inſuper idem & malis ſpiritibus permittere, illis per angelos indicando. At naturaliter id fieri nequit, atque in hac ſententia omnes videntur Theologi conuenire. Quid? Quod & Ethnicus Homerus, videtur tale aliquid tanquam in ænigmate cognouiſſe. Non enim aſſerit Animam Tireſiæ naturaliter futura præuidiſſe, ſed permittentibus, concedentibuſque dijs hoc illi munus, & donum peculiare. Inquit enim in libro decimo de Tireſia verba faciens.

Huic quamuis mortuo mentem tribuit Proſerpina
Soli ſapere.

Nam etſi cæteræ quoque animæ poſtquam ſanguinem bibiſſent Vlyſſi indicabant nonnulla euentura, hoc non ſuperat animę naturalem facultatem, ea ratione, quoniam eadem poterant ab alia anima, ut fortè ab illa Tireſię intelligere. Poteſt enim vna anima alteri indicare, quæ ipſa cognouit, vt docet Doctor Angelicus, nec non & Auguſtinus libro de cura pro mortuis agendo. Immo ſi rectè conſiderentur Homeri carmina, ipſe quoq; videbitur neſcio quid tale ſignificaſſe, quod, vna excepta Tireſiæ anima, quam à Dijs inquit futurorum notitiam accepiſſe, reliquæ omnes ab illa, vel alia aliqua ea omnia acceperint, quæ Vlyſſi indicabant. Quod ex eo patet, quoniam ea tantummodo cognouiſſe videntur, de quibus illas Vlyſſes percontabatur, aut ad eum quomodocunque pertinerent. Quę uero ad ſe ipſas ſpectabant, & quæ ſcire optabant, uidentur ignoraſſe. Patet hoc ipſum in Agamemnonis vmbra. Quæ cùm multa ex ordine futura, & Vlyſſi euentura prenunciaſſet, ſic deinde illum de proprio filio Oreſte interrogauit.

P. p. q. 89. art. 7.

Sed age mihi dic, & verè enarra,
An fortaſſis adhuc viuentem audiuiſti filium meum:
Siue in Orchomeno, aut in Pylo arenoſa,
An alicubi apud Menelaum in lata Sparta.

Agamemnon hic apertè ignorabat, quæ proprio filiò Oreſti hactenus acciderant, tantum abeſt vt cognoſceret quæ illi erant euentura. Conſtat ergo neque Homerum exiſtimaſſe mortuorum animas ui propria futura pręnoſcere; Tireſiamque ipſum deorum munere hanc notitiam accepiſſe.

INGEN. Cum ego quoque putem id veritati eſſe conſonum, quod dictum eſt hactenus, in eoque Philoſophi omnes, atque Theologi conſentiant,

tiant; ne tamen tam cito colloquium hoc diſſoluatur, illud ego aliquem veſtrum interrogabo, an ita de præſentibus, quæ apud nos aguntur cenſendum ſit, vt de futuris dicebatur. Scilicet an animæ ſeparatæ ea cognoſcant, quæ hic apud nos fiunt, nec ne?

PROVID. Sunt qui iſtud negent, ſunt & qui concedant. At vero huius difficultatis determinatio, ex alterius quæſtionis determinatione pendere videtur, ea ſcilicet, num anima poſtquam ſeiuncta fuerit poſſit aliquid addiſcere, quod antea in corpore non cognouerit. Vt cum infantis anima de mortui nihil fere in hac vita didicerit, poſſit ne poſtquam ſeiuncta fuerit naturaliter, & ab obiectis his externis eorum cognitionem adipiſci.

INCLVS. In hoc negotio ſi volumus Homeri ſententiam inueſtigare, videbimus illum affirmatiuam partem amplexum eſſe; Cernimus enim in hoc vndecimo libro mortuorum animas Vlyſſem interrogare de multis, illumque audire reſpondentem. Et iuxta reſponſorum varietatem alias quidem lætari, alias autem dolere. Quod minimè fieri poſſet, niſi ipſæ naturaliter poſſent incognita cognoſcere. Talem fuiſſe Homeri ſententiam ſatis indicat antea relatum exemplum de anima Agamemnonis interrogante Vlyſſem de filio Oreſte. Abundantius tamen idem oſtendit Achillis umbra. Quæ cum Vlyſſem rogaſſet, vt ſi quid de Peleo patre, aut Neoptolemo filio adhuc viuente intellexiſſet, indicaret ei; ipſe vero multa Heroicè geſta narraſſet: ſubdit Homerus in verſu 537. in perſona Vlyſſis.

Sic dicebam, anima autem pedibus celeris Aeacidæ
Abibat magnificè pedibus incedens per herboſum pratum.
Lætitia, quod eius dixiſſem filium inclytum eſſe.

Poſſunt ergo ſeiunctæ animæ ſecũdum Homerum naturaliter nouam acquirere ſcientiam, & cognitionem rei prius ignotæ, idque ab externis ipſis rebus. INGEN. Neque hoc mihi eſt ingratum intellexiſſe, quid Homerus ipſe ſenſerit. Sed quid ſecundum veritatem dicemus?

INCLVS. Semper mihi placuit præceptorum meorum ſententia; quã, ſi vobis lubet, ego hoc loco breuiter explicabo, omiſſis illis, quæ ab aduerſarijs in contrarium dici ſolent. Dicebat ergo Bernardinus Sainus Præceptor meus, ſeparatam animam poſſe à rebus ipſis, quæ apud nos ſunt, ſcientiam, & cognitionem nouam acquirere, dicebatque hanc fuiſſe ſententiam Scoti. Quam quidem doctrinam vt ego facilius explicem illud primum ſupponendum eſt, quod antea oſtenſum fuit hoc loco, ad intellectiuam ſcilicet cognitionem producendam ſatis eſſe ſi duo hæc adſint, intellectus ſcilicet & ſpecies intelligibilis obiectum repræſentans cognoſcendum. Idem ergo erit quærere an anima ſeparata poſſit à rebus ipſis cognitionem aliquam acquirere de nouo, & nunquid ipſa poſſit nouam aliquam ſpeciem intelligibilem, quam prius non habebat in corpore, poſt ſeparationem adipiſci. Nam illas, quas cum corpore eſt adepta, iam conſtat ſeruari poſt mortem, & ex conſequenti ſcientias omnes acquiſitas in uita, etiam corpore reſoluto remanere.

Sco. 4. ſen. d. 45. q. 2.

INGEN. Quomodo ergo cognoſcemus ſeparatam animam nouas ſibi ſpecies gignere? aut ab obiectis externis immutari?

INCLVS. Nulla potior via inueniri poteſt ad illud cognoſcendum idonea, quam inueſtigando cauſſas, & modos, quibus in hac vita eædem ſpecies producuntur in anima. Cum itaque ſpecies hæc intelligibilis ſit imago quædam & qualitas immaterialis exiſtens in intellectu, & obiectũ aliquod repræſentans, communis eſt ſententia illam ab intellectu ipſo agẽte, vna cum phantaſmate iuncto generari, & produci. Intellectus quidem ipſe cum ſit à materia ſeiunctus, & incorporeus efficit etiam ſpeciem immaterialem, & incorpoream; non poteſt tamen ipſe ſolus illam producere. Cum enim eius munus ſit abſtrahere à materia obiectum quodlibet, & vt inquit Ariſtoteles omnia facere, ſi ipſe ſolus poſſet ſpeciem aliquam intelligibilem producere, poſſet & omnes. Cumque in poſſibili intellectu nulla ſit reſiſtentia ad illas recipiendas, ſed ipſe quoque ſit omnia fieri, ſequeretur quod ſimul omnium rerum ſpecies producerentur in intellectu quod tamen conſtat eſſe falſum. Ad huiuſmodi igitur potentiam intellectus determinandam, coarctandamq; ad hanc vel illam ſpeciem producendã, aliqua requiritur cauſſa particularis, quæ nulla alia eſt niſi phãtaſma ipſum. Phantaſma quippe lapidis & intellectus agẽs, ſpeciem lapidis producũt in poſſibili, vt duæ cauſſæ partiales vna integram conſtituentes. Vnde quod illa ſpecies ſit immaterialis, id habet ab intellectu, cuius munus eſt trãsferre de ordine in ordinẽ, vt dicebat Auerroes; Quod autem lapidem, non equũ, aut leonem referat, id habet à phantaſmate lapidis. TVTVS. Nõnullos audiui aliquando de huiuſmodi re differentes, qui dicebant Phantaſma ipſum non concurrere effectiuè ad ſpeciei generationẽ, ſed tantummodo actionẽ intellectus determinare, eo modo quo lutum Solis actionem determinat ad indurandum, cera vero ad emolliendum.

Tom. 1. Met ca. 2. q. 3. ſect. 6 INCLVS. Communior tamen, probabiliorque ſententia eſt eorum qui ſtatuunt phantaſma ipſum verè agere in intellectum, eſſeque ſpeciei cauſſam partialem effectiuam. Cum enim ſpecies ipſa ſit phantaſmati ſimilis in repræſentando, diſſimilis autem ratione ſubiecti, non poterit phantaſma eo modo concurrere ad ſpeciei productionem vt illi dicunt. Varia enim materiæ diſpoſitio poteſt quidem effectum variare, ſed illum tantum, qui in eadem materia, ſeu ſubiecto recipitur, non illum, qui in alio. Non enim ceræ diſpoſitio Solem determinat ad emolliendum lutum, neque luti qualitas ad ceram indurandam, ſed vnumquodque illam tantum actionem determinat, cuius ipſum eſt ſubiectum, atque materia. Cum itaque ſpecies ipſa nõ in ipſo phãtaſmate, aut phantaſia producatur, ſed in intellectu poſſibili, nulla ratio oſtendit quomodo phantaſma diſpoſitiuè tantum, & more materiæ concurrat ad illius productionem. Hæc enim determinans diſpoſitio in intellectu poſſibili eſſet reponenda.

TVTVS. Optimè concludit ratio. INCLVS. Dicamus itaque intellectum agentem, atque Phantaſma duas eſſe partiales cauſſas ſpeciei intelligibilis productrices. Producunt autem illam in intellectu poſſibili, vt in ſubiecto aptè diſpoſito.

His

His ita conſtitutis euidenter videtur concludere ratio Scoti.quod anima feiuncta poſſit ſibi nouas ſpecies intelligibiles comparare ab obiectis hiſce externis. Nam quotieſcunque naturalis cauſſa efficiens,atque perfecta apponitur materiæ recte diſpoſitæ ad effectum recipiendum, ſtatim effectus ipſe producitur,vt oſtenſum eſt antea. At vero poſt animæ ſeparationem poteſt perfecta ſpeciei cauſſa intelligibilis, ſubiectumque illius recte diſpoſitum ſimul iungi,& debite approximari. Species ergo producetur. INGEN.Negatur minor. INCLVS.Facile oſtenditur. Nam in anima ſeiuncta primum conſtat reperiri intellectum agentem & poſſibilem, hic autem ſemper eſt ex ſe paratiſſimus ad quamcunque ſpeciem recipiendã. Ille vero eiuſdem eſt virtutis,ac perfectionis cuius erat in corpore.Quare ſi adſit reliqua cauſſa partialis agens, debite approximata poſſibili intellectui,ſtatim ſpecies producetur. INGEN. At in hac cauſſa inuenienda conſiſtit opus,& labor. INCLVS. Nonne talis cauſſa poteſt obiectum externũ eſſe,ſi cum debita proportione ſit præſens?Ita,quemadmodum intellectus agens in hac vita, vna cum phantaſmate lapidis ſpeciem lapidis producebat,ſic & intellectus ſeparatus,meo quidem iudicio,vnà cum lapide pręſente eandem ſpeciem producet.INGEN.Durum admodum hoc videtur, quod obiectum externum abſque phantaſmate imprimere in intellectu ſpeciem poſſit, neque aliter in illum agere. INCLVS. Quænam obſecro, maior ratio eſt Ingenioſe dulciſſime, aut(vt rectius loquar)quæ maior eſſe vis poteſt ſolius phantaſmatis,quod ipſum quoque ab obiecto externo totum pendet,quam obiecti ipſius tale phantaſma producentis? Immo cum phantaſma ipſum in generatione ſpeciei concurrat quatenus eſt obiecti externi repræſentatiuum,multo magis id efficere poterit obiectum ipſum repræſentatũ,ſi debitè fuerit pręſens. Nihil enim,vt optimè Præceptor meus dicebat,eſt in phantaſmate per quod ſpeciem poſſit intelligibilem producere, quod eminentius non ſit in re ipſa, cuius eſt imago phantaſma. INGEN. Validiſſima ratio. INCLVS. Confirmatur deinde hæc ſententia, quoniam nulla natura, vt Ariſtoteles ait, conſiſtit ſine propria operatione. At rationalis anima eſt perfectiſſima forma, cuius operatio ſecundum voluntatem eſt velle,ſecundum intellectum poſſibilem intelligere,& ſecundum agentem abſtrahere. Quare nullus eſſendi,aut conſiſtendi modus poterit animæ conuenire, in quo huiuſmodi operationes edere non poſſit. Cumque anima poſſit ſine corpore conſiſtere, ergo & ſine corpore abſtrahet,intelliget,& volet.Ergo & ſpeciem nouam producet,quæ gignitur abſtractione.INGEN.Optima ſane doctrina.ANON.Hęc quidem ò Incluſe, ſatis efficaciter concludunt, de cognitione,vt aiunt,abſtractiua,quæ ad rei eſſentiam terminatur. At de intuitiua, quæ in rei exiſtentiam fertur, quid ſentis?INCLVS.Tu ipſe videre potes multo euidentius comprobari poſſe affirmatiuam partem de cognitione hac intuitiua,quam de abſtractiua,dũmodo illud mihi concedas intellectum pro ſtatu iſto certum eſſe poſſe de rei alicuius exiſtentia.ANON.Quid ni concedam? INCLVS. Hanc igitur certitudinem putaſne à phantaſmate, aut ſpecie ipſa intelligibili ſufficienter cauſſari poſſe? ANON. Haudquaquam.Etenim tam ſpecies ipſa,quam phantaſma

4. ſent. 6. 45.q.2.

2.Cæli 17

Digitized by Google

phantaſma rem repræſentant abſtrahentem ab omni exiſtentia. Scilicet indifferenter illam referunt exiſtentem, vel non exiſtentem, præſentem, vel abſentem. INCLVS. Optimè dicis. Si ergo intellectus aliquando certo cognoſcit exiſtentiam rei, per intuitiuam cognitionem, hanc autem certitudinem efficere haud poteſt ſpecies, neque phantaſma, dicere proculdubio oportebit illam ab obiecto cauſſari præſente vna cum intellectu agente, atque poſſibili. At tria hæc conuenire non minus poſſunt anima ſine corpore exiſtente, atque vna cum eo iuncta. Quare & effectus ipſe, nempe cognitio, quæ ab illis cauſſis naturaliter procedit æque producetur in anima ſeparata, atque coniuncta. ANON. Subtilis ſane hæc eſt, elegansque doctrina. INCLVS. Illud tamen addo, pro exactiori explicatione huius ſententiæ, ad huiuſmodi cognitiones in anima ſeparata producendas, præcipue vero ad intuitiuam (immo & ad abſtractiuam cũ primo acquiritur) requiri neceſſario, vt obiectum externum in proportionata diſtantia ſit præſens poſſibili intellectui, in quo cognitio, ſeu ſpecies producitur. Cum enim hæc nõ fiat, niſi externo obiecto agente in intellectum, ſphæra autem actiuitatis cuiuſcunque agentis naturalis, atque finiti, ſit finita, & terminata, neceſſe prorſus eſt, vt ex parte agentis obiecti, anima ſeparata, ſi effectum ſit receptura, intra ſphæram actiuitatis eiuſdem obiecti contineatur. Nam ſi ſit extra neque obiectũ in illam aget, neque cognitio producetur. SITIC. Tamen Boetius, de Hebdomadibus inquit incorporea neque in loco eſſe neque in ſua operatione localem diſtantiam requirere. INCLVS. Ad hoc
8.Phy.84 ipſum reſpondet Scotus negando Boetij Auctoritatem, opponendo illi Ariſtotelicam. Ariſtoteles enim ſtatuit intelligentiam ſeparatam non poſſe Cœlum mouere, niſi in aliqua eiuſdem orbis parte conſiſtat. Et alibi etiam ſtatuit agens & patiens ſimul eſſe debere, ad hoc vt actio producatur, ſiue modus hic eſſendi ſimul ſit per contactum, qui proprius eſt corporum, ſiue per mutuam præſentiam, quæ & in ipſis incorporeis rebus repertur. HOSPES. Ego mihi videor aliam adinueniſſe reſponſionem qua & Boetij auctoritas incorrupta manet, & tua doctrina ſimul optime ſuſtinetur. INCLVS. Ne illam nobis inuideas, Hoſpes. HOSPES. Boetius inquit incorporea vt operentur non requirere localem diſtantiam, & rectè fortaſſe ſentit; at hoc non prohibet, quod eandem diſtantiam requirant, vt patiãtur à corporeis. Quod quidem eorum præſtantiam arguit, & nobilitatem, vt ſcilicet non à quomodolibet diſtanti ipſa patiantur. At vero hoc ipſum nihil tuæ officit doctrinæ. Intellectio enim ipſa, & ſi ſit actus intellectus ipſius, effectiue tamen procedit & ab obiecto in poſſibilem intellectum agẽte, vt eſt antea traditum. Quod quidem obiectum, cum non in quantamcunque diſtantiam agat, ſphæram habens finitam actiuitatis, requirit vt patiens ſiue corporeum ſit, ſiue non, ſit debite approximatum, vt reſultet effectus. Quare & intellectus, vt intelligat de nouo, non longe abeſſe ab obiecto debebit, etiam ſi ſeparatus exiſtat. Quamobrem proportionata hæc diſtantia animæ ad obiectum non requiritur ex parte animæ patientis, ſed reſpectu agentis obiecti. Boetij vero auctoritas de agente ipſo incorporeo eſt intelligenda. INCLVS. Multo melior fuit hæc tua ſolutio reſponſione Scoti;

ti; mihique gratiſſima eſt. Concludam ergo ſeparatas animas ab obiectis externis proportionatè præſentibus nouam ſcientiam, atque cognitionem recipere poſſe,tam abſtractiuam eſſentiæ quàm intuitiuam exiſtentiæ. Cuius eiuſdem ſententiæ videtur certè & Homerus fuiſſe. Nam in hoc libro videre eſt animas omnes tam illas, quæ ex ipſo ſanguine bibiſſe dicuntur, quam quæ illum minimè tetigerunt, vt Aiacis anima, omnes inquam videre eſt hoc loco Vlyſſem prope aſtantem cognouiſſe, cum tamen multæ illarum ignoraſſe dicantur ſtatum filiorum, aut parentum, qui longe aberant. Videmus enim Agamemnonis animam deprecatam fuiſſe Vlyſſem, vt ſi quæ noſſet de filio Oreſte enarraret; ſicut etiam Achillis vmbra eundem rogauit Vlyſſem, vt ea aperiret, quæ de Peleo Patre, aut Neoptolemo filio fortè intellexiſſet. Quæ omnia facile indicant Homerum exiſtimaſſe, animas ſeiunctas naturaliter propinqua cognoſcere, ignorare vero quæ nimium ſunt remota. PROVID. Mihi quoque placeret hæc ſententia, niſi difficultas quædam maxima obſtaret. INCLVS. Quænam iſthæc eſt difficultas? PROVID. Quoniam anima dum vnitur corpori nihil quicquam intelligit, niſi prius idem ſenſu cognouerit. At ſi vera ſunt ea, quæ dicta ſunt hactenus, ſufficere videretur, ſi obiectum eſſet debitè intellectui præſens. Vnde vt lapis intelligeretur, ſatis eſſe deberet ſi proximus eſſet intelligenti, quantumuis dormienti, aut omnibus ſenſibus deſtituto; quod tamẽ conſtat eſſe falſum. Conſequentia videtur euidens. Idem enim eſt intellectus, & eadem ipſius virtus ſeparati, & cum corpore coniuncti. INCLVS. Non ſpernenda oppoſitio. Quam etiam ſcio varijs modis à Philoſophis ſolui. Ego aliorum ſolutionibus, & reſponſionibus omiſſis, ita tibi ſatisfaciendum puto. Dico itaque diuerſo eſſendi modo, diuerſum operandi modum competere. Quare cum anima rationalis, & verè ſit hominis forma, & etiam ſit ſubſtantia per ſe ſubſiſtens, qui ſunt varii, diuerſique eſſendi modi, licet vna & eadem ſit anima, neceſſe tamen eſt vt aliter operetur cum formæ officio fungitur, aliter cum per ſe ſubſiſtit. Cum enim forma ipſa ſit actus materiæ, & pars eſſentialis compoſiti, neceſſe etiam erit, vt eius operatio quælibet ratione aliqua à materia dependeat; ita vt vel in organo exerceatur corporeo, vel ſaltem operationem aliquam corpoream præexiſtentem requirat, ſi ipſa ſit formaliter incorporea. Atque ita prorſus euenire cernimus in operationibus animæ rationalis, dum vnitur corpori. Nonnullæ ſiquidem ſunt in corpore demerſæ penitus, vt motus, & ſenſus omnes, & ſi qua eſt immaterialis, vt actus intellectus, & voluntatis, ita illæ aguntur vt omnino originem habeant a ſenſibus, & occaſionem ab illis deſumant. Qua ratione innoteſcit etiam animam, quæ illas edit, tunc non omnino à materia immunem eſſe. At anima ſeparata, quia non amplius formæ munus ſuſtinet, ſed per ſe ſubſiſtit, penitus à corpore libera, ideo & ille operandi modus debebat illi competere, qui omnino liber eſſet à conditione materiali. Propterea ipſa per ſe ſufficit vna cum obiecto ad intelligendum, abſque omni præexiſtente ſenſatione, aut alia operatione corporea. PROVID. Non poteras mihi plenius ſatisfacere. Iam omnino mihi tradita doctrina placet, illamque fateor eſſe veriſſimam.

INGEN.

Digitized by Google

INGENIOSVS. Iam abſoluti ſunt omnes illi tractatus & capita de Anima ſeiuncta, quæ ego alias diſcutienda propoſui. Nunc ad Homeri lectionem eſt redeundum.

O D I S S E Æ

Vndecimo, verſu CCIII.

Sic ait. Cæterum ego volui, mente deliberans
Matris meæ animam prehendere defunctæ.
Ter quidem irrui, amplectique me animus inuitabat,
Ter autem mihi ex manibus inſtar vmbræ ſimilis etiam ſomnio
Auolabat,

Diſputatio cum Publio Fontana de Cauſſa propterquam Homerus humanis operationibus Ternarium Numerum aſſignauerit, Diuinis autem Quaternarium.

COLLOQVIVM XLVIII.

PROVIDVS.

MAXIMA Dignum eſſe conſideratione cenſeo, ò Amici, quamobrem Homerus ſtatuat ter tantummodo Vlyſſem tentaſſe, vt Matrem Anticleam amplecteretur, non autem quartam, quintamque vicem addidiſſe, vt fieret compos voti. Aut cum ſemel, & bis idem opus aggreſſus eſſet, neque potuiſſet perficere, quamobrem tunc non deſtiterit, ſed tertio idem tentauerit. Scilicet obſcurum eſt, cur tertio conatu finem impoſuerit deſiderio amplectendi matrem, non ſecundo, aut quarto. Digniſſima certè res eſt, quæ à viris doctis accuratè conſideretur, & cuius ratio inueſtigetur diligenter. Non enim abſque myſterio crediderim ita Homerum ſcripſiſſe. INCLVS. Iam diu myſterium iſtud obſeruatum fuit in Homero, ò Prouide, inuentaque ratio eſt, quam quæris. PROVID. Quomodo? INCLVS. Vir eximius M. Publius Fontana, Theologus, Philoſophus, Poetaque celeberrimus reconditum hoc arcanum antea repperit in eximio hoc Poeta noſtro, huiuſque doctrinæ rationem indicauit. Tractatum enim quendam conſtruxit, quem appellauit Homerum, in quo oſtendit hanc fuiſſe Homeri ſententiam, vt terminus humanarum operationum vltimus ternario clauditur numero; Sicuti hunc excedere, & quarta vice idem opus aggredi, quod tertia non ſucceſſit proprium illius eſſe, qui ſe æqualem reddere audeat Deo, & δαίμονι ἶσον, vt ipſe ait. Vnde & Deum ſolum iure quarta vi-

ce

ce operari, hominem vero ter tantum. PROVID. Si quid ego te rogare poſſum Incluſe, hoc rogo, & obſecro, ne te pigeat illius eximij viri doctrinam recenſere. Erit enim arbitror iucundiſſima, ſicuti etiam neceſſe eſt ipſam à peregrino ingenio excogitatam fuiſſe. INCLVS. Libentiſſime faciam, immo & facillimè hoc præſtabo. Omnia enim, quæcunque vir ille doctiſſimus, & Amicus meus, de hoc ſcripſit argumento, mihi manent alta mente repoſta. Quod igitur illa fuerit, quam dixi, Homeri ſententia ille multis comprobat allatis exemplis ex Iliade. Primus locus deſumitur ex libro quinto. Quo loco acriter minatur Apollo Diomedi, qui ſe æqualem Deo reddere vellet quarto tentans Æneam interficere, cum id exequi vice tertia non potuerit. Sic enim ait Homerus.

Ter ruit ille furens animis, telumque coruſcat,
Terque ipſi ardentem clypeum deflexit Apollo.
Vt quarto aggreditur, Diuiſque ſimillimus ardet
Increpat hunc minitans Pharetra præcinctus Apollo.
Te noſcas Tydide: Abſiſte æqualia Diuis.
Ne cogites prudens, nam non ſimile haud genus vnum
Eſt diuum, atque hominum, pedibus dura arua prementum.

In Decimoſexto etiam Iliados reprehenditur Patroclus, ab Apolline, eo quod quarta vice tentaſſet conſcendere moenia Troiæ, cum iam ipſum ter reieciſſet Apollo.

Ter murum inuadens conſedit moenibus altis
Patroclus, terque ipſum deturbauit Apollo,
Vmbonem manibus feriens ex ære coruſcum.
Vt vero quarto, qualis Deus, inſtitit, illum
Talibus increpuit dictis, grauiterque minatus.

Idem ferè & de Achille eiſdem verbis aſſeritur, dum ipſe pugnaret cũ Hectore, in libro Ypſilon.

Ter pedibus velox haſta inſurrexit Achilles
Aerata, ictu ter nebulam pulſauit inani.
At vice iam quarta, qualis Deus irruit ardens.

Hæc, & alia ex Homero afferuntur à Fontana, ex quibus euidentiſſimè colligitur Homerum Diuinis operationibus numerum quaternarium aſſignaſſe, Ternarium autem humanis. In quam eandem ſententiam & Virgilium deſcendiſſe, ab eodem Auctore non vno exemplo demonſtratur ex Æneide. Sed nihil hic de Virgilio. PROVID. Cum itaque hanc fuiſſe dicat Homeri ſententiam, hic autem nihil ſcribat, quod myſterium aliquod non redoleat, inueſtiganda etiam ratio erat, quamobrem eximius ille vates ita ſtatuerit. INCLVS. Nonne dixi parum antea hanc ipſam rationem ab

illo

Digitized by Google

illo iamdiu inuentam fuiſſe? PROVID. Hanc itaque referas. INCLVS. Abſoluto itaq; Homero, alium tractatum ille inſtituit, quem Pythagoram nominauit, in quo dogmatis huius rationem aſſignat, hunc in modum. Cũ à Theologis noſtratibus duæ aſſignentur Deo rationes operandi, internæ ſcilicet, & externæ, illæ, quæ internæ ſunt, & per quas Diuinæ ipſæ Perſonę conſtituuntur, Ternarium numerum explent. PROVID. Quomodo hoc probat? INCLVS. Hoc modo. Etenim Pater ſe ipſum intelligens duo quodammodo facit. Nam & ſe ipſum Patrem conſtituit, & Filium generat. Vterque autem per voluntatem, & amando producunt Spiritum Sanctum. Quamobrem operationes Dei ad intra ternarium numerum conſtituunt. Aſſignatur autem & quarta operatio ipſi Deo, illa nempe, quæ ad extra vocatur, & eſt ipſa creatio. Cuius terminus non ipſe eſt Deus, ſed aliquid extra Deum, nempe creatura. Quemadmodum itaque Deus in operationibus illis, quæ intra ſe manent, ternarium numerum abſoluit, ita dum extra ſe operatur, & aliud producit, videtur quodammodo ternarium hunc excedere, & quaternarium conſtituere. Porrò ſicuti creatura quælibet in ſua eſſentia Deum ipſum imitatur, & eius imaginem refert, ita etiam in operando non debet ab eo recedere, aut declinare. Quotieſcunque igitur ipſa aliquid intra ſe operabitur, non eum numerum excedet, quem Creator ipſe non exceſſit, nempe Ternarium. At vero nulla res præter Deum poteſt quicquam extra ſe operari, cum vniuſcuiuſque rei limitata, determinataque perfectio ſit. Sed ita operari ſolius Dei eſt, qui infinitæ eſt virtutis. Quamobrem cum ſola hæc operatio extrinſeca, quartam in Deo operationem conſtitueret, nulla vero res creata quicquam poſſit extra ſe producere, relinquitur vt extremus operandi terminus hominibus competens, ternario numero claudatur. Propterea quod creaturæ omnes non aliter poſſunt Deum in agendo imitari, niſi operatione ad intra, quæ in Deo trina exiſtit. Quod ſi quis dicat huiuſmodi rationem, noſtris tantummodo Theologis probari, nulloq; modo potuiſſe ab Homero fidei lumine deſtituto cognoſci, reſpondet tripliciter. Primum inquit Homerum libros habuiſſe Moyſis, & Prophetarũ, illudq; confirmat Richardi, Tertullanique auctoritate, nec non & D. Thomæ. Addit & Scripturæ Oraculum huiuſmodi. Et expanderunt libros Legis, de quibus ſcrutabantur gentes, ſimilitudinem ſimulachrorum ſuorum. Ex quo colligitur Prophetarum libros ad manus veterum Poetarum perueniſſe; vnde & Homerus potuit hoc arcanum cognoſcere.

1. Mach. 3

Secundo inquit cognouiſſe Homerum multa animalia inſtinctu naturæ non vltra tertiam vicem idem opus aggredi, ſed deſiſtere niſi tertio conatu votum conſequantur. Probat exemplo Leopardi, Leonis, aliorumque nonnullorum. Quamobrem, inquit, potuit ex his Homerus percipere terminum naturalium operationum in Ternario numero conſiſtere. Cumque nõ ignoraret Deum omnipotentem eſſe, omnemque vim naturalem excedere, ideo inquit tribuit illi numerum illum, qui Ternarium excedat, nempe Quaternarium.

Tertio addit eundem Quaternarium numerum omnem in ſe numerorum perfectionem virtualiter continere, atque complecti. Hoc autem ita

Digitized by Google

oſtendit. Sumens enim vim cuiuſlibet numeri, qui in quaternario, continetur, & ſimul eas cõiungens, inquit Denarium conſtitui, qui omnium eſt perfectiſſimus. Quare cum quaternarius hac ratione videatur numerorum ſupremã perfectionem virtualirer continere, maximè videtur ad ipſum Deum accedere, qui & ipſe quoque omnium rerum perfectiones eminenter continet. Hæc omnia Fontana de hoc ipſo argumento tradidit, & excogitauit.

1. 2. 3. 4.	1
	2
	3
	4
	10

PROVID. Acutiſſima ſanè ſunt hæc, magnoque erunt Honori Auctori ſuo, qui primus omnium tam profundum myſterium repperit in Homero, illiuſque dicti cauſſam inueſtigare aggreſſus eſt.

INCLVS. Niſi aliud addas, dicam hanc tibi doctrinam minime ſatisfacere. PROVID. Ego ingenuè dicam quod ſentio. Quod Ternarius numerus operationum humanarum terminus ſit ſtatuendus, quaternarius autem Diuinarum & rectè dicitur à Fontana, & expreſſa eſt Homeri ſententia, vt conſtat. At in ratione huius inueſtiganda, & afferenda, multa vir ille errata committit, quæ quomodo non viderit, vix ego concipere poſſum. Quod enim primum aſſumit in Deo operationes ad intra tres eſſe, non omnino probandum. Sunt enim duæ tantum. Vna intellectus, qua Pater ſe ipſum cognoſcendo Filium generat. Altera voluntatis qua Pater, & Filius Sanctũ Spiritum ſpirant. Nam etſi in Filij generatione Pater & ſe Patrem conſtituit, & Filium generat, vna tamen numero eſt operatio. Sicuti etiam vna numero illa eſt, ſecundum quam Spiritus a Patre, Filioque procedit. Perſonæ ergo etſi tres ſint, duæ tamen tantummodo ſunt internæ operationes.

HOSPES. Adde & illud aduerſus Fontanam, quod ſi modo ipſe velit in generatione Filij duo conſiderare conſtitutionem Patris, & Filij generationem, non tamen hoc modo cõcludet ternarium operationum numerum in Diuinis, immo ne Ternarium omnino. Namque eadem ratione dicendũ eſſet in proceſſione Spiritus duo alia conſiderari. Nam Pater, Filiuſque cõſtituunt ſe ſpirantes, & vna alia Perſona ſpiratur. Quare quatuor ſaltem reſultabunt. Pater generans, Filius genitus, Pater, Filiuſque ſpirantes, & Perſona ſpirata. INCLVS. Hæc ſanè ualidiſſima confutatio mihi viſa eſt.

PROVID. Neſcio an Fontanæ doctrina, ex proprijs principijs efficacius refelli poſſit. Sed vltra progrediamur. Quod ait nullam creaturam extra ſe operari, non ſatis intelligo. Non enim uideo, quamobrem ædificator dũ domum conſtruit non operetur ad extra.

INCLVS. Dicet fortaſſe id eſſe, quoniam confectum opus non eſt extra perfectionem ædificantis. PROVID. At ego idem quoque de Deo affirmabo. Qui nihil vnquam creauit, neque ad extra produxit, quod in ſe ipſo nõ contineat eminentiſſimè. Sed neque ſatis accuratè videtur conſideraſſe quamobrem creatio dicatur ad extra operatio, generatio vero, aut ſpiratio ad intra. Conſtat aũt creationem non alia de cauſſa ad extra dici, niſi quia id quod creatur non eſt Deus. Generatio vero, & ſpiratio ſunt ad intra, quia

quod

quod generatur Deus eſt, quod ſpiratur eſt Deus. Imitatur ergo magis creatura Deum in operatione ad extra, quam in ea, quæ eſt ad intra, cõtra quam Fontana ſtatuerit. Cum enim ego multa efficere poſſim, quæ ſunt à me diuerſa, domum, ſcamnum, librum; nihil tamen vnquam producam, quod aliud ſit ego. Ex his etiam conſtat inaniter Fontanam illud attuliſſe de libris Prophetarum; quod enim probare nititur fuiſſe Homero manifeſtum, nihil ad rem facit. Præterquam quod neque illud ſatis probat. Nam & ſi Homerus ſacra Biblia legiſſe conceſſerim, incredibile tamen eſt virum fidei lumine deſtitutum potuiſſe ita diſtincte arcanum illud myſticotaton percipere, ac penetrare. Quod de Animalibus illis addit non negauerim ita eſſe; Non tamen tanti illud eſt momenti, vt vir illius doctrinæ, & grauitatis, cuius Homerus extitit, ſimilibus rationibus tantum motus, voluerit ſententiam tanti ponderis proferre, totieſque repetere. Non enim ideo ſtatuendum videtur Ternarium homini, quaternarium Deo conuenire in operationibus, propterea quod Leo, vel Pardus ter tantum eandem rem aggrediantur, nec quartam vicem addant. Id enim extremæ fuerit leuitatis. INCLVS. Expecto quid ad vltimum argumentum dicturus ſis; cætera enim videris mihi efficaciſſimè confutaſſe. PROVID. Erat vltima ratio, quaternarium omnem virtualiter numeri perfectionem continere, quia in Denarium reſoluitur; qui eſt omnium perfectiſſimus. Recte ergo quaternarium Deo aſſignari. Hoc itaque nullius eſt momenti. Nam vt omittam ternarium apud veteres in maiori honore habitum fuiſſe, quam quaternarius ipſe, illud etiam accedit, quod ſi modo vera ſunt, quæ ille de numeris dicit, denarius ipſe nõ modo eſt quaternario perfectior, verum etiam ſit omnis numericæ perfectionis idæa abſolutiſſima. Magis ergo videtur denarius ipſe Dei naturam, & perfectionem imitari quaternario. Ille ergo debebat omnino Diuinis operationibus aſſignari, non quaternarius. INCLVS. Profectò rectiſſimè dicis, & efficaciſſimè Fontanæ argumenta refellis. Quid ergo dicemus in Homerici huius dogmatis confirmationem? PROVID. Ego breuiter dicerem, optimè cognouiſſe Homerum, quod ſicuti res quælibet propriam à natura obtinuit operationem, ad quam etiam quodammodo dirigitur vt Ariſtoteles dicebat, & per quam quodammodo ſuam perfectionem oſtendit, peculiarem (diſtinctæ enim naturæ diſtincta eſt operatio, atque perfectio) ita etiam neceſſe erat vt quælibet res ita in operatione ſua eſſet conſtituta, vt dum operando propriam perfectionem oſtenderet, ita illud præſtaret, vt non maiorem oſtentaret perfectionem, quam ſui ipſius natura, & eſſentia pateretur. Quod ſi res omnes in aliqua communi perfectione, & conditione conueniunt, decebat etiam earum operationes in aliqua re conuenire, qua communis illa perfectio innoteſceret, & indicaretur. Hæc optimè nouerat Homerus. Cum autem illud quoque cognoſceret rerum omnium naturalium perfectionem in quadam Trinitate conſiſtere, vt in peculiari colloquio tu ipſe rectè demonſtraſti, ideo illud optime ſtatuit in operationibus ipſis hominem non extra ternarium debere procedere, ne videatur ſe velle ſupra propriam naturam, & perfectionem extollere. Sed ternarium numerum homini terminum ſtatuit in operando, quem etiam

ſciebat

Digitized by Google

ſciebat eundem in eſſendo perficere. At quia ſciebat Deum res omnes perfectione ſuperare, ideo illi voluit numerum illum adſcribere, qui ternariũ ipſum quoque excederet, in quo res omnes ſunt perfectæ. Dedit ergo Deo quaternarium. Non quod exiſtimaret Deum claudi quaternario, ſed quia primus eſt poſt ternarium, & propterea magis propriè illius exceſſum indicat. Non ergo ea de cauſſa ab Apolline Patroclus reprehenditur, aut Achilles, aut Diomedes quoniam eandem rem quater aggreſſi ſint, ſed quia pluries tentauerint, quam ter. Sic enim illi quodammodo indicare videbantur ſe maiorem iactare præſtantiam, quam illa ſit quæ in ternario conſiſtit, qui omnium rerum, infra Deum, perfectionem claudit. At quia Deus infinitè omnium rerum perfectiones ſuperat, ideo tribuitur ei, vt non modo ter, ſed quater, & pluries operetur. Quaternarius tamen ei aſſignatur, quia cum primus ternarium excedat, ſitque ei proximus, ſufficientiſſimus eſt ad indicandam excellentiam, atque præſtantiam, quam Deus ſupra res omnes obtinet maiorem infinitè, & ſublimiorem.

INCLVS. Non modo facilior eſt hæc tua doctrina, quam fuerit illa Fontanæ, verum etiam verior multo, & quod mihi magis placet, Homerum non remittit ad Theologiam, vt huius arcani notitiam habuiſſe dicatur.

ODYSSEÆ

Vndecimo, verſu CDXL.

Ideo nunquam etiam tu vxori benignior ſis
Neque illi ſermones omnes reuela, quos bene noueris,
Sed alia quidem dic, partim celatum ſit.

Vnde fiat, vt mulieres loquaces ſint, & garrulæ; & quamobrem ſibi commiſſum arcanum reticere vix poſſint.

COLLOQVIVM XLVIIII.

ANONYMVS.

REQVIRIT omnino hic locus, vt Agamemnonici huius præcepti, quo ſuadet Vlyſſi ne quicquam, quod arcanum eſſe debeat, vxoris fidei tradat, ratio redderetur naturalis; noſque noſtro more doceamus, quænam illa ſit cauſſa, ob quam mulieres propè omnes garrulæ ſint, curioſæ, nihilque ſubticeant, quod ipſis ſub ſecreti nomine committatur. Quod enim tales ſint natura, fruſtra hic oſtendere tentarem, cum infinita huiuſmodi exempla apud Hiſtoricos legantur, & quotidiana experientia demonſtret tali-

bus vitijs illas eſſe ſubiectas. TVTVS. Hoc certe iucundiſſimum erit colloquium. Quam putas Anonyme eſſe euentus huius cauſſam?

ANON. Nulla alia eſt, niſi muliebre temperamentum. TVTVS. Hoc mihi minime ſufficit. Sed ſcire vellem quodnam hoc ipſum ſit muliebre temperamentum, & quamobrem ad huiuſmodi vitium inclinet.

ANON. Ego hæc omnia tibi diligenter explicabo. POLYD. Reuerendiſſimus Abbas Taſſus, ò Princeps, huc peruenit, vt actioni illi publicæ intereſſet, diſputationemque veſtram audiret, cuius concluſiones illi ſunt dicatæ. Hoc mihi nunciauit ſeruus illius, addens illum ex animo optare, colloquio alicui veſtro intereſſe. INGEN. Eia ſurgamus omnes, & ſalutem impertiamus ei, Academiæ, noſtroque nomine.

TVTVS. Sicuti mihi cariſſimum eſt Reuerendiſſimum illum virum huc veniſſe, vt nobis faueat, ita moleſtiſſimum eſt tam ſuaue colloquium perditum iri, quale futurum hoc erat.

ANON. Nihil ibit perditum, ò Tute; nam quicquid ego dicturus eram, de argumento propoſito, id ego deſumpſiſſem ex Commentario Capitis Septimi, Libri, quod animi mores corporis temperamentum ſequantur; edito à Io. Baptiſta Perſona Hoſpite noſtro. Eò igitur te conferas, iucundiſſimam enim, vereque Philoſophicam doctrinam reperies, & huius Problematis cauſſam conſequeris.

O D Y S S E Æ
Duodecimo, verſu CIV.

- - - Ne tu vtique illuc venias, quando abſorbet,
Non enim te liberarit ex illo malo, neque Neptunus,
Sed valde Scyllæ ſcopulo adnauigans celeriter
Nauem præter adige; quoniam longe ſatius eſt
Sex ſocios in naui deſiderare, quam ſimul omnes.

Explicatur locus Capitis vltimi, Secundi Ethicorum Ariſtotelis, vbi Homerica hac Auctoritate docet quomodo quis facile poſſit medium conſequi in adipiſcendis Virtutibus Moralibus. Et tollitur apparens in Ariſtotele contradictio.

C O L L O Q V I V M L.

I N G E N I O S V S.

QVAMVIS Prouidus noſter hodie non venerit ad colloquium, ego tamen anſam arripiens ex hiſce carminibus nõnulla dicere decreui, ad doctrinam capitis ultimi, ſecundi Ethicorum ſummopere conferentia. Sed eum illum. Te iam diu expectauimus, Prouide. PROVID. Saluete

Saluete omnes. Non potui citius adeſſe. Quæ ſunt veſtra colloquia? INGEN. Vix ego tractatum quendam inceperam, qui tibi minime diſplicebit, quando aduenisti. Audiuimus ergo ex Lectore noſtro Circem prædixiſſe Vlyſſi neceſſe illi eſſe vt Scyllam, atque Charybdim infames ſcopulos prætemauigaret, vna cum ſocijs; Quod vt Vlyſſi ſine graui noxa ſuccederet, illa deſcripſit vtrunque ſcopulum, exactèque ſigna recenſuit, quæ diligenter obſeruans poſſit illæſus naufraga illa ſaxa feſtina prætervehere carina. Deſcripſit Scyllam dicens monſtrum horrendum eſſe, ſex capitibus præditum, quibus ſingulis ſolebat hominem abripere de naui, eorum, qui ad ipſam accederent. Ita vt poſſet ſimul ſex homines vno raptu perdere. Charybdin vero longè eſſe peiorem, vtpote quæ omnes vna cum ipſa naui abſorbere poſſet. Præcepit ergo illi vt naui celeriter tranſcurrens ad Scyllam potius accederet, quam ad Charybdin cum longe ſatius ſit ſex ſocios perdere, quam omnes penitus. PROVIDVS. At quinam eſt ille tractatus, quem tu eras incepturus, quando ego quoque acceſſi? INGEN. Conſideraueram prius hæc carmina præceptum continere morale magni momēti, docereque modum quo quis facile poſſit medium veluti collimando pertingere, & virtutes Morales adipiſci. Cum enim virtus quælibet moralis poſita ſit in mediocritate quadam geometrica inter duo vitia contraria, efficitur vt non modo difficile ſit illam aſſequi, vt in omni medio contingit, verum etiam vt non æque recedat ab vtroque vitiorum, ſed ab vno magis, ab altero minus. Nam ſicuti ſex cum ſit medium geometricum inter quatuor, & nouem, magis etiam diſtat à nouenario, quam à quaternario numero, ita & Fortitudo magis differt à timiditate, quam à temeraria audacia; Liberalitas ab Auaritia magis, quam à prodigalitate; Temperantia ab intēperantia, potius quam ab inſenſibilitate. Cæteræque virtutes omnes magis vni contrariorum ſibi vitiorum aduerſantur, quam alteri. Propterea Ariſtoteles docens qua ratione poſſimus breuiter medium virtutis aſſequi, illud in primis ſeruandum tradidit, vt nos ab eo, quod magis uirtuti contrarium eſt vitio longiſſimè remoueamus, ſtudeamuſque ante omnia, vt ſi modo à medio aberrare per imprudentiam oportreat, ſaltem verſus extremum illud actiones noſtræ tendant, quod minus à virtute receſſit. Ita quidem facilius fortitudinem aſſequemur, ſi prius aſſueſcamus periculis vtcunque obuiam ire, etiam ſi aliquando honeſti limites prætereamus, & in nimiam audaciam incidamus, quam ſi nimium pericula fugientes in ignauiam delabamur. Facilius enim primus error corrigitur, ſecundus altiores radices agit. Hoc itaque in omnibus virtutibus adipiſcendis verum eſſe deprehenditur: & ideo in omnibus ſeruandum eſt præceptum illud. Quod Ariſtoteles Homeri etiam Auctoritate confirmauit allato verſu 219. huius ipſius libri. *2. Ethic. vlt.*

Tu procul à fumo regas, vndiſque carinam.

Qui quidem verſus idem continet præceptum, quod in ante allatis carminibus Circe Vlyſſi dabat, de euitandą ante omnia Charybdi, Scyllæque

magis adnauigando, etiam ſi ſex ſocij amittendi eſſent; cum hoc minus ſit malum, quam ſimul omnes in Charybdi perire, & abſorberi. PROVID. Polydorus noſter mihi in aurem dixit, ſe nondum intelligere, quomodo his verſibus præceptum antea relatum confirmetur.

INGEN. Explicabo illud in gratiam Polydori. Quemadmodum ergo difficile eſt nauigantibus inter vtrunque ſcopulum, ita medium tenere, vt neque in Charybdin, neque in Scyllam incidant; melius tamen eſt omnino à Charybdi recedendo incidere in Scyllam, quam penitus in altero ſcopulo periclitari; ita qui uitæ huius procelloſum mare cupiunt honeſtè ſulcare, cum neceſſe ſit, vt in principijs in alterutram vitij partem tendant, vel medium virtutis iter teneant, hoc autem difficillimum ſit imprudentibus præſtare, illud ſaltem obſeruandum erit, ne ad deterius uitium per Charybdin indicatum accedamus; Si enim huic aſſueſcamus omnia penitus abſorbebit, rationem, ſenſum, appetitum, nulluſque relinquetur nobis locus honeſtè viuendi. Satius ergo erit aliquid periclitari ad minus vitium accedendo, quam in maiori omnia perdere. Nam quicquid in illo eſt detrimenti facilius id corrigitur, quemadmodum & Vlyſſi contigit. Qui dum Charybdin euitare ſtudebat, etſi incautus inciderit in Scyllam, ibi ſex ſocios amittens, potuit tamen reliquis eorum defectum corrigere. Tantum quidem hæc Homeri carmina doctrinæ continent, & eruditionis. At hoc non erat, quod dicere deſiderabam: Sciebam neminem veſtrum hæc ignorare. Id quod mihi primò explicandum ſe obtulit, illa fuit difficultas, quā expoſitores circa huiuſmodi præceptum excitant, quam etiam etſi ijdem nitantur ſoluere, nihil tamen minus faciunt. Difficultas eſt huiuſmodi. Cum Ariſtoteles hoc tradidiſſet præceptum vt in uirtutibus adipiſcendis à maiori uitio quammaximè diſcedamus, alterum ſtatim ſubdit, quod è diametro poteſt pugnare cum priori. Inquit enim eum, qui uirtutes aſſequi cupit, cōſiderare debere, adquodnam uitium ipſe ſit procliuior, quod facile cognoſcet ex uoluptate, quæ percipitur in actionibus. Qui enim ad auaritiam naturaliter eſt propenſus, hic ex Auaritiæ actibus uoluptatem capiet. Ab huiuſmodi ergo naturalibus vitijs ſe quiſque debet totis viribus abducere. Vt qui modo dicebatur auarus, ſi cupit liberalitatem aſſequi, is aſſueſcere debet prodigalitatis actionibus. Longe enim à delinquendo abductus ad mediocritatem veniet. Quod quidem & eos facere cernimus, qui ligna contorta in rectum dirigunt. Hi enim lignum è dextra curuum, ad ſiniſtrum ita contorquent, ut ex illa parte curuitatem accipiat. SITIC. Rogat te Euſebius noſter, vt doceas quomodo hæc duo præcepta ſibi aduerſentur.

INGENIOSVS. Aduerſari ſibi poſſunt hoc modo. Si enim contingat aliquem in minus uitium eſſe propenſum, hic non poterit vni horum præceptorum ſatisfacere, quin alteri aduerſetur, & ipſum frangat. Sit enim quis natura propenſus in prodigalitatem, & cupiat conſequi liberalitatem; id ſi per primum præceptum tentet efficere, fugiens quā maxime à maiori uitio, & potius incidens lenius, is ad illud accedet, in qd̓ eſt naturaliter procliuis, nempe ad prodigalitatem, contra ſecundum præceptum.

ptum. Quod ſi ab eo velit vitio quammaximè recedere, ad quod natura tendit, & ad contrarium accedere, is prodigalitatem deferens, quæ minus eſt vitium, ad auaritiam, quę grauius eſt accedet; atque ita primo occurret, & aduerſabitur præcepto. SITIC. Pulcherrima ſemper mihi viſa eſt hæc difficultas, & vt Ingenuè dicam nunquam mihi placuerunt expoſitores in illa diſſoluenda. INGEN. Videas quam abſurdas ſolutiones afferant. Dicunt omnes ferè expoſitores vnanimiter vt plurimum ita euenire, vt homines ad illud vitium ſint procliues, quod grauius eſt, magiſque virtuti opponitur, Proprerea fieri, vt duæ illæ regulæ, ſeu pręcepta Ariſtotelica vt plurimum concurrant, & in idem conueniant. Hoc autem ſufficere ad huius moralis doctrinę congruentem certitudinem. Non enim hæc ipſa ex principijs neceſſarijs oritur, vt docet Ariſtoteles, ſed ex ijs, quæ ut plurimum fiunt. Quare ad eam ſufficit ſi illius præcepta ſubiectæ materiæ ſint accomodata, & vt plurimum vera. Qua quidem reſponſione conſtat illos errare bifariam. Primum quia non docent, quamobrem homines ut plurimum in deterius vitium ferantur, ſed id videntur licenter aſſumere; Secundo. Si duo illa præcepta vt plurimum in idem concurrunt, raro autem inter ſe diſſentiunt; ſufficit autem in hac doctrina ſi illa tradātur præcepta, quæ vt plurimum eueniunt ſeruanda, ſatis erat Ariſtoteli alterum tantummodo illorum præceptorum attuliſſe. Quare alterutrum redundaret. SITIC. Ratio hæc inexpugnabilis eſt. INGEN. Ego itaque dico neutrum præceptum redundare, ſed iure vtrumque afferri. Cum enim virtus ipſa ſit bonum, & operatio ſecundum virtutem ſummum bonum, & per ſe apperibile, & ab omnibus debebant regulæ tradi in hac facultate, quę omnium indigentiæ ſatiſfacerent, etiam eorum, qui naturaliter in leuius uitium feruntur. His ergo neceſſarium erat ſecundum hoc pręceptum, ſicuti primum maiori hominum parti. Quamobrem ſoluens difficultatem dico Ariſtotelem optimè vidiſſe huiuſmodi repugnantiam, inter hæc duo præcepta. Verum ita diſtinctè, & ordinatè illa digeſſit, atque conſtituit, vt vnicuique illius artificium conſideranti nullum ſit factura negotium allata difficultas. Etenim Ariſtoteles tria præcepta tradidit pro virtutibus adipiſcendis. Primum vt quammaximè declinemus à peiori uitio. Secundum, vt quammaximè ab illo recedamus, ad quod ſumus natura procliues. Tertium, vt totis viribus voluptatem fugiamus. Si ordinem horum præceptorum conſideremus videbimus primum dogma, maiori hominum parti inſeruire, quæ etiam in vitium deterius fertur. Secundum vero ad alteram hominum partem pertinere, quæ in vitia leuiora naturaliter tendit. Tertium vero pro vtriſque afferri, ita ut hoc ipſum ſit veluti epilogus, & ſumma duorum priorum. Niſi enim ita dicamus, ſequitur omnino aut duo priora præcepta redundare, aut tertium eſſe ſuperuacaneum. Quicunque enim exactè illud ſeruauerit, is ad vnguem & priora ſeruabit ſiue ex illis ſit qui feruntur in vitiū deterius, ſiue ex ijs, qui in leuius ſunt procliues. Similiter qui priora rectè ſeruauerit, is & tertium ſimul exequetur. Breuiter ergo dicendum arbitror, Ariſtotelem, vt vnumquemque erudiret, viamque doceret, qua ad virtutis apicem peruenire poſſet, illud primo loco præceptum tradidiſſe, quod ut

Donat. Acia. Bern. Segnius.

1. Ethic. 2

Digitized by Google

plurimum erat in vſum trahendum, & quo plurimi hominum indigerent. Hoc autem docet deterius vitium fugiendum eſſe, nam & plurimi inclinantur ad illud. Quod ſi aliqui ad leuius accedant, his non prima regula ſeruanda, ſed altera; nempe vt ab eo maximè vitio recedant, quod ipſis quodammodo eſt naturale. Vt autem vnico verbo vtramque complecteretur Ariſtoteles, breuiterque uiam monſtraret, qua ad virtutem vnuſquiſq; peruenire poſſet, addit fugiendam eſſe in illis principijs voluptatem. Quomodocunque enim quis ſit affectus ſecundum naturam dummodo hoc tertiū præceptum ſeruet, ſemper ab eo declinabit uitio, quod peius eſt, ſi ad illud fertur, ſin minus, declinabit & à leuiori, vt dictum eſt. Illud tamen addam, quod vbi duo priora præcepta coincidunt, omni conatu ſunt ſeruanda; vbi tamen non coincidunt, ſecundum eſt quidem præcipue obſeruandum, ſed tamen ea moderatione debet executioni mandari, vt aliquid & primo tribuamus. Scilicet, vbi quis ad leuius vitium naturaliter vergit, non eodem conatu, & impetu in contrariam debet ſe partem flectere, ſicut ſi ad maius vitium tenderet; ſed leuius, & lentius id aget. Siquidem facilius omnino eſt in vitium deterius, quam in leuius incidere. Faciliuſque ille, qui ad prodigalitatem eſt natura procliuis, in auaritiam delabetur per conſuetudinē, quam qui auarus eſt, prodigus euadat. Huius autem ratio eſt, quoniam hominum natura magis tendit in vitia peiora. SITIC. Quam putas Ingenioſe, eſſe huius rei cauſſam? INGEN. Nil aliud in præſentia ſuccurrit, quod tibi reſpōdeam, niſi id euenire, propterea quod vitiorum peiorum obiecta, ſub maioris ſpecie boni, ſeſe nobis offerūt. Quia enim pecunias accipere ſtatim maius bonū videtur, quam erogare, ideo Auaritia magis eſt humanis inſita pectoribus liberalitate. Quoniam voluptas iam ab incunabulis una nobiſcum, eſt educata, propterea magis in intemperantiam ferimur, quam in inſenſibilitatem Quia vitæ pericula ſtatim ſe vt mala patefaciunt, ideo naturaliter magis illa fugimus, & in timiditatem labimur, quam illis eamus obuiam, ita vt temere euadamus audaces. Sic & in alijs uirtutibus, & contrarietatibus euenire conſpiciet, qui diligenter adhibuerit animum. Etſi ergo non repugnat aliquem ita affectum eſſe, vt potius ad leuius vitium, quā ad deterius naturaliter tendat, fieri tamen non poteſt, quin & ipſe ſemina quædam contineat, quæ in maiorem hominum partem ſparſa eſſe conſpiciuntur. Sumus enim vno verbo homines, & facilius vnuſquiſque noſtrum ijs amandis aſſueſcit, quæ ab alijs vt plurimum appetuntur, quā illis, quæ maior pars hominum odit, & naturaliter auerſatur. Video vos omnes annuentes; Hic ergo finem dicendi faciam, & Tutum noſtrum Principem propria auctoritate conſtituam, qui Colloquijs ſequentibus præſit, nobiſq; feliciter imperet.

ODYS-

Digitized by Google

ODISSEÆ

Decimotertio, verſu CCCCXX.

Ego vero Spartam proficiſcar
Telemachum vocatura tuum dilectum filium, Vlyſſes.
Qui in magnam Lacedæmonem ad Menelaum
Iuit percunctaturus tuam famam,ſicubi adhuc eſſes.
Huic autem reſpondens locutus eſt prudens Vlyſſes,
Cur non ei dixiſti in præcordijs omnia ſciens?
An vt ille errans dolores patiatur
Pontum in impacatum,fortunas autem ei alij edant?
Huic reſpondit poſtea Dea glauca Minerua
Non iam tibi ille valde curæ ſit
Ipſa ipſum miſi vt famam bonam adipiſcatur
Illuc iens. - - . .

Agitur de Peregrinatione; & oſtenditur modus quo ipſa ſapientiores homines reddat, ac Prudentiores.

COLLOQVIVM LI.

INCLVSVS.

EST adeo conſpicuum tantam vim tribuere Homerum peregrinationi,ad homines ſapientiores, prudentioreſque efficiendos, vt ridiculus proculdubio ille videatur, qui pluribus id tentet demonſtrare. Manifeſtiſſimum enim eſt, totam cauſſam, in quam Homerus refert eximiam illam Vlyſſis ſapientiam,atque prudentiam,non aliam fuiſſe,niſi quia mores hominum multorum vidit,& vrbes.Cui ſententiæ valde ſimile eſt illud,quod hoc loco Minerua de Telemacho affirmat,inquiens ſe illum peregrè miſiſſe, vt famam bonam acquireret. Perinde atque domi ſuæ ſedens non ita probus poſſet euadere, aut illam famam,& opinionem probitatis apud homines adipiſci,ſicut ſi in alienas,extetaſque regiones ſe transferret.

PROVID. Hęc opinio, quod in alienas vrbes illum ſe conferre oporteat,qui famam cupit adipiſci, eſt adeo celebris,ut neque Diuina ipſa Veritas ab illa recedere voluerit; cum exprobrantibus Iudæis, quod ſigna multa,& miracula in Capharnaum feciſſet Seruator noſter,rogantibuſque, vt hæc quoque operaretur & in Patria, reſpondit neminem Prophetam acceptum eſſe in Patria ſua; quod idem eſt, ac ſi dixiſſet neminem in Patria ſua bonam conſequi famam.

ANONYM. Mirabile certè hoc eſt, & conſideratione digniſſimum, vnde fiat, vt vir probus, omnique laude dignus quis exiſtens ferè ſem per

in patria contemptui habeatur, & apud exteras nationes tantummodo videatur rectè cognoſci, & in prętio haberi. INCLVS. Hanc difficultatem Beda egregiè diſſoluiſſe videtur mihi, optimèque euentus huius cauſſam attuliſſe, ſic inquiens. Non ſolum Dominus, & caput Prophetarum, qui à Moyſe Propheta nominatur, ſed Elias, cæterique Prophetæ minus in Patria, quam in cęteris ciuitatibus ſunt honorati, quia propemodum naturale eſt ciues ciuibus inuidere; non enim conſiderant præſentia viri opera, non virtutem, ſed fragilis recordatur infantię; quaſi non & ipſi per eoſdem ætatis gradus ad maturam ætatem peruenerint. Ita profectò Anonyme. Inuidi ciues vix adduci poſſunt vt credant illum aliquid boni poſſe peragere, aut quicquam egregij perficere, quem aliquando viderint pueriliter ludentem. At cæteræ nationes non hac inuidia tanguntur, aduerſus ignotū, ſed ſolas virtutis actiones ab illo prodeuntes obſeruant, atque propterea colunt, & honore afficiunt conuenienti. Euenit tamen, vt cum quis vel apud alias nationes honorem ſit conſecutus, huius fama in Patriam quoque perueniat, atque ita & à ſuis incipiat diligi, & iuxta merita coli. Atque hæc eſt illa fama, quam Minerua quærebat Telemacho, ex peregrinatione. Non enim illum exulatum miſit, vt famam acquireret tantummodo apud Neſtorem, aut Atridas, ſed vt ab his iuxta propria merita honoratus in Patriam rediret cum hac fama. Sic enim maiori futurus erat timori Procis ipſis, qui prius illum tanquam inexpertum, nulliuſque prætij adoleſcentem contemnebant.

Luc. 4.

ANONYMVS. Omnem mihi difficultatem ſuſtuliſti Incluſe, egregia iſta doctrina. PROVID. Putas ne Incluſe, Peregrinationem ſolis viris probis, virtuteque præditis prodeſſe ad adipiſcendam famam, honoreſque meritos conſequendos? Ego exiſtimaſſem etiam imperitis, & nondum virtutes, ſapientiamque nactis prodeſſe ſummopere ad ipſam Prudentiam, Sapientiamque adipiſcendam, per quas ſe honore dignos reddant. Sanè ne ſcio quid tale memini dictum hoc loco fuiſſe anno ſuperiori, immo & parum antea tu idem videris confirmaſſe, aſſerens ex Homero, totam Vlyſſeæ prudentię cauſſam illius fuiſſe longam, variamque peregrinationem. Hoc autem prorſus videtur eſſe veriſſimum homines peregrinatione doctiores euadere, atque prudentiores, vel hoc vno argumento, quod Deus ipſe cum Abrahamū benedicere, & magnifacere vellet, videtur hoc ipſo ad id efficiendum vti voluiſſe peregrinandi medio, & inſtrumento. Legitur enim Deum Abrahamo præcepiſſe vt de terra ſua, de cognatione ſua, & domo Patris ſui egrederetur, in illamque regionem ſe conferret, quam ipſe illi monſtraturus erat. Ibi enim ſe illum benedicturum, magnificaturum, producturumque in gentem magnam. INCLVS. Hæc ſacra Auctoritas magnifacienda prorſus eſt, & omnino ita rem ſe habere comprobat, vt aſſeris, ſed illud præterea oſtendit & quotidiana experientia, tam de acquiſitione ſcientiarum, quam virtutum moralium, atque Prudentiæ. Nam de ſcientiæ acquiſitione quid attinet dicere? cum euidentiſſimè conſtet in ciuitatibus illis in quibus ſunt uniuerſitates, & publica ſtudia litterarum multo pauciores ex indigenis Doctos, & Excellentes

Geneſ. 12.

euadere,

euadere, quam ex illis, qui ex longinquis regionibus eo ſe contulerunt, vt litteris operam darent. De moralibus etiam virtutibus, & Prudentia idem patet. Cernimus enim multo prudentiores eos eſſe, qui varios hominum mores, diuerſaſque regiones peragrarunt, quam qui nunquam natale ſolum dereliquerunt. Immo eos, vt plurimum, ſtolidos, & ignaros rerũ eſſe conſpicimus, aut certè agreſtibus moribus præditos. Tanta, vno verbo, vis ineſt peregrinationi ad hominem ſcientijs, & virtutibus exornandum, vt nonnulli ſtatuant, nullum eſſe in toto terrarum orbe præceptorem, à quo tantum poſſimus addiſcere. TVTVS. Quam nam dicemus eſſe euentus huius cauſſam naturalem? INCLVS. Si de doctrina, ſcientiarumque acquiſitione loquamur, ego non aliam eſſe cenſeo, niſi quia adoleſcens, qui litteris eſt operam daturus, cum id ſine librorum lectione, præceptorumq; auſcultatione rectè perficere haud poſſit, hæc autem non ſine labore fieri poſſint, ab his ſummopere abſtrahitur à blanditijs matris, parentũ, & amicorum, qui eidē ſtudio non ſunt addicti. At Patriam relinquens, vt ſapiens fiat, vbi ſe deſtitutum eſſe cognouerit Patriæ delicijs, incumbit alacriter, ne indignus euadat, cui, in reditu, Patria eaſdem concedat delicias, & ne videatur Patriam ipſam, Parentes, amicoſq; incaſſum dereliquiſſe. TVTVS. Præclare videris mihi id docuiſſe de ſcientiarum acquiſitione. Idem rogo vt de moralibus quoque virtutibus oſtendas. INCLVS. Videtur mihi facilius hoc eſſe quod poſtulas. Etenim cum morales virtutes aſſuetudine comparentur, conſtat multo pluribus aſſueſcere, multoque frequentius eũ, qui varias hominum nationes ad id, & mores hominum varios experitur. Et cum Prudentia per variam rerum humanarum, & euentuum experientiam acquiratur, quis eſt, qui neſciat, eo facilius homines prudentes euadere, quo plures nationes, variaque hominum ingenia, & inſtituta fuerint experti? Sic enim coguntur varios virtutum actus edere, variaque media excogitare iuxta euentuum, & circunſtantiarum varietatem. Hoc autem modo non ſolum Prudentia comparatur; ſed parta perficitur, abſoluiturque. INGENIOS. Hæc tua doctrina mihi minime placet Incluſe. Non enim video, qua ſecuritate tibi perſuadeas eum, qui peregrè proficiſcitur, omniũ virtutum expertem, & in vitia naturaliter propenſum, ex varietate euentuũ quos in peregrinatione experitur virtutes potius, quam vitia cōſecuturum eſſe. Contrarium magis videtur mihi euenturum, cum virtutem aſſequi ſit difficillimum, in vitia vero facile homines labantur. Id autem poteſt facile confirmari, quoniam peregrinatio non videtur vllam ex illis cauſſis ſubminiſtrare, quæ virtutes gignunt. Scilicet neque moralem doctrinam videtur docere poſſe, quæ quid agendum ſit vt probi euadamus docet; neque qui peregrinatur videtur magis aſſuefieri debere virtutibus, quam vitijs. De doctrina morali ſatis patet, niſi quis ad ſcientiæ cauſſam illam recurrat, quam tetigimus ſupra. At hoc loco locum non habet, de illa peregrinatione loquentibus nobis, per quam homines illud tantummodo ſtudent aſſequi, vt diuerſas regiones videant, & varios hominum mores experiantur, & inſtituta. Hęc enim quomodo moralem doctrinam docere poſſit nō video. At quod neque aſſuetudinem honeſtarum actionum faciat, quodam

modo

Digitized by Google

modo patet ex dictis parum antea, & inſuper confirmatur ex Ariſtotele, qui in 7. Politicorum non ſpernit illorum ſententiam, qui commercium maritimum ciuitati rectæ inſtitutæ nocere aſſeuerabant, ea de cauſſa, quoniam conſuetudo peregrinorum qui facilè vndique influunt per mare prauis moribus vitijſque diuerſis ciuitatem benè inſtitutam inficit. Et Plato in 12. de legibus ait ſolere gentium diuerſarum commixtionem varios mores confundere, quod ciuitati rectè legibus inſtitutæ maximè omnium nocet. Non ergo homini, qui probus cupit euadere, tutum eſt, aut vtile, varijs ſe nationibus peregrinando immiſcere, & prauorum morum periculo ſeſe exponere. Et Seneca ipſe quoque huic ſubſcribit ſententiæ, qui libro 18. Epiſtolarum ſic ait. Quid per ſe prodeſſe Peregrinatio cuiquam potuit? Nũ voluptates illa temperauit? Peregrinatio notitiam dabit gentium, nouas tibi montium formas oſtendet, inuſitata ſpatia camporum, & irriguas perennibus aquis valles. Cæterum neque meliorem faciet, neque ſaniorem. INCLVS. Non ſunt hæc tanti. Ingenioſe doctiſſime, vt noſtram ſententiam euertant, immo ne tantillum quidem commouent. Certum enim eſt, & ab omnibus admiſſum, peregrinationem facile indicare moralis precepta doctrinę, quæ cauſſa eſt remota probitatis, hominemque ita diſponere, vt honeſtis aſſueſcat actionibus, quæ cauſſa eſt proxima. INGEN. Si duo hæc oſtendantur à peregrinatione proficiſci, iam ſublata erit difficultas omnis. INCLVS. Vtrumque oſtendam facile. Quod enim ad doctrinam attinet, vnicuiq; puto manifeſtum eſſe, eum qui varias hominum nationes, & opera cognoſcit, pluresque obſeruat euentus rerum, facilius cognoſcere quid rectè, quid indirectè agatur, quid feliciter, infeliciterue ſuccedat, quę actiones laudentur, quæ non, quę honore decorentur, & quę afficiantur infamia. Hinc fit, vt qui peregrinatur, ſibi facilem reddat medij inuentionem in quacunque actione abſque proprio periculo, acquiratq; Prudentiam, dum aliorum exempla contemplatus, conſiderat, quænam operationes fuerint alijs cauſſa felicitatis, & honoris, quæ vero infelicitatis, & infortunij, & ex quibus ſibi dedecus compararunt. Si ergo Peregrinatio multas oſtendens actionum humanarum formulas, & differentias, indicat etiam quænam illarum ſint honeſtæ, & eligendæ, quæ reiiciendæ, ex conſenſu omnium hominum, propterea negandum non eſt peregrinationem ipſam valde conferre ad moralem doctrinam, Prudentiamque adipiſcendam; cuius finis, & officium nullum aliud eſt, niſi docere quænam ſint actiones eligendæ, & amplectendæ, quæ fugiendæ, & reiiciendæ. INGEN. Non hercle negauerim tantum poſſe peregrinationem conferre, quantum aſſeris, alicui hominum generi, at non omnibus, quod oſtendendum erat. Non negauerim inquam oſtẽdere illam poſſe quæ ſint actiones amplectendæ, & quæ non homini illi, qui eſt in virtutes propenſus à natura, aut ipſas aſſequi cupit, probuſque euadere. At ſi quis ſit ad vitia procliuis, contemnatque virtutes, neque curet illas adipiſci, non crediderim illum rectè poſſe dignoſcere, quænam verè ſint actiones honeſtæ, & amplectendæ, quæ prauæ, atque fugiendæ; Qualis enim quiſque eſt, talis ei videtur finis. Hic ergo iudicabit actiones prauas, atq; vitioſas amplectendas eſſe, fugiendas honeſtas. INCLVS.

Falleris

Falleris Ingenioſe, aut certè Fallitur Plato Diuinus. Qui in 12. de legibus hæc habet verba. Multi enim, quamuis virtutis expertes ſint,qui tamen probi ſint, qui improbi, iudicant. Nam prauis quoque hominibus diuina quædam coniiciendi vis ineſt, per quam multi vel paſſim rectè tum opinione, tum verbis à melioribus deteriores diſtinguant. Vides ne Ingenioſe doctiſſime Platonem aſſerere vel vitioſos quoque homines optime ſcire dignoſcere honeſtas, probaſque actiones, ab inhoneſtis, ac prauis, contra quam tu dicebas?

INGENIOSVS. Video, maloque me falli, quam in tantam arrogantiam incidere, vt aſſeram hac in re Platonem erraſſe. Satis ergo mihi paruit ò Incluſè, peregrinationem ſubminiſtrare poſſe moralem doctrinam, indicando quæ nam ſint actiones eligendæ, quæ fugiendæ, idque illam efficere poſſe in quolibet hominum genere. Relinquitur, vt idem de aſſuetudine oſtendas, quæ altera erat, proximaque cauſſa moralium virtutum. INCLVSVS. Hanc quoque vim habet peregrinatio ipſa, quod aſſuetudinem ad honeſtas actiones facilem facit; id tamen mihi videtur aſſerendum cum quadam hominum diſtinctione; non abſolutè, & vniuerſaliter. Diſtinctio vera ea eſt; quod cum homines in duplici ſint differentia, alij enim ſunt in virtutes, alij in vitia propenſi, peregrinatio primis tantum cauſſa eſt, vt honeſtis actionibus aſſueſcant, idque quodam modo neceſſariò, ſecundis non ita.

INGENIOSVS. Scire vellem quos voces in virtutes penſos, & quos in vitia.

INCLVSVS. Eos dico eſſe in virtutes pronos, qui ita ſunt à natura conſtituti, vt ſemina contineant virtutum, quæ & virtutes naturales nuncupantur ab Ariſtotele. Vel etiam eos, qui & ſi huiuſmodi ſemina à natura non acceperint, probi tamen cupiunt euadere, honeſtèque viuere, & virtutem aſſequi. Sicuti & illum dico in vitia propenſum, cui minimè curæ ſunt, virtutes, paruipenditque illarum acquiſitionem, rectamque viuendi rationem. Qui itaque virtutem amat, cupitque bonus euadere, nemini dubium, quod dum ad varias nationes ſe confert, diuerſaſque hominum actiones, viuendique rationes conſiderat, atque ita diſcit quid ſit agendum vt viuat honeſtè, nemini inquam dubium, quod facilè aſſueſcet bonis, honeſtiſque operationibus, illos imitatus, quos rectè honorificè, atque feliciter viderit agere, declinans eos, qui contra ſe geſſerint. At ſi ſit in vitia propenſus nec ipſi curę ſit virtutum acceſſus, & acquiſitio, huic certè non modo non proderit peregrinatio, uerum etiam ſummo erit illi detrimento, dum inuſitata, & uaria addiſcit ſcelerum genera; Vnde de his tantum hominibus rectè concludere videtur tuum illud argumentum, quod primo loco attuliſti. Hanc doctrinam omnino approbat Platonis auctoritas, Qui in duodecimo de legibus cum laudaſſet ut in ciuitate bene inſtituta aliqui eligerentur, qui exteras regiones adirent, ut, redeuntes, alios doceant bona, & mala, quæ apud alios uiderint, ut illa ſequantur, hæc fugiant, oſtendens deinde quales illi eſſe debeant, qui mitti debent, & quibus minimè liceat peregrinari, hanc rem non aliter abſoluit, niſi ſolos probos, aut qui probi

6. Ethic. cap. vlt.

Digitized by Google

bi ſtudent euadere permittens alienas viſere regiones, coercens prauos. Mittantur inquit, optimi, pulcherrimi, qui ciuitati ſuæ honorem, & gloriam comparent. Et cum permitteret Plato, & alios quoque ſpectatores otio abundantes, vna cum his proficiſci, hos quoque, quales eſſe debeant docet, inquiens. Quicunque in ciuitate bene gubernata incorruptus erit, horum ueſtigia à Patria profectus, terra, marique ſequetur, ut tandem reuerſus legum Patriæ alias probet, alias ſi qua in re deficiunt corrigat. Vnde conſtat Platonem huius fuiſſe ſententiæ, quod Peregrinatio ſolis probis hominibus, aut qui tales fieri ſtudent poſſet conducere, cæteris nequaquam. Talis autem erat Telemachus, qui Patris ueſtigia ſecutus, & illum imitatus, à teneris annis Prudentiæ ſpecimen præbuit, ita ut Homerus ſæpius illum πεπνυμένον uocauerit.

INGEN. Quid ergo ad Ariſtotelem dices, qui commercium maritimum non omnino utilem facit ciuitati, ut pote illud quod peregrinorum conſuetudine, morum corruptionem introducat?

INCLVS. Dico rectè illum ſentire, nec nobis aduerſari. In ciuitate enim quantumuis rectè inſtituta legibus, non omnes boni, nec tales eſſe ſtudent omnes. Vnde peregrinorum malorum commercium licet probis non noceat, malis tamen obeſt ſummopere. Ad Senecam autem illud dici poteſt, non tanti eſſe illius auctoritatem, ut præferenda illa ſit Homero, Platoni, aut Ariſtoteli aliter ſentientibus.

INGENIOSVS. Tuam ſententiam amplecror manibus, & pedibus ò Incluſè doctiſſime.

ANONYMVS. In huius doctrinæ confirmationem, ego pulcherrimum Symbolum uidi apud Camillum Camillium, quod noſtro Idiomate ſolet (Impreſſa) nuncupari. Nam Io. Baptiſta Lionius oſtendere volens per icona quanti adiumenti ad uirtutem, famamque adipiſcendam ipſi attulerit peregrinatio, quantumque honoris ex illa ſit conſecutus, ſibi corallum finxit, e medio mari ſurgentem. Qui illius eſt naturę, ut, dum aquis tegitur in quibus ueluti uirgultum quoddam naſcitur, tener ſit, & flexilis inſtar uiridis cuiuſdã uirgæ; at quando adeo creuit, ut aquis ipſis ſuperemineat, earum altitudinem excedens, decreſcit lapidum more. Huic itaque figurę, uerba quedam adiecit, quæ noſtrati lingua MOTTO nuncupantur, ſunt autem hæc. VT PRIMVM CONTIGIT AVRAS. Sic optimè indicauit uir ille doctiſſimus, ſe ita in honeſtis actionibus edendis habitũ contraxiſſe, redditumque fuiſſe ad uitia inflexilem ut primum ſe in alienas regiones contulit, patriam relinquens. ſicuti & corallus quoque ſtatim obdureſcit ut primum ex aquis egrediens, in quibus oritur aeris regionem ingreditur, quæ illi eſt aliena, & peregrina. INCLVS. Pulcherrimum certè Symbolum.

ODIS-

ODYSSEÆ

Decimoquarto, verſu LVI.

Hunc autem reſpondens allocutus eſt Eumæus ſubulcus.
Hoſpes non mihi fas eſt, neque ſi peior te veniat
Hoſpitem contemnere. à Ioue enim ſunt omnes
Hoſpiteſque, paupereſque.

Quibus argumentis intelligere potuerint Ethnici Pauperes, & Peregrinos Deum habere adiutorem, atque vindicem.

COLLOQVIVM LII.

PROVIDVS.

MIRANDA Sanè eſt hæc ſententia, vel vt rectius dicam mirandum eſt, quod Homerus toties illam repetat; Supra vidimus Nauſicaam Principiſſam ancillis imperaſſe, ne Vlyſſem auerſarentur deprecantem,ſicque locutam fuiſſe.

A Ioue enim ſunt omnes
Hoſpites, & egeni,donum autem quantumuis exiguum gratum tamen eſt.
Quare date ancillæ hoſpiti cibum, & potum
Et lauate in fluuio, &c.

Immo expreſsè & illud addidit aliquando Deum eſſe pauperum,& hoſpitum auxiliatorem,atque vindicem ſupplicum.Hoc apud ipſum videre eſt pluribus in locis, ſed præcipuè illud legimus dum Vlyſſes Polyphemum Cyclopa rogaret, vt aliquid præberet hoſpitale. Sic enim ille rogabat.

Nos autem rurſus procumbentes ad tua genua
Supplicamus, ſi quod præbeas hoſpitale, ſiue etiam aliter
Donum dares,quale hoſpitibus dare fas eſt.
Sed verere optime Deos, ſupplices enim tibi ſumus
Iupiter autem vltor eſt ſupplicumque, hoſpitumque
Hoſpitalis,qui hoſpitibus ſimul verecundis opitulatur,

TVTVS. Et miraris,quod hæc ſcribat Homerus? PROVID. Sanè miror. TVTVS. Ego nequaquam,qui ſcio hæc eſſe veriſſima,pauperes,& peregrinos à Deo eſſe,Deumque habere adiutorem, atque vltorem. Quod ſint à Deo,ecce habetur in Prouerbijs. Qui calumniat egentem exprobrat Cap. 14.
factori

factori eius, honorat autem eum, qui miſeretur pauperis. Quid autem Deus
Cap. 36. ipſis auxilietur, & vlciſcatur eorum iniurias. Iob primum ipſe teſtatur. Eri-
Cap. 10. piet de anguſtia ſua pauperem. Et in Deuteronomio. Deus facit iudicium pupillo, & viduę, amat peregrinum & dat ei victum, & veſtitum. Et Dauid
Pſal 11. Rex. Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam di-
Prou. 22. cit Dominus. Salomon etiam non facies iniuriam pauperi, quia pauper eſt. iudicabit enim dominus cauſſam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius. Quid? quod veritas ipſa Chriſtus Deus, & Homo non alia de cauſſa promittit ſe hominibus daturum in die nouiſſimo præmia, & pœ-
Matth. 25 nas, niſi prout ipſi benè, vel male ſe erga pauperes geſſerint. Quid ergo hęc miraris ſcripſiſſe Homerum, cum ſint veriſſima?

PROVID. An putas me arbitrari hæc falſa eſſe? Erras. Non ſum adeo rudis. obſtupeo, quod Homerus vir Ethnicus, & Chriſtianæ doctrinæ penitus ignarus, hæc, quæ omnino cum illa conſentiunt, toties inculcauerit. SITIC. Si illud admittamus Homerum habuiſſe ſcripta Prophetarum, omnis ceſſabit admiratio. PROVID. Quamuis fortaſſe id ego minimè negauerim, ſemper tamen illius opinionis fui, Homerum nihil vnquam ad naturalem ſcientiam, aut ad mores componendos pertinēs ſcripſiſſe quod non aliqua ratione, præter auctoritates ſibi perſuaſerit. Et propterea, vt ingenuè fatear, ego non alia de cauſſa lectorem noſtrum ſum remoratus hoc loco, niſi vt aliquantiſper rationem ſcrutaremur, & cauſſas huius ſententiæ, ſi quæ ſunt. INCLVS. Si de re hac differendum nobis eſt, arbitror diſtinguendum minimè eſſe inter amorem Dei, quo pauperes proſequitur, & illius iram, qua eorum iniurias ipſis illatas vlciſcitur, & punit. Nō enim ob aliam cauſſam Deus pauperibus opitulatur, & eorūdem vindex eſt, niſi quia illos amat; & non alio argumento cognoſcimus pauperes à Deo amari, niſi quoniam videmus illum non relinquere inultos eos, qui pauperibus noxij fuere. ANON. Ego vero aliud etiam modo cogitabam ſatis ſcilicet fore, ſi de pauperibus tantummodo loquamur. Peregrini enim & hoſpites ad pauperes, & inopes reducuntur, eo quod ipſi, quatenus ſunt tales, hoſpitio indigeant, & tecto. PROVID. Eia ergo inquiramus quibuſnam argumentis cognoſcere potuerint gentiles Deum eſſe pauperum protectorem, adiutorem, atque vindicem, magis quam diuitum. Obſecro vos omnes, vt veſtram in medium ſententiam afferatis, ne diutius ego rei huius, ſi fieri poteſt, cauſſam deſiderem. ANON. Ego illam eſſe cauſſam puto, cur Deus ſit vindex pauperum, propterea quod cum vtriuſque ipſe ſit operator, pauperis ſcilicet, atque diuitis, vt omnes nationes confitentur, videtur diuiti arma quædam tribuiſſe, quibus ipſe ſe ipſum tueatur, & protegat. At pauperi, cum omnia ſubtraxerit adminicula, nō minus autem illum amet, atque diuitem vt proprium opus, omnis æquitas poſtulare videbatur, vt illius curam gereret, eſſetq; illi diuitiarum loco, & immediatius illi opem ferret. PROVID. Hæc ratio iucunda ſatis eſt, ac peregrina. Sed neſcio quid tenuis capire Siticuloſe. Anne hanc improbas doctrinam? SITIC. Ego certè non improbo, ſed tamen mihi magis placeret, ſi diceremus Deum magis inopes diligere, illiſq; ſuccurrere propterea quod inopia, & paupertas ſit

veluti

veluti ſignum quoddam, atque character ſapientis hominis, atque probi. PROVID. Quid ita? SITIC. Dubitas ne? At ſane non dubitauit Ariſtoteles, qui tanquam veriſſimum ſupponens pauperes vt plurimum eſſe viros probos illius cauſſam inueſtigauit in peculiari problemate. PROVID. Neque ſo te pigeat hic afferre, quid ad huiuſmodi problema reſpondeat Ariſtoteles. Problemata ſæpe percurri, ſed nullius ego memini, quod ad hanc materiam conferat. SITIC. Euidentiſſimus eſt locus in ſectione vigeſimanona Problematum, in quo quærens Philoſophus cauſſam cur paupertas apud homines bonos potius, quam apud prauos eſſe ſoleat, plures, vt in problematis ſolet, cauſſas affert. Primum enim inquit, id ea de cauſſa fieri, quoniã paupertas ab omnibus expellitur, & odio habetur. Ideo enim ad bonos perfugit rata apud eos ſalutem, permanendique locum aſſequi poſſe. Nam ſi ad prauos venerit nunquam eos fortuna iſta fore contentos, ſed vel furta, vel latrocinia, adituros, quibus rebus futurum vt ipſa apud eos manere amplius nequeat. Secundo ait paupertatem in viros probos cadere, quoniam eos optimè ſe vſuros exiſtimat; Vt enim nos pecuniarum depoſita tute hominibus bonis credimus, ſic etiam hæc ſibi diſpenſat, & ſtatuit. Tertio addit inopiam ſe ad viros optimos conferre, quia fœmina eſt, inopſque proinde & virium, & conſilij, vt eiuſmodi hominibus commendatam ſe, velit, atque deſideret. Tandem quia mala eſt, inquit, nunquam ſe malis coniungere vult; nam ſi ita maluerit, omnino malum irremediabile ipſa reddetur. ANON. Ego quidem non huiuſmodi doctrinam improbabo, Ariſtotelis enim eſt. Sed tamen aio minime illam conuenire in hunc locum. Sunt enim hæc Poetica magis, quam Philoſophica. Scimus paupertatem nõ eſſe quid animatum, vt diſcernere probos, ab improbis valeat. INGEN. Mihi quoq; rectè ſentire uidetur Anonymus. Quod ſi mihi liceat aliquid illis addere, quæ ab eo dicta ſunt ſupra, dicerem ego quoq; paupertatem ſignum quoddam eſſe, & character hominis ſapientis, atque probi, ſed multo diuerſa ratione ab illis, quas attulit Ariſtoteles. Ea uero eſt, quoniam ipſa ſapientia, & probitas, quodammodo ſit inopiæ, & paupertatis cauſſa; & è contra paupertas ipſa hominem induſtrium reddat, ſapientem, atque probum, contra quam diuitię faciant, quę magno ſunt impedimento ad ſcientias, uirtuteſque adipiſcendas. Vnde tam ex parte probitatis, atque ſapientiæ, quam ex parte diuitiarum euenit, ut ſæpenumero uiri probi, & docti pauperes ſint, & humiles, improbi uero abũdẽt fortunę bonis. PROV. Tria oſtẽdẽda tibi ſunt, Ingenioſè, ſi rectè intelligo. Primũ, paupertatẽ hominẽ induſtriũ reddere, doctũ, & probũ; ſecundo, probitatẽ, atque ſapientiã eſſe paupertatis cauſſas; ita ut quodammodo circulus fiat. Tertio diuitias maximopere obeſſe illi, qui probus, & ſapiens cupit euadere. Quanquam tertium hoc membrum, nulla fere indiget probatione; Conſtat enim & rationibus, & exemplis propemodum infinitis, diuitias, & fortunæ bona à ſapientia, atq; uirtutibus homines retrahere. Nam ut Piccolomineus noſter inquit, munera fortunæ, frequenter homines reddunt laborum inimicos, uoluptatum amicos. Quos enim euexit fortuna, multas experti ſunt uoluptates, & otia, ideo & ægre illa deſerunt, ut animi bona conſequantur, quę non ſine labore

Problem. 4.

Grad. 8. Cap. 5.

Digitized by Google

re comparantur. Sed quomodo duo capita priora comprobabis, Ingenioſe? INGEN. Facile. Ecce primum iam probatum, de induſtria. Paupertas enim hominum ingenium acuit, ad ſcientias, & artes comminiſcendas, ut his ſuccurrere homines poſſint defectui proprio, & paupertati ipſi. Propterea ab antiquis in locum Deorum ipſa quoque repoſita eſt ut Gyraldus teſtatur in pag. 58. Sic inquiens. Paupertas, & Ars à Gadareis cultæ ut Arrianus ſcribit, quod uidelicet Paupertas ad artes comminiſcendas, induſtriam, &
In Trinũ. hominum ingenium acuat. Contra Plautus Luxuriam Deam inducit matrem inopiæ. Probitatem etiam Paupertas parit, atque uirtutes, ea de cauſſa quoniam uir inops, cum alijs indigeat, illoſque ſæpè ſit rogaturus, ut ſibi benefaciant, bonaque largiantur, cogitur quodammodo à uitijs abſtinere, honeſtaſque actiones edere, ut his homines delectati, beneficas manus porrigant, ipſique pauperi ſuccurrant. Quod alioqui minimè facerent, ſi una cum paupertate uitia quoque ſint adiũcta. Odioſum enim uitioſus pauper. PROVID. Sufficienter uideris mihi primum caput explicaſſe. at quomodo ſecundum oſtendes, quo aſſerebas probitatem, atque ſapientiam eſſe paupertatis parentes? INGEN. Hoc iam præſtitum eſt antea ab ipſo Piccolomineo; Qui id euenire ea ratione ſtatuit, quoniam uiri probi, atque ſapientes ſola animi bona magnifaciunt, negligunt autem bona corporis, & fortunæ. ideo iure optimo ex eorum negligentia oritur, ut illis careant. At ſi uir ſapiens & prudens uellet diuitiis nauare operam, facile ditaretur, ut Thaleti contigit. Qui per Aſtronomiam præuidens futuram ſterilitatem olei, potuit ſapientiæ munere abſque ullo labore diuitiis abundare. At ſapientes uiri, præferunt animi bona diuitiis, illaque totis uiribus inquirunt, ideo ut plurimum diuitiarum ſunt indigi. At inſipientes & improbi pertinentia ad corpus magnifacientes per ignorantiam, euadunt ob curam & diligentiam opulentiſſimi. Per improbitatem uero nituntur per fas, & nefas argentum accumulare, quod uitant probi. Quoniam itaque Deus ſapiẽtiæ eſt, & probitatis amator, ideo & paupertatem diligit, ut pote illã, quæ eas libenter comitatur, eſtque illis uinculo quodam annexa. PROVID. Mihi ſatis arridet hęc doctrina, non poſſumque non illam ſummopere cõmendare. Sed ualde miror Incluſum noſtrum, qui huiuſmodi doctrinis uidetur ſummopere delectari, nihil hactenus attuliſſe in hanc ſententiam. INCLVS. Sicuti ſermones noſtri minimè ſuaues eſſent, neque iucundi, ſi ex ſolis uocalibus elementis conſtituerentur, multum autem leporis conſequuntur ex admixtione mutarum, ita & colloquia noſtra non adeo delectarent nos, niſi & aliquis noſtrum taceret, cæteroſque audiret differentes. Ego ſane maxime delectatus ſum Anonymi, Siticuloſi, Ingenioſique noſtri doctrina, uidenturque mihi omnem mouiſſe lapidem. Neſcio quid tamen omiſiſſe uidentur, quod apud auctorem quendam me legiſſe recordor, cuius nomen mihi modo non ſuccurrit. Id autem eſt, Deum acriter iniurias illas ulciſci, quę inferuntur pauperi, ſolereque beneficia eidem collata largiter præmiare, propterea quod ipſius nomen ferè perpetuo reſonat in ore pauperum, Qui cognoſcentes ſe nihil habere, quo cogant homines ad bene faciendum ſibi, ſolent illos orare, & deprecari per communem patrem, &

factorem

Digitized by Google

factorem Deum, idque apud omnes leges, atque nationes vſu venit, vt patet ex Homero. Hinc ergo fit, vt Deus illud ſibi ipſi factum putet, quod nos in paupetes fecimus, ſiue bonũ id fuerit, ſiue malum. PROVID. Hoc certè deerat noſtro Colloquio, & addendum erat omnino, vt omni ex parte abſoluta eſſet hæc inueſtigatio. Ego itaque in ijs, quæ à vobis hactenus dicta ſunt acquieſco, neque vlterius interrogabo. EVSEBIVS. Si placeret Domino Principi, duo verba libenter dicerem in hoc propoſito. PRINC. Dicas alacriter Euſebi. EVSEB. Quæ dicta ſunt à viris hiſce Doctiſſimis, mihi in mentem reuocarunt ſententiam quandam pulcherrimã Antonij Franciſci Doni, veſtram de Paupertate doctrinam ſummopere commendantis. PRINC. Quid ait ſcriptor ille celebris, atque feſtiuus. Tepidum aliquid expecto. EVSEB. Tale prorſus eſt, quod dicere paro. Aſſeuerabat vir ille facetus homines illos, quos euehit fortuna, quo ditiores fiunt, eo magis induere aſini naturam; è contra vero, quos illa deprimit, vna cum paupertate, humanam etiam formam paulatim adipiſci. In cuius rei declarationẽ ſymbolum quoddam afferebat pulcherrimum, & erat huiuſmodi. Pingebat ille rotam, quandam, quę à Fortuna circumferebatur. In huius rotæ ſummitate aſinus integer ſedebat. In parte vero rotæ deſcendente monſtrũ quoddam conſpiciebatur, quod deorſum ruebat præceps; cuius quidem monſtri caput, pectus, & brachia humana erant, cetera vero membra aſinum referebant. In infirma parte homo quidam appenſus cernebatur. At in aſcendẽte monſtrum aliud effingebatur, ſuperiora quidem habens aſini inferiora autem hominis. PRINC. Riſum nobis concitaſti Euſebi. At dicas mihi quõ picturam hanc interpretandam cenſeas. EVSEB. Hoc modo. Per rotam arbitror illum intellexiſſe rerum humanarum viciſſitudinem, præcipuè veco diuitiarum, earum enim propriũ videtur inſtar maris fluere, atq; refluere. Qua etiam ratione veteres illi ęgyptij diuitias ſignificare volentes *ἱερογλυφικῶς* caudam Panonis pingebant, earum inſtabilitatem denotantes: caudam is ſiquidem ſingulis annis cum primis arborum frondibus amittit, cumque earundem germine recipit, vt Pierius Valerianus aſſerit. Per ſuperiorem autem rotæ partem, in qua aſinus ſedebat, puto illum ſignificaſſe *Lib. 14.* ſtatum diuitum, per inferiorem autem pauperum. Hos autem per figuram humanam exiſtimo ſignificaſſe, propterea quod, vt hodie à vobis audiui, paupertas ipſa valde apta eſt ad homines ſapientes, atque prudentes efficiendos. Conſtat autem ſapientiam, atque prudentiam ſoli homini competere. Cumque & illud paupertas ęfficiat, quod Incluſus annotauit, nempe vt homo ſæpe Dei recordetur, illumque in ſuis actionibus frequenter imploret, hac etiam de cauſſa iure pauper homo per hominis imaginem ſignificatur. Et enim valde proprium homini inter cætera animantia cognoſcere Deum, ad illumque ſæpe conuerti tanquam ad proprium bonum, & eiuſdem auxilium implorare. Nam & hac ipſa dę cauſſa uidetur voluiſſe natura ut ſolus homo erecto capite incederet.

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram *Ouid. 1.*
Os homini ſublime dedit, cælumque videre *Metam.*
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Digitized by Google

Quare qui frequentius cælum ſuſpicit, ad Deumque confugit, is rectius homo dicitur. Iure ergo omnibus hiſce de cauſſis homo pauper ſub humana forma comprehendebatur à Donio. Contra uero diues aſino in ſummitate rotæ ſedenti aſſimilabatur, & iure illud quoque mea quidem ſentẽtia. Diuitiæ enim cum homines otij amicos reddant, hoſteſque laborum, ideo & à virtutibus omnibus eoſdem retrahunt, propterea quod illas poſuere Dij ſudore parandas. At homo ſine virtutibus peior eſt aſino, omnique beſtia. Inſuper diuitiæ tumidum hominem reddunt, ut Phocilydes dicebat. ὑψαύχει ὁ πολυς πλοῦτος, καὶ ες ὕβρεις αἴξει.

Diuitiæ elatum faciunt, ſcelera impia adaugent.

Hinc autem fit, vt diues homo in terrenis diuitijs confidens Dei ſui obliuiſcatur, tanquam illius non egeat auxilio. Quare & hac quoque ratione improbandus non eſt Donius, ſi diuitem virum aſino comparabat, cum vterque videatur in ſola terra confidere, illamque ſemper reſpicere tanquam vltimum finem, atque ſummum bonum.

HOSPES. Optimè rem hanc explicaſti Euſebi, atque apparet euidenter te optimè veſtigia imitari Doctiſſimi Patrui tui R. Odoardi Michaelij Incluſi noſtri. Faxit Deus, vt in dies tua doctrina creſcat; quod ut felicius eueniat ego, tibi, patruoque tuo ſanitatem perennem, annoſque Neſtoreos ex animo precabor, donec uita ſuppetet. INCLVS. Immortales tibi gratias ago. HOSPES. Equidem dicere poſſumus Euſebium omne tuliſſe punctum, tam apte miſcuit utile dulci. Atqui ſicuti ueriſſima ſunt omnia, quæ dixit de effectibus paupertatis, atque diuitiarum, ita illud quod vltimo loco attulit de diuitum ſuperbia, per quam Dei obliuiſcuntur, & ſimiles aſinis fiunt, mihi ſummopere placuit, eo quod ſimilem ſententiam habemus
Cap. 8. in Deuteronomio, ubi manifeſtè Deus innuit magnopere diſplicere ſibi, quod quis ob diuitias in ſuperbiã efferatur, & Dei ſui obliuiſcatur. Quod quidem, quia ſciebat facile ad diuitias conſequi, propterea populum ſuũ increpat, inquiens. Obſerua, & caue, ne quando obliuiſcaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius, atque iudicia ∴ ne poſtquam comederis, & ſatiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, habueriſque armenta boum, & ouium greges, argenti, & auri, aliarumque rerum copiam, eleuetur cor tuum, & non reminiſcaris Domini Dei tui ∴ Qui poſtquam afflixit te, ac probauit, ad extremum miſertus eſt tui, ne diceres in corde tuo. Fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præſtiterunt. Veriſſimum ergo eſt Diuitias hominem elatum facere, Deique obliuiſcentem, atque ex conſequenti dignum, qui cum aſinis potius, quam cum hominibus conferatur: Paupertas uero cum frequenter Dei memoriam pariat, hominem uerè hominem eſſe patefacit.

Digitized by Google

ODYSSEÆ

Decimoquarto, verſu CLVI.

Inimicus enim mihi, non minus Ditis ianuis
Et, qui egeſtate coactus fallacia loquitur.

Agitur de veracitate, & de Mendacio. Oſtenditurque Mendacium, cuiuſcunque tandem ſit modi peccatum ſemper eſſe.

COLLOQVIVM LIII.

INGENIOSVS.

MAGNVS veritatis amator erat Homerus noſter, qui æquali odio & mortem, infernique portas, & mendaces homines proſequebatur. Sic videtur nobis euidenter indicaſſe multo maius malum eſſe mendacitatem, quàm nonnulli exiſtimēt, illud ludi loco habentes, ac deliciarum, ſi cæteros verbis decipiant, ſemperque mendacia habeant in ore. SITIC. Minimè videtur mihi ò Ingenioſe, hic locus omne mendacium tam ſeuerè damnare, vt videris aſſerere, ſed illud tantum, quod in alterius damnum tendit, & propriè deceptio eſt, mendaciumque pernicioſum dicitur. Nam præterquam quod id patet ex Græca ipſa dictione ἀπατήλια βάζει deceptoria, ſeu fallacia loquitur, conſtat etiam ex re ipſa, quę hic agitur. Dicit enim Vlyſſes ſe illos odio habere, qui deceptoria loquuntur, qualia verebatur Eumæus, ne ipſe quoque hoſpes loqueretur Vlyſſes, nempe vt verbis affirmaret, certumque faceret Vlyſſis reditum in patriam, quem tantopere Eumæus expetebat, vt ab eo veſtimenta reciperet. At hoc genus mendacij verè damnandum eſt, ſemperque peccatum exiſtit, & pernicioſum dicitur, cum in proximi damnum vergat. Non tamen dicerem hoc loco interdici ab Homero cętera mendacia, quæ iocoſa, aut officioſa nuncupantur: ſicuti neque illa, quæ cum neque alijs noceant, neque proſint, audientem tantum in ſuſpenſionem, & admirationem adducunt. INGEN. Sanè etſi id tibi fortaſſe conceſſerim hoc loco, non damnari mendacium in genere ſumptū, illud tamen conſtanter aſſero id alibi factum ab Homero fuiſſe, eodem cū rigore, & deteſtatione. Nam in primo Iliados hæc habet.

Inuiſus enim ille mihi eſt, non minus ac Orci portæ,
Qui aliud quidem in mente tegit, aliud & profert ore.

Quibus conſtat Homerum omne mendacium quodcunque ſit deteſtari, non minus quam ipſam mortem, & Ditis ianuas, ut hoc loco ait.

Digitized by Google

SITIC. Putaſne id rectè dici ab Homero? INGEN. Quid ni? Etenim ſicuti
veracitas virtus eſt excellens, atque amabilis, ita illi oppoſitum mendaciũ
vitium eſt deteſtabile, & peccatũ ſemper, vt D. Thomas aſſerit. SITIC. Nõ
2.2.q.110. modo mihi non conſtat mendacium in genere ſumptum peccatum ſemper
art.3. eſſe deteſtandum, ſed neq; peccatum eſſe omnino. Imò id quod committi-
tur ad exhilarandum hominem, & ioci gratia, ſicut & illud, quod cũ nemi-
nem lædat, iuuat etiam aliquos, non modo non videtur peccatũ eſſe, ſed po
tius inter bona numerandum. INGEN. Peccatum ſemper eſt mendaciũ om
ne, quodcunque illud ſit, propterea quod vt D. Thomas aſſerit, eſt actus ca
dens ſuper indebitam materiam. Cũ enim voces ſint naturaliter ſigna con-
ceptuum, & intellectuum, innaturale eſt, & indebitum quod aliquis voce
Cap 7. ſignificet, id quod in mente non habet. ANON. Hoc cognouit & Ariſtote
les, qui in 4. Ethicorũ ait. Ac per ſe quidẽ omne in malo, vitioq; mẽdacium
eſt, veritas honeſta, & laudabilis. Et parũ infra. Mendaciũ omne, vt turpe ali
quid vitandum, & per ſe fugiendum. INGEN. At nõ modo peccatũ eſt, ve-
rum etiã deteſtabile, mendaciũ omne. Vir. n. mendax naturę dono, quod ho
mini maximum illa largita eſt, abutitur, verbis ſcilicet animi ſui ſenſa in
alterius animum transfundendi; quod quidem eſt humanæ rationis, & pru
dentiæ lumen extinguere; ut in tenebris degat homo, nec progredi ad pro-
Lib.11.de priã perfectionẽ poſſit. Quare quod Adoardus Gualadus addit eſt veriſſi-
Ciuili mũ deteriorem. ſ. eſſe mendacẽ virũ eo, qui monetã adulterat, cũ hic homi-
Phil.c.12. nũ corrũpat inuentũ, ille naturæ, & lõge magis noceat homini adulterata
veritas, quã pecunia. Eo vero grauius fit hoc peccatũ, quanto maiori cũ in-
cõmodo, & labore vix mẽdax abutitur naturæ donis, cũ tñ ſine vllo labo-
re, illis rectè vti poſſet. Scilicet veritas ipſa, q̃ amabilis eſt, & ſancta, ſua na-
tura facilis eſt, & dicẽti ſe ipſam offert. Idcirco eius oratio ſimplex eſſe dr,
cũ mendaciũ ſæpe ſit difficile, & egeat veteratoris verſutia, & meditatione:
ac niſi multa arte, & induſtria cõtexatur, & adornetur, ſubuertere veritatem
nõ poteſt, q̃ eſt interdũ (vt M. Tullius ait) ita perſpicua, vt eã infirmare nul-
Gualand. la res poſſit. Et rectè Seneca, veritas, inquit, in oẽm ſui partẽ eadẽ eſt, tenue
loco cita- eſt mendaciũ; pellucet ſi diligẽter inſpexeris. INCLVS. Multo magis graui
to. tatem auges mendacij, quam D. Thomas fecerit, ô Ingenioſe. Ille enim ſo-
lum pernicioſum, & quod directè charitati opponitur, peccatum facit de-
teſtandum, nempe mortale, iocoſum, & officioſum nequaquam. INGEN.
Ita profectò. Tamen ſi rectè conſiderentur ea, quæ ſubdit, hoc ſaltem appa-
rebit mentiendi conſuetudinem, ſiue ioci gratia, ſiue officij fiat, ſemper de-
teſtandam eſſe, & abhominabilem. Nam & qui per conſuetudinem inani-
bus etiam mendacijs delectantur, ut audientes in admirationem adducant,
grauiter peccant. INCLVS. Quomodo id deducis ex Diuo Thoma?

INGENIOSVS. Quoniam inquit mendaciũ omne fieri poſſe mor-
tale, ratione ſcandali, cum ſcilicet quis non ueretur propter ſcandalum
publicè mentiri. At quicunque mendacijs etiam inanibus delectan-
tur, ij dum mentiuntur minimè ſcandalum verentur.

Huiuſmodi enim mendacia vt Gualandus ait, licet innoxia uideantur audienti, nocent tamen illi, qui illis aſſueuit. Nam in cauſſa

ſunt,

ſunt, vt ei poſtea affirmanti verum non credatur, & in audiente gignatur opinio illum vel vanum, vel leuem, vel prauum eſſe. Deinde ea conſuetudine mentiendi habitus in eo augetur, atque perficitur. Rectè ergo Homerus omne mendacium odit. Hæc tamen omnia de formali mendacio reor eſſe intelligenda, cui ſcilicet coniuncta eſt voluntas fallendi. Nam de materiali, quando ſcilicet, qui falſa loquitur, putat ſe verum dicere aliter videtur ſtatuendum. PROVID. Putas ne idem eſſe mendacium dicere, & mentiri? INGEN. Differentiam habes apud Aulum Gellium, & ea eſt, quã modo tetigi. Mentiri enim propriè dicitur, qui alterum ſcienter mentiendo fallare conatur, quod formale eſt mendacium. At mẽdacium dicit, quicunque rem aliter narrat, quam ſe habeat, etſi ipſe quoque decipiatur, putans ſe vera loqui, quod eſt materiale mendacium. Non tamen hic propriè dicetur mendax. Aliud enim eſt mendacium dicere, aliud mendacem eſſe. Quicunque enim mendax eſt, etiam mendacium dicit. Non tamen e conuerſo. PROVID. Optimè. Simile quiddam & D. Auguſt. ait, poſſe ſcilicet aliquem hæreſim dicere, cum tamen minimè hæreticus dicatur.

O D I S S E Æ

Decimoquarto, verſu CCCCLXIII.

- - - - Vinum enim iubet
Stultum, quod impellit ſapientem etiam valde cantare.
Et leniter ridere, & ſaltare impellit
Et aliquod verbum præfari, quod non dictum melius.

Quæ cauſſa ſit, ob quam vinum homines exhilaret, & cantare, atque ridere faciat; inſuper & verba eliciat, quæ arcana eſſe debent, & non dixiſſe iuuaret.

C O L L O Q V I V M LIIII.

A N O N Y M V S.

REQVIRERET hic locus, vt de varijs effectibus, quos vinum parit diſſereremus, cum uideamus ab eo alios exhilarari, alios in triſtitiam adduci, & lachrymas fundere, alios in furorem agi, alios denique in uarios affectus incidere. Conſtat & illud, nullum eſſe accomodatius medium ad elicienda ex ore hominum arcana ipſa, uini potu. De quibus omnibus hic diſſe-

rendum foret,& eorum cauſſa inueſtiganda. Sed quia de his omnibus accuratiſſimè, Io. Baptiſta Perſona tractauit in commento quod animi mores,&c.ideo poſſumus hæc omittere, & ad alia procedere.

ODYSSEÆ

Decimoquinto, verſu XIX.

Scis enim qualis animus in pectoribus mulieris:
Illius vult domum augere,quicunque duxerit,
Filiorum autem priorum,& mariti dilecti
Non amplius recordatur mortui,neque inquirit.

Non eodem modo Patrem filios amare, quo Mater ipſa. Oſtenditur naturalis quædam differentia, quæ inter Patris, Matriſque amorem reperitur.

COLLOQVIVM LV.

PROVIDVS.

NON erat admodum in Homeri lectione verſatus,aut parum illius tribuebat auctoritati, vir ille Doctiſſimus, qui ſuperioribus diebus, hoc ipſo in loco tam copioſè de fœminarum laudibus publicè diſſeruit, dignas illas eſſe contendens, quæ viris in omnibus rebus præferantur. Hæc enim Homerica ſententia viuum,vt aiunt,mulieribus tangit,aſſerens mulieres adeo leuiter, atque facile amoris obliuiſci illius, quo filios, maritumque proſequebantur, vt nouo iunctæ viro filiorum priorum demortuique mariti memoriam deleant,neque de illis tantiſper inquirant. TVTVS. Etſi hoc neutiquam dixiſſet Homerus res ipſa loquebatur,& experientia rem eandem confirmabat. Obſeruatum enim eſt,ex omni hominum memoria, mulieres ad ſecundas nuptias tranſeuntes filios ipſos non quidem ſecum ducere,ſed derelinquere, dotem autem ſubtrahere,& in noui mariti domum exportare. Virum autem etſi ſecundam vxorem ducat, filios tamen alere,& nunquam deſerere.Et confirmatur,quoniam videmus lege ſancitum eſſe,ne quis pater omnino filium exhæredet,matri vero concedi vt filios omnino priuet propria dote. Indicium euidentiſſimũ ſapientiſſimos illos legumlatores nouiſſe mulieres non ita præter ſui naturã agere,ſi filiorum,maritique memoriam exuant,quam ſi idem patri, atque marito contingat. SITIC. Quicquid ſit de huius Homericæ ſententiæ veritate,illud conſtat illam Ariſtoteli aduerſari. Qui in octauo,& nono Ethicorũ non modo pro confeſſo aſſumit maiorem in matribus amoris ſenſum erga filios,

Cap.12.
Cap.7.

Digitized by Google

filios, quam in patribus reperiri, verum etiam duplicem affert huius euentus cauſſam, vtranque quidem rationi conſonam, atque probabilem. In octauo enim inquit matres amare magis, quia euidentius agnoſcunt filios aliquid eſſe ſui. In nono vero addit id etiam ea de cauſſa fieri, quoniam ea ſunt chariora, quæ maiori ſunt parta labore. Partus autem multo difficilior matribus eſt. Hanc eandem ſententiam recipit & D. Thomas. Et vno verbo, quicquid alij dicant conſona eſt experientiæ. Quis. n. non videt matres tenerius, atque intenſius filios amare? Nōne id ſatis patet ex ingenti labore, quo illos lactant, cuſtodiunt, & ad maturitatem vſque perducunt? Et poſtquam creuerint, nonne illarum amor ex indulgentia eximia conſpicitur, matrum in filios? raro illos verberant, rarò reprehendunt, cauent ne illos ad iracundiam prouocent, & vno verbo, nunquam illis ſunt moleſtę. TVTVS. Negari poſſet conſequentia Siticuloſe. Non enim extrema hæc indulgentia amorem arguit, ſed potius odium. Non ille vere amor, qui in bonum non fertur. Hæc Matrum indulgentia in cauſſa illius eſt, quod Terentius ait in Heautontimorumeno. 2.2.q.26. art.10.

Matres omnes filijs
In peccato adiutrices ſolent eſſe.

Sed quid Terentium memoro? Ecce Sapientis auctoritas, qui id euidenter docet an nimia indulgentia ſit indicium amoris, necne. Prou. 13.

Qui parcit virgæ odit filium ſuum.

Non igitur matres ea de cauſſa dicendæ ſunt filiorum amatrices, quia illis nimium indulgeant, cum potius hoc odiū arguat. SITIC. Neque tu meliores attuliſti cōſequentias Tute. Nonne vides Salomonis auctoritatem de effectu non de eſſentia amoris, aut odij eſſe intelligendā? Qui parcit virgæ, nō ideo dicitur odiſſe filium, quia inuiſus illi ſit, ſed quia cōmittit rē, quæ filium aliqñ odio dignum reddet. Conſtat tamen eū, qui parcit virgæ, tunc qñ parcit, amare filium perditè. Idem & de Terentio dico. Non. n. alia de cauſſa matres filijs morem gerunt omnibus in rebus, niſi quia nimiū illos amant. TVTVS. Ego breuiter me expediam ab hac controuerſia alio quodam inexpugnabili argumēto. SITIC. Quodnam hoc eſt? TVTVS. Audi. Nunquam auditum eſt à ſeculo Patrem fame cōpulſum propriós filios deuoraſſe, quod tñ de matribus legitur 4. regū, & apud Ioſephū. Contra de Patre apud Dantem legitur, quendā vna cū filijs tribus in turri clauſum, vt fame periret, cū illos vicinos morti cerneret obnixe eoſdem rogaſſe, vt paterna carne veſcerentur. Hoc ſaltem euidentiſſimè oſtendit Homerum rectè ſentire, errare Ariſtotelem. SITIC. Hic neſcio quid dicam. PROVID. Putaſne Siticuloſe Ariſtotelem hac in re cum Homero pugnare? SITIC. Quid ni? PROVID. Erras. Hoc. n. tantum mali Homerus de mulieribus dicit, qđ facile amoris obliuiſcātur filiorum, atque mariti. Quod autem Ariſtoteles dicit boni eſt illas maiorem habere ſenſum amoris, teneriuſque filios diligere. At hæc non ſunt contraria, neque repugnant inter ſe. SITIC. Nōne qui intēſius amat, diutius etiā amat? PROVID. Minimè. Vidiſti ne vnquā eandem imaginē ab eodē ſigillo imprimi in cera, & in plūbo? SITIC. Vidi. PROVID. Nonne intenſius, atq; diſtinctius illā recipit cera, q̃ metallū faciat? 4. Reg. 7. Ioſephus 7. de bello Iud. cap. 8

ciat? SITIC. Proculdubio. PROVID. Et tamen nullo negotio delebitur à cera, plumbum illã retinebit cõſtãtius. Sic & in amore. Fieri poteſt, vt quis leuiori de cauſſa amet, & intenſiorē amorē recipiat, validiorē in ſe actionē, atq; motū recipiēs ab obiecto amabili, & tñ facilius etiã eundē exuat amorē, quã ille faciat, qui tardius amat, atq; lentius. Immo ita prorſus ſe res habet. Qui cito amoris tela recipiunt, propter eundē amorē deſerunt. Qui vero amori reſiſtēt magis, hi vbi illū ſemel admiſerint, diutius ſeruant. ANON. Mihi ſummopere placet hæc ſententia, videmus n. illam eſſe apprime cõſonam experientiæ. Quid facilius amat tenero puello? quid hoc amore incõſtantius? Adoleſcentulos fere oẽs videmus faciliime cuiuſlibet amore capi, faciliime & amatum relinquere. Quare Horatius recte de adoleſcentulo cecinit, inquiens. *Imberbis iuuenis, &c.*

Art. P oet. *Sublimis cupidus & amata relinquere pernix.*

At è contra, qui tardius amant, ij cum amare occeperint, conſtantius amant. Erit ſatis vnum exemplum pro multis. Franciſcus Petrarcha, cum ſępius amori reſtitiſſet, pluraq; eiuſdem tela, ut ipſe dicit, obtudiſſet, fregiſſetque, tandem amore captus Lauræ, vnicuique notum quam conſtanter illam etiam poſt mortem amauerit. PROVID. Optime ſentis. ANON. Diceres ne, quęnam ſit huius rei cauſſa naturalis? PROVID. Dicam, quam ego puto eſſe veriſſimam. ANON. Hanc afferas obſecro. PROVID. Amor affectus quidã eſt, & paſſio appetitus ſenſitiui, erga rē amatam, originē trahens a uoluptate, & cõplacentia illa, quæ ex rei amatæ cõſideratione reſultat. Vnde conſtat quo maior eſt complacentia, atq; uoluptas, quã obiectum parit, in amante, eo etiam vehementiorem amorem conſurgere. Vnde non alia de cauſſa hic facilius, & intenſius, ille difficilius, lentiuſq; idē obiectū amant, niſi quia obiectū ipſum ſicuti vni eorū valde iucundū vř, ita alteri parū iucunditatis videtur continere. Hinc enim fit ut ille amet cito, & vehementer, hic tarde, & lente. ANON. Quam dicis eſſe cauſſam differentię huius? PROVID. Proculdubio dicendū illam oriri ex diuerſitate naturarum, atque ſtudiorum. Ex qua fit ut non eadem re oẽs delectentur. ANON. At hæc n. eſt illa cauſſa, quã quærebam. Scire vellē vn de fiat, vt nonnulli facile rei cuiuſlibet euadant amantes, atque cupidi, alij vero ita ſint moroſi, vt vix videantur amoris capaces eſſe, aut ſaltē reſiſtant magis. Hoc illud eſt, qđ interrogabã. PROV. Mihi quoq; videbar, neſcio quo pacto, ex propoſita materia excidiſſe. Cauſſa ergo, quã q̃ris, eſt quædã imaginationis differẽtia, qua fit, vt nõnulli ita ſint cõſtituti, ut facile moueãtur à quolibet vel leui obiecto, pulſenturq; eorū imaginatio vehementer. Ex quo accidit, vt ipſi res alioqui minimas, & quæ ſpernendæ eſſent recipiant vt magnas, ſeriaſque, & multum habentes ponderis, atque momenti. Alij vero è contra res magnas, atque præclaras tanquam leues ſint recipientes, paruipendunt. Hinc ergo ſequitur ut illi ſæpius ament, cum quidlibet illis placeat, dignumque, quod ametur videatur, alij vero ea etiam, quæ uere utilia ſunt, & bona, vix ament, cum nihil fere illis uideatur tale. Quod ſi cauſſam conſtantiæ, quam quis in amando maiorem, aut minorem ſeruat requiras, ego iuxta eandem doctrinam precedens, dico illam

eſſe

Digitized by Google

eſſe eiuſdem imaginationis differentiam in fortitudine & imbecillitate. Quibus enim fortiter hæret illa voluptas aut vtilitas, quam amabile obiectum parit, ijs, conſtans ineſt amor, ijs, qui facile illius obliuiſcuntur voluptatis, contra accidit. Ita vero natura conſtitutum eſt, vt qui cito, & facile amant, quibuſque res videntur maioris eſſe momenti, quam ſint reuera, ijs etiam debilis ſit imaginatio, labiliſque & inconſtans amor. Qui vero fortem habentes imaginationem diutius illius voluptatis imaginem ſeruant, quam primò perceperunt, atq; ita amorem ſemel conceptum ſeruant, hi etiam illius ſunt naturæ, vt pauca illis placeant, parumque ab obiectis externis moueantur. ANON. Nondum plenè acquieſco. Scire enim cupio, quænam illa ſit cauſſa naturalis, quæ hanc vel illam imaginationis differentiam facit. PROVID. Hanc, ſicuti & cætera omnia ad huiuſmodi argu- Pag. 281.
mentum pertinentia diligentiſſimè proſecutus eſt Io. Baptiſta Perſona in 282.
Commentario, Quod Animi mores. oſtendens eos, qui humidioris frigidio 283.
riſque cerebri ſunt, ea etiā eſſe imaginatione præditos, vt ab externis obie- 284.
ctis valde moueatur, ipſique obiecta multo meliora æſtiment, quam ſint re vera. Contrarium autem euenire calidis, ac ſiccis. Quare ſequeretur huiuſmodi homines, qui cerebrum humidius, atque frigidius habent facilius rei cuiuslibet amore capi. Porro eodem commento Perſona oſtendit alio in Pag. 131.
loco in humido cerebro debilem, imbecillamque imaginationem, atque 172.
memoriam reperiri, & rationem talem, quæ facile delaſſetur, nec firmiter 173.
hæreat imagini conceptæ. Vnde & ex hoc ipſo & aliud membrum colligitur, ſcilicet eos, qui ita conſtituti ſunt, minimè conſtantes eſſe in rebus amandis, eo quod cito illis effluat voluptatis illius imago, quam ex obiecto perceperunt. E contra vero eos, qui ſiccum cerebrum habent ſicuti & fortiorem imaginationem, & memoriam validiorem obtinet, ita & amorem difficile admittere, & quem aliquando conceperunt diutius ſeruare. ANON. Iam cuncta intelligo. Ex his enim euidentiſſimè colligitur mulieres & citius, & magis filios, atque maritum amare, dum illos præſentes habent, & ab eorum iucunditate, & vtilitate moueantur. At vero citius etiam, atque facilius eorundem obliuiſci, ſi ſemel illos deſerant, cum illud temperamentum obtineant, quod & ad facile, & vehementer amandum inclinat, & promptè facit obliuiſci. Viros autem contra ſe habere, ſcilicet ob ſiccitatem temperamenti nec tam prompte aut vehementer diligere, nec tam citò conceptum amorem deſerere. PROVID. Optimè colligis. At magis in hanc ſententiam confirmaberis, ſi Perſonæ commentum illum legas. Oſtendit enim eodem loco, eos qui ita ſunt affecti, vt res obiectas pluris æſtiment, quam earum natura requirat, (cuiuſmodi nos diximus eſſe mulieres) eſſe etiam garrulos, atque curioſos natura. Quæ duæ proprietates ita euidenter mulieribus ineſſe conſpiciuntur, vt nulla id indigeat confirmatione. Concludendum ergo eſt, hanc differentiam reperiri inter Patris, matriſq; amorem erga filios, & erga ſe ipſos, quod mulieres, dum filios, maritumque præſentes habent, vehementer illos diligunt, & amant, profunde recipientes in ſe voluptates illas, & vtilitates, quæ ab illis proueniunt, magnaſque eaſdem iudicantes. Atque hoc eſſe illud puto, quod dicebat Ariſtoteles in Ethicis.

Ethicis. At ſi noui mariti ſe ſe offerat occaſio, ſemelque filios deſerant, citò omnium priorum obliuiſcuntur nouas flammas facile admittentes in profundum. Hoc autem illud eſt, quod hoc loco Homerus aſſerit. E contra maritus ſicuti nec tam perditè amat præſentem mulierem, neque filios, idque ob ſiccitatem, atque iudicium perfectius, ita ſuum amorem qualiſcunque illa ſit incorruptum ſeruat, etiam poſt vxoris mortem, atque filiorum. ANON. Egregie hanc ſententiam confirmat Pierius Valerianus, in lib. 46. Hieroglyphicorum, in Lucerna. Teſtatur enim apud Onirocritas lucernam haberi pro Symbolo muliebris Amoris, ea de cauſſa quoniam lucerna ſicuti facile accenditur, & ſemel accenſa ardet, & vel leui flatus impulſu extinguitur, ita & muliebris amor eſt huiuſmodi, vt à qualibet vel leui cauſſa excitetur, excitus ardeat, & ad ſummam intenſionem perducatur, & inſuper adeo ſit inconſtans, atque variabilis, vt vel leui accedente cauſſa deleatur, atque deſinat. PROVID. Ego quoque hoc hodie didici.

ODYSSEÆ

Decimoquinto, verſu CCCLXXXIII.

- - - Dolor & multus ſomnus.

De ſignis moderati, immoderatique ſomni. Et recenſentur mala, quæ parcus, multuſque ſomnus parit.

COLLOQVIVM LVI.

SITICVLOSVS.

ROGASTI Me ſæpius, Polydore, vt referre aliquando vellē mala, quæ immoderatus ſomnus parit, & quibus indicijs dignoſcere valeamus nos quod ſatis ſit dormiſſe. Egoque tibi pollicitus ſum me id in tui gratiam facturum hoc loco, vbi primum talis ſeſe offerret occaſio. En modo illam. Viſne id faciam? POLYD. Amabo. Sed malum quoddam omen hic video, Siticuloſe. SITIC. Quodnam? POLYD. Quoniam Homerus hoc loco euidenter falſum quoddam enunciat de ſomno, dicens multum ſomnum dolorem eſſe quendam. Conſtat enim dolorem eſſe triſtem ſenſationem, in ſomno vero ſenſus omnes feriari, ita vt audiuerim aliquando ſomnum remedium eſſe dolorum omnium, tantum abeſt, vt ipſe ſit dolor. INCLVS. Immo mirari ſubit Homerum appellantem ſomnum dolorem, cum ſciam illum

ſolitum

Digitized by Google

ſolitum fuiſſe aliquando eundem nuncupare λυσιμέριμνον, quod curas,atque labores mortalibus ſoluat. Et recte Ouidius ad ſomnum ait.

Somne quies rerum, placidiſſime Somne Deorum.

Et Seneca in choro furentis Herculis

Tu quoque ò domitor Somne malorum,
Requies animi, pars humana melior vitæ.

SITIC. Hæc omnia,ò Amici,præter rem afferuntur. Non enim crediderim Homerum exiſtimaſſe ſomnum eſſe formaliter,& eſſentialiter dolorē, non enim id aſſerit, ſed tantum inquit, immoderatum ſomnum eſſe dolorem, ideſt doloris cauſſam, propter multa, eaque grauia, quæ parit mala. POLYD. Optime ſatisfactum. Duo ergo vellem oſtendi mihi. Primum quidem, quænam ſint illa mala,quæ ſomnus immoderatus parit: Deinde vero quibus ſignis moderatum, ab eo, qui talis non eſt diſtinguere valeamus. SITIC. At hæc inter ſe ſunt ita coniuncta, vt vnum ſine altero tractari commode haud poſſit. Non enim aliter medici à moderato ſomno degnoſcunt eum, qui moderatus non eſt, niſi per illa mala, quæ hic efficit. POLYD. Eia ergo,quamprimum hanc tractatiunculam exordire. SITIC. Ad hanc rem recte peragendam, oporteret fortaſſe prius de ſomni cauſſis efficiente,formali,materiali,atque finali differere,oſtendereque modum, quo ille fiat,cuius facultatis ſit paſſio,& alia huiuſmodi, quæ cum longiſſimā orationem requirant,inſuper & apud medicos auctores,facile intelligi poſſint,ego hic conſulto prętermitto.Illud tantummodo breuiter tangam,ſine quo inſtituta tractatio recte ordinari haud poteſt, ſomnum nempe ea de cauſſa inſtitutum à natura fuiſſe,vt animalium vires,quę per vigilias labefactantur reſolutione ſpirituum, & ſanguinis, ſolidarumque partium reficerentur, ad priſtinumque robur rediret animal. Redit autem ea ratione, quoniam per ſomnum omnes illæ conſumptæ partes regenerantur,concoctione alimentorum,cuius eſt præcipuus auctor ſomnus, ita vt à nonnullis dicatur coquus naturæ. Concoquit autem ſomnus, calorem innatum intus reuocando,vbi conſiſtunt alimenta concoquenda. Vnde inter alia,quæ ad rectam ſomni adminiſtrationem requiruntur, illud videtur eſſe præcipuū, vt poſt cibum aſſumptum fiat, iuxta illud noſtri Homeri à Galeno relatū.

Vt lauit, ſumpſitque cibum det membra ſopori, *5.de ſanit.*
Namque hæc iuſta ſeni. *tuend. 3.*
Odyſſ. vlt.

Concoquit autem ſomnus non alimenta modo in ventriculo exiſtentia, *verſu 253* verum & in iecore,& in partibus omnibus,quo fit vt per ipſum partes omnes creſcant ſolidæ, humidæ, & impetum facientes. Cum enim ſpiritus omnes,& ſanguis intro reuocentur,nec amplius ad externa moueantur,perpetuo autem in proprijs viſceribus generentur, euenit vt in ſomno eorum quoque copia creſcat,& augeatur. Ille ergo optimus moderatuſq; ſomnus, qui hæc omnia exactè præſtat,propter quę datus eſt animalibus,qui,ſcili-

cet,

cer, vires roborat omnes corpus quiete reficiens, concoctiones omnes confirmans, ſpirituſque, & ſanguinis ſubſtantiam, nec non & ſolidas partes reficiens. POLYD. Quibuſnam indicijs cognoſcam hæc omnia recte peracta eſſe; Eſt ne tempus aliquod præfixum ſomno, quod illius mediocritatem circumſcribat? SITIC. Nequaquam. Etenim iuxta naturarum varietatem, & temperamentorum, variatur ſomni, reliquarumque rerum omnium medio critas, atque menſura. Alij enim longiori, alij breuiori ſomno gaudent, vt ſanitate fruantur. Sola optima natura, exacteque temperata illa eſt, quæ ſibi ipſi cuncta determinat, & præſcribit iuxta appetitus menſuram. Temperatis enim tantum dormiendum, comedendum, bibendum, quantū ipſi dor-
Art. Par. cap. 85. mire, edere, bibereque deſiderant, non plus minuſue, vt Galenus tradidit. At intemperatæ naturæ non ita, ſed quædam breuiorem ſomnum, quędam longiorem quam opus eſt amant. Quare non quidem horarum numero definiri hoc poteſt ob miram varietatem naturarum cum communium, tum ſingularium, & ob varias corporum diſpoſitiones. POLYD. Nondum tamen docuiſti quibus indicijs moderatus ſomnus, ab eo, qui talis non eſt diſtingui poſſit. SITIC. Hoc facile vnicuique eſt intelligere ex dictis; quando non aliud quam virium reſtauratio, laſſitudinis, & defatigationis medela, corporis agilitas, & vno verbo virium robur reuocatum terminus naturalis eſt, cauſſaque finalis ſomni ipſius. Tamen vt hæc exactius intelligas, audi. Peccatur in ſomno dupliciter, & cum excedit modum, & cum infra ſubſiſtit. Soletque à medicis moderatus ſomnus circumſcribi per priuationem earum noxarum, quas nimius, aut parcus ſomnus parit. Vnde fit vt incommoda immoderati, deficientiſque ſomni, non modo indicent immoderatum ipſum, ac deficiētem, verum etiam mediocrem, atque perfectum.
2. De rat. vict. in fine. POLYD. Hęc ergo incommoda recenſeas tandem. SITIC. Ea recenſet Hippocr. inquiens. Vigilia (nos hic intelligere poſſumus deficientem ſomnum) cibos, & potus crudos, & incoctiores facit. Et quæ in contrarium fit mutatio (id eſt diuturnior ſomnus) diſſoluit corpus, & excoctionem, & capitis grauitatem facit. Non eſt obſcurum deficientem ſomnum cruditatem parere, quando ſomnus tantopere concoctionem iuuat. Dicam tamen breuiter, quæ ſint cruditatis ſigna. Sunt ergo hæc abundantia flatuum per vniuerſum corpus vagantium; Hos conſequuntur diſtentio, murmurque ventriculi, oculorum tumeſcentia, facies decolor, oſcitationes multę, & pandiculationes. Cruditatem præterea conſequitur onus, & grauitas ventriculi, vrina aquæ ſpeciem referens, & ructus acidus. At nimius ſomnus diſſoluit corpus, ait, id eſt pigrum reddit, & ad motum difficile. Cauſſa eſt, quoniam vbi cibus, potuſque concoctus fuerit, nec per longum ſomnum diſtribuantur tempeſtiuè, per vniuerſum corporis habitum, nec excrementa genita in concoctionibus egerantur, ſed omnia intus maneant, vitiantur; nerui vero imbibentes ſuccos, quos diſtribui oportebat, ac diſſipari, emolliuntur, vnde corpus diſſoluitur. Excrementa autem denuo effumant, vndique, vnde caput grauatur, quod tertius erat effectus immodici ſomni. Alimentorum inſuper fit excoctio, id eſt corruptio quædam, quæ nimiæ concoctioni ſuccedit, vt & carnibus nimium elixatis accidit. Cum itaque hæc indicia ſint

immo-

immoderati, deficientiſque ſomni, ideo ſatis dormitum eſſe putabimus, cum nullum eorum aderit, ſed recens experrecti neque cruditatis in ventre, ſignum aliquod ſentiemus, neque in vrina, neque in alijs partibus. Exercitatio vero nequaquam ſit difficilis, neque corpus pigrum, neque caput graue. Sed è contra totum corpus, & caput agile, ſine dolore, facilíſque excitationis. POLYD. Iam ſatis mihi videor rem hanc intelligere. At nonne dantur à medicis documenta quędam, & regulæ, quibus præcauere poſſumus, ne in ſomno committatur erratum aliquod; vt qui ſit melior decubitus, quæ melior hora, dormiendi, quæ durationis menſura, & ſimilia quædam? SITIC. Dantur certè; Egoque libenter hæc omnia in tui gratiam afferrem niſi negotij cuiuſdam neceſſitas, quod mihi modo venit in mẽtem, me hinc cogeret diſcedere. Ne tamen omnino tibi deſim indicabo tibi auctorem, apud quem hæc omnia inuenies diligentiſſime explicata. Auctor eſt Thomas à Vega Commentario in Artem Medicam; Nec paruum fructũ capies ſi Io. Baptiſtam Perſonam inſuper legeris in Diſcurſibus Medicis, capite. 13. POLYD. Hoc mihi ſufficit. Illos hodie legam, dummodo aliquis veſtrum præbere mihi legendos velit. SITIC. Ego vtrunque tibi dabo libentiſſimè. Cap. 85.

ODYSSEÆ

Decimoquinto, verſu CCCLXXXXVII.

Nos autem in ſtabulo bibenteſque, comedenteſque
Doloribus ad inuicem delectemur triſtibus
Recordantes. nam inter dolores delectatur vir
Quicunque iam valde multa paſſus eſt, & multa errauit

Quenam ſit cauſſa voluptatis illius, quam nos experimur dum proprias calamitates commemoramus, alijſque recenſemus.

COLLOQVIVM LVII.

TVTVS.

NESCIO Quid dicam de hac ſentẽtia. Aliquando quidem ego quoque illius veritatem expertus ſum; vnde & vera videtur mihi. Contra vero nonnullos noui, qui ne recordari quidem vellẽt calamitatum illarum, quas paſſi ſunt antea. Ego igitur hanc annotaui, vos rogaturus, vt quid de illa ſententiaris ego quoque intelligam. SITIC. Ipſe Homeri textus, ſi rectè conſideretur, videtur euidentiſſimè hanc ſententiam explicare. Eſt enim

enim Eumæus ſubulcus, qui hanc ſententiam profert. Nam cum multa paſſus eſſet rogat ærumnoſum Vlyſſem vt delectari ſecum velit recordatione,& narratione ſuarum calamitatum. At non hoc tantum rogat,vt proprij dolores vtcunque narrentur, ſed vt id fiat comeſtionis tempore, &, vt aiunt, inter pocula. Inquit enim.

Nos autem in ſtabulo bibentes, atque comedentes
Doloribus ad inuicem delectemur triſtibus, Recordantes &c.

Vnde videtur mihi talem narrationem introducere voluiſſe,ea tantummodo de cauſſa, vt comeſtio,atque pocula maiorem voluptatem afferrent, oppoſita dolorum præteritorũ recordatione. Scilicet ego ita cenſeo,nõ alia ratione ex calamitatum recordatione oriri delectationem,niſi iuxta poſitione contrarij; nulla enim voluptas ſentitur dum præſentes aduerſitates narramus;ſed poſtquam præterierunt, tunc eorum delectat recordatio,eo quia magis facit experiri dulcedinem,deliciaſque præſentis ſtatus. Adſtipulatur experientia.Non enim quempiam video cum iucunditate preſentia mala narrantem.At vbi deſierint,ipſe vero in portu,vt aiunt,nauigat,tunc illa recenſet cum voluptate. Et ne quiſpiam veſtrum putet hoc meum eſſe figmentum,audite Chryſoſtomum hoc eodem modo de hac ipſa materia ſcribentem. Vt igitur(inquit)& nos maiorem capiamus voluptatem,pauca eorum, quæ tunc acciderint commemorare volo:vobis enim,& poſteris omnibus vtilem horum eſſe video narrationem.Quoniam & de naufragio ſaluatis iucundum eſt fluctuum meminiſſe,& tempeſtatis,& ventorum,poſtquam in portum nauigauerint, & valetudine detentis deſiderabile poſt ægritudinem,febres,per quas paulo minus ad mortem venerint,alijs enarrare. Cum enim grauia præterierint voluptatem habet eorum commemoratio,anima non amplius formidante, ſed maiorem capiente delectationẽ: Continua enim præteritorum malorum memoria præſentem tranquillitatem diligentius cognoſci facit. Ita vir ſanctus. Ergo & Eumæus cupiens hoſpitem conſolari, illique iucundiorem reddere menſam hoſpitalem, querebat præterita mala narrarentur. TVTVS. Non hercle negauerim in hoc quoque partem aliquam voluptatis conſiſtere,quod ærumnarum preteritarum recordatio magis eluceſcere faciat iucunditatem præſentis ſtatus. At quod hæc ſola voluptas in tali commemoratione reperiatur, vt tu videris aſſerere,ego ſane admittere non poſſum. Conſpiciuntur enim quãplurimi, ne dicam omnes, qui in medio aduerſitatum conſtituti nunquam ceſſant illas omnibus enarrare, ſemper eadem repetentes. Quod ſane haud facerent niſi narrando voluptatem aliquam perciperent.Non ergo ſola præteritorum malorum recordatio dulcis, ſed & præſentium quoque. Immo & Homerus idem videtur confirmare, qui ſententiam abſolutam profert, inquiens.

Homil.13. ad popul. Antioch.

Nam inter dolores delectatur vir
Quicunque iam valde multa paſſus eſt,multumque errauit.

PROVID.

PROVID.Hoc illud eſt,in quo mihi quoque diſplicebat opinio Siticuloſi. TVTVS. Quid ergo diceres in hoc negotio Ingenioſè Prouide? PROVID. Mihi aliter videtur diſtinguendum. Dicerem enim iuxta auditorum differentiam ſuauem, aut amaram nobis eſſe noſtrarum aduerſitatum enarrationem. Scilicet ita cenſeo,nulla voluptate illum affici, qui calamitates ſuas illis narrat, quos putat minime dolituros ex tali narratione,ſed potius voluptatem percepturos, cum taciti ſint hoſtes. His nemo ſua detegit mala,ſed celat quoad eius fieri poteſt. At ſi qui multa patitur,in aliquem amicum incidat,qui & bonis amici lætetur,& malis doleat,huic dum propria recenſebit incommoda non mediocrem percipiet iucunditatem. Cuius rei ego illam eſſe cauſſam puto,quoniam cum videamus alios nobis compati, & condolere,noſter quoque dolor,& calamitas quodammodo videtur imminui, altero illius partem aſſumente, & vna nobiſcum onus vniuerſum ſuſtinente.Ex quo deinde ſuccedit nobis ſpes quædam, & confidentia,quã in illo reponimus, vt auxiliari nobis debeat,atque ſuccurrere. ANON. Simile quiddam videtur Eccleſiaſtes ſignificaſſe,dicens.Melius eſt duos eſſe ſimul, quam vnum, habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ. ſi vnus ceciderit ab altero fulcietur. Væ ſoli quia ſi ceciderit non habet ſubleuantem ſe, Et ſi dormierint duo fouebuntur mutuo; vnus quomodo calefiet? PROVID.Euenit autem vt ille maximè omnium viris calamitoſis compatiatur, atque condoleat, qui ipſe quoque aliquando calamitatibus ſubiectus fuit,& maximè ſi fuerint eiuſdem generis. Contrahitur enim amicitia quędam per Fortunæ ſimilitudinem, & præcipuè illius, quæ inuidiæ non eſt capax. Hinc fit,vt qui aliquando ærumnoſus extitit, libenter aliorum ærumnas audiat, illiſque compatiatur,putans ſe proprias audire calamitates ab aliis ſuſceptas eſſe, tanquam a ſocijs quibuſdam; Libenter & proprias referat dum videt illum audire,qui ipſe quoque preteritorum malorum partem videtur ex narratione ſuſcepturus.Hoc videtur optime Homerus nouiſſe,qui facit Eumæum hanc proferre ſententiam,dum cum Vlyſſe loqueretur: Eumæum inquam illum, qui cum infinita propemodum vitæ pericula ſuſtuliſſet, cum eo loquebatur Vlyſſe, qui tot τοῦ πολύτλαντος ſortitus fuerit.INCLVS.Mihi ſane arridet hęc doctrina omninoque in illa acquieſcerem, niſi duo obſtarent. Primum quidem quoniam Homerus videtur hanc ſententiam ita proferre, vt nullam adhibeat auditorum diſtinctionem. Inquit enim. Cap.4.

Nam inter dolores delectatur vir
Quicunque valde multa paſſus eſt &c.

Alterum eſt,quod neque tua hæc doctrina videtur habere experientiam adiutricem:Quamplurimi enim ſunt,qui calamitatibus inuoluti, cũ forte non habeant, quibus cum illas communicent eligunt deſerta, remotaque loca,vt ibi libere exclamantes,verbis dolores imminuant,&(vt ita dicam) euomant.Hi nullum habent auditorem,niſi forte Echo,aut arbores,& ſaxa. Et tamen ſolitaria illa lamentatione certum eſt illos delectari non medio-

criter,

criter,alioquin illud non facerent. Indicium hoc eſt euidentiſſimum arcanam aliquam voluptatem ineſſe in ſimplici, nudaque miſeriarum enarratione,quicunque tandem ſit præſens noſter ſtatus,& qualeſcunque ſint auditores. TVTVS. Equidem mihi rectè ſentire videris.Incluſe,nec quiſquã mihi magis viſus eſt huius rei medullam attigiſſe, & difficultatis nodum. Vtinam ita mihi ſatisfacias in reddenda cauſſa illius euentus. INCLVS. Confido me illam rectè ſatis allaturum.Vtinam mihi omnia illa ſuccurrerent, quæ Io. Baptiſta Perſona de Veridicorum, Mendaciumque temperamento tradidit,in Commentatio ſuo. Quod animi mores. Hæc enim quia ſummopere ad huiuſmodi negotium conferunt,magnam lucem,fidemque meæ afferrent orationi.Referam ea,quæ memoria non exciderunt.Dico itaque homines in miſeriis conſtitutos dum ſuas ærumnas narrant, ea ratione conſolari,quoniam vna cum verbis,quæ proferunt ſibi videntur etiam dolores ipſos, eorumque cauſſam depromere, & euacuare. Eſt enim locutio hominibus, & omnino vox animalibus cunctis à natura tributa vt ſignum ſit naturale conceptuum, & internarum animi paſſionum. Cum autem nos cupimus ea, quæ intus latent ſiue ſint conceptus, ſiue animi paſſiones aliis ſignificare, vellemus eas ipſas res, & affectus expromere, & oſtendere audientibus. At quia hoc fieri nequit,ſed tantum eas per ſignum vocale poſſumus indicare,ideo euenit vt nos ſignum, cum re ſignata cõfundentes arbitremur vna cum verbis,quibus internas paſſiones exprimimus,atq; proferimus, ipſos etiam dolores quodammodo (ſic enim cupimus)eijcere, & oſtendere audienti.Hinc autem voluptas oritur,Et hanc eſſe cauſſam puto, vt animalia cuncta voce prædita, dum dolore afficiuntur aliquo vocem emittant, & gemant. Sic enim putant vna cum voce,quam mittunt foras, dolores etiam ipſos pellere, & euacuare, tanquam illos qui cum voce ſunt coniuncti vt ſignatum cum ſigno.Nam quid aliud conferre poteſt exclamatio doloribus ipſis internis? Hanc eandem ſententiam videtur mihi perbelle expreſſiſſe Pierius Valerianus,his verſibus.

Tecum flebo mea fatum miſerabile fortis,
Purgatoque minus pectore moeſtus ero.

TVTVS. Præclarè certè videris mihi huius euentus cauſam attigiſſe, putoque ita prorſus ſentiendum,licet adhuc neſcio quid mihi videatur negotium facere.INCLVS.Quidnam hoc eſt?TVTVS.Id quod in principio colloquij huius retuli.Nempe quamplures eſſe,qui non modo non afficiũtur voluptate vlla dum proprias aduerſitates narrant, verum etiam illud ſummopere fugiunt & cauent. Quod ſi fortaſſe quis cupiat illas intelligere,& occaſionem præbeat illas recenſendi,hi è contra rogant vt de aliis rebus ſermo fiat, fugientes calamitatum ſuarum recordationem. INCLVS. Hoc equidem euenit aliquando,ſed non te turbet. Accidit enim hoc illis tantummodo, qui & ſi multa paſſi ſunt aliquando, ea tamen deleuit longinquitas temporis,aut facilis obliuio. Vnde ſibi melius eſſe putant in ea obliuione malorum manere, quam eorundem narratione eaſdem miſerias

quo-

quodammodo reuocare. At illi,qui tantopere gaudent ſuarum miſeriarum commemoratione, ſunt qui actu patiuntur illas, & de his nos modo loquebamur.

TVTVS. Iam mihi uideor exactè huius Homericæ ſentẽtiæ rationem intelligere,& poſſidere.

ODYSSEÆ

Decimoſexto, verſu XV.

Oſculatus eſt autem ipſum capite, & ambobus luminibus pulchris,
Manibuſque ambabus. tenera autem ei excidit lachryma.
Sicut autem pater beneuolus filium ſuum amplectitur,
Venientem ex longinqua terra decimo anno
Solum,vnicum in ſenectute genitum,quo dolores paſſus eſt,
Sic tunc Telemachum Diuinum diuus ſubulcus
Totum oſculatus eſt, circumplexus vti mortem effugiſſet.

De Cauſſa Eximiæ voluptatis illius, quam experimur, dum rem amatam oſculamur.

COLLOQVIVM LVIII.

ANONYMVS.

EGO minime miror, ò Amici, quod Eumæus ſubulcus aduenientem Telemachum, qui iam diu aberat, tot in partibus voluerit oſculari, neque miror ſi idem quoque nobis contingat,cum filios, aut amicos de longe aduenientes excipimus, atque complectimur.Non hæc miror inquam. Illud mihi ſubit admirari, quod cum tantæ ſuauitatis ſint oſcula,vt à nonnullis cenſeantur digna,quæ ab amantibus principaliter expetantur, magis etiam, quam actus ipſe venereus, nemo tamen hactenus extiterit, qui exactè ſuauitatis huiuſce cauſſam aperuerit,pleneque tractauerit. Hanc ob cauſſam placuit mihi hunc locum annotare, vt ſi quid noueritis vos ad huius problematis diſſolutionem conducens,afferatis in medium.

TVTVS. Riſum mihi concitaſti ò Anonyme, tuo hoc Problemate, immo & indignationem quandam. Ignoſcas obſecro.

ANON. Quamobrem indignationem? Riſum enim moror. TVTVS. Propterea quod leuior res eſt, quam quæ hoc loco tractari mereatur.

ANON. Ergo ne tibi leuis res illa videtur, aut illius ſpernenda inueſtigatio,quæ tam reconditam cauſſam habet?

TVTVS. Immo leuem dixi tractationem,propterea quod huius pro-

blematis cauſſa, nota eſt omnibus hominibus. Ecquis enim ille eſt, qui neſciat in boni expetibilis fruitione & poſſeſſione reperiri voluptatem? Quis ignorat nos ea tantum oſculari, quæ amamus, & poſſidemus?

ANON. Ad pauca reſpexiſti ò Tutè, ideo nil mirum ſi tam citò, tamque facilè reſpondeas. Dic mihi quęſo. Putas ne illum, qui amatam mulierem digito, aut manu tangit, vt fit in choreis, illa frui quodammodo, & eandem poſſidere? TVTVS. Quid ni?

ANON. Ergo & in his tactibus quoque ſua inerit voluptas, & delectatio. Nonne? TVTVS. Proculdubio.

ANON. Æqualiſne hæc voluptas erit, cum illa, quæ oſcula conſequitur? TVTVS. Nequaquam.

ANON. Rectè reſpondiſti. Si ergo maiorem voluptatem percipit, qui rem amatam oſculatur, quam qui tantummodo manibus tangit, afferas mihi cauſſam huiuſce differentiæ; Hanc enim ego inquirebam. Afferas, tu, qui leuem hanc tractationem cenſes. TVTVS. Iam video difficilius eſſe hoc Problema, quam exiſtimaueram. Nunc mihi in mentem venit oſculum in ſacris litteris pro ſigno pacis haberi, eſſeque pignus amoris ſinceri, atque vehementis, quod certè non de alio contactu celebratur. Vſque adeo, vt Sponſa quoque in diuinis Canticis, amore languens ſpōſi ſui, ſolam illam videatur ſui deſiderij amplitudinem ſignificaſſe, quæ oſculo oris illius adimpleretur. Nunc ergo tam vehementer ſcire huius rei cauſſam cupio, quam leuiter antea hanc inueſtigationem ſpreui. Noſti ne tu illam Anonyme? ANON. Mihi videor noſſe.

TVTVS. Ne illam nobis inuideas. ANON. Dicam quod ſentio. Vnicuique notum eſt amantes nil aliud vnquam optare, niſi vt rem amatam poſſideant, illaque fruantur, & in huiuſmodi fruitione notum eſt voluptatem reperiri. Conſtat autem amantem frui re amata, illamque poſſidere, quando illi coniungitur. Vnde quia hæ coniunctiones inæqualiter fiunt, & differunt ſecundum magis, & minus, ideo & voluptates, quæ illas conſequuntur non ſunt eiuſdem rationis, neque eiuſdem vehementiæ. Hoc patet experientia. Qui abſentem mulierem amat, tunc voluptate afficitur cum illam imaginatur, eiuſque ſpeciem contemplatur, quia ſic illi coniungitur quodammodo ſpeciem illius, & imaginem actualem poſſidens. At ſi mulierem liceat videre, adhuc maiori afficietur voluptate, quia & coniunctio maior eſt facta, obiecto præſente, & intuitiuè cognito. Quod ſi adhuc magis coniungatur, manibus illam tangens, maiorem proculdubio delectationem experietur, ſicuti & illa eſt maxima quando inter ſe corpora permiſcentur, & ſemina.

PROVID. Nondum tam mirabilem, tamque iucundam gradationem, ſeriemque voluptatum intellexi.

ANON. Ergo ſicuti inter Venereas voluptates illa eſt maxima, quam vltimo loco dixi, ita poſt hanc aſſero primum locum oſculis dandum eſſe.

TVTVS. Hoc eſt euidentiſſimum.

ANON. Oportet ergo magis coniungi oſculantem, cum re quam oſculatur, quam ſi quolibet alio modo, illam tangat.

TV-

Digitized by Google

T V T V S. Hoc quoque ex dictis ſequitur; at quomodo id fiat minimè video. A N O N. Audias ergo, Nonne putas illum, magis cum amata coniungi, qui non modo illam tangit, verum etiam aliquid illius intus aſſumit, quam qui tantummodo illam tangit in ſuperficie? TVTVS. Abſque dubio. A N O N. Videas ergo, quod qui oſculatur amatam, non modo illam tangit ore, verum etiam os affigens auidè illius corpori, ſpiritumque celeriter attrahens aliquid ex illa ſugit, aut ſaltem ſibi uidetur ſugere dum oſculatur, idque ad cor fontem amoris tranſmittere. Qua ratione ſibi maximè videtur ſatisfacere; Et eo magis ſi os ipſum amatæ deoſculetur. Tunc enim non modo tangit, & ſugit, verum etiam illud ſugit, & in ſe trahit, quod à corde aſcendit mulieris amatæ, ſpiritum nempe. Atque hoc modo videtur ſibi pignus quoddam accipere amoris reciproci. T V T V S. Sanè non alia eſt cauſſa tantæ ſuauitatis, quantam in oſculis experimur.

A N O N. Si ſcirem me tibi rem gratam facturum, vobiſque omnibus, quędam Lucretij carmina referrem, ex quibus adhuc melius rem hanc intelligere quiſque poſſet. TVTVS. Cur vereris afferre?

ANON. Obſcena fortaſſe alicui videbuntur, cum in illis quædam referantur effecta vulgaris Amoris, indigna caſtis auribus. Tamen non verebor eadem hic recenſere, ſecutus exemplum Marſilij Ficini, qui ipſa recitauit in Sympoſio, illud inſuper addens, amantem ita erga rem amatam affici, vt totum ſuum corpus in illam transferre, & totum illius in ſe transfundere ſtudeat. Quod cum facere nequeat, facit id quod poteſt. Vt & Artemiſia, Mauſoli Regis Cariæ Vxor, oſtendit. Quæ ſupra affectionis humanæ fidem virum ſuum amauiſſe dicitur, eiuſque defuncti corpus redegiſſe in puluerem, & aquæ inditum ebibiſſe. Quomodo autem & alijs modis idem facere Amantes tentent, Lucretius docuit, cuius carmina hæc ſunt.

Sic igitur Veneris, qui telis accipit ictus,
Siue puer membris muliebribus hunc iaculatur,
Seu mulier toto iactans de corpore amorem
Vnde feritur eò tendit, geſtitque coire,
Et iacere humorem in corpus de corpore ductum.
Affigunt auidè corpus, iunguntque ſaliuas,
Oris, & inſpirant præſſantes dentibus ora
Nequicquam: quoniam nihil inde abradere poſſunt.
Nec penetrare, & abire in corpus corpore toto.
Nam facere interdum velle, & certare videntur,
Vſque adeo cupidè Veneris compagibus hærent,
Membra voluptatis, dum vi labefacta liqueſcunt.

T V T V S. Putas ne hic afferri cauſſam voluptatis oſculorum?

A N O N Y M. Minime. Attamen tot alij effectus amoris recenſentur, & cauſſæ voluptatum, vt optimè eorum veritas innoteſcat, quæ nos de oſculis tradidimus.

Digitized by Google

PROVID. Neſcio quid mihi modo ſuccurrit, quod valde videtur illis aduerſari, quæ de gradibus voluptatum primo loco retuliſti. ANON. Quidnam hoc erit? PROVID. Hoc ipſum, quod cum tu ſummam voluptatem feceris Venereum actum, poſt hunc tactum ſimplicem collocabas, deinde viſionem, vltimo loco imaginationem. Ego vero memini me totum oppoſitum legiſſe apud Iouianum Pontanum, Poetam celeberrimum. Qui hæc omnia miſerias appellans, eo maiorem miſeriam facit, quo magis amans cum amata coniungitur. Afferam illius Tetraſtichum.

Lib. 1. Amorum.

Miſer qui amat, videtque quod cupit nunquam,
Magis miſer, qui amat, videtque nec tangit,
Miſerrimus qui amat, videtque, tangitque,
Nec tangit vt vult, nec ſibi gerit morem.

ANONYM. Pulcherrima ſanè carmina ſunt hæc. Sed ſcias hæc minimè nobis aduerſari. Conſiderat enim Pontanus hos affectus in ordine ad finem vltimum, & quatenus ſunt diſpoſitiones, & viæ quædam ad ipſum finem vltimum, qui nil aliud eſt, niſi coniungi perfectiſſimè cum re amata, illamque, vt vellemus, tangere, & poſſidere. Ideo Pontanus illos affectus miſerias vocat, & rectè, ratione deſiderij, quod ex neceſſitate adiunctum habent vltimi finis, vltimæque voluptatis. Nos autem illas conſiderabamus uoluptates, quatenus diſtincti ſunt fines, diſtinctæque fruitiones, & voluptates. Vnde ſicuti verum eſt maiorem eſſe illius uoluptatem, qui rem amatam tangit vtcunque, quam illius, qui tantum videt, & hæc adhuc maior illa, quę ſolam imaginationem amatæ rei conſequitur; ita etiam eſt veriſſimum, quod ſi ſupponamus neminem illorum, qui ita rebus potiuntur amatis, in ſua uoluptate quieſcere, ſed ultimam omnes appetere, & omnium maximam; ille miſerior erit, qui magis coniungitur cum amato, maioremque voluptatem capit.

PROVID. Quare miſerior?

ANON. Quia maius deſiderium habet vltimi finis; Quanta vero eſt deſiderij intenſio, tanta & miſeriæ.

PROVID. Qua ratione oſtendes illum magis rem amatam appetere, qui magis illa fruitur?

ANONYM. Non hoc dico. Prouide, ſed illum magis appetere vltimum finem, qui cum illum nondum ſit conſequutus, maiorem tamen voluptatem capit ex amata re. Scilicet, aliud eſt appetere rem amatam, aliud appetere modum fruendi ipſa. Qui rem amatam imaginatur, qui videt, qui tangit vtcunque, non vt vult; omnes illa fruuntur quodammodo, ſed inæqualiter; ideo & inæquales ſunt illorum voluptates. At nemo eorum extremam voluptatem attigit, ſed omnes illa carere, & eandem appetere ſupponimus. Dico ergo illum magis illam deſiderare, qui maiorem ex amato delectationem percipit. Ita vt omnes voluptates, preter vltimam propriam annexum habeant deſiderium, propriamque miſeriam, maiorque maiorē. Deſiderium enim abſentis rei, quędam eſt miſeria.

PRO-

Digitized by Google

PROVID. Nondum rationem reddiſti vnde fiat, vt quo magis quis cum amato coniungitur, & delectatur magis, eo intenſius vltimum finem, vltimamque delectationem expetat vehementius.

ANON. Hoc facile eſt cognitu. Qui enim exactius, & melius cognoſcit amabile obiectum, vehementius etiam idem appetit magiſque deſiderat perfectè frui. Qui autem propius accedit ad ipſum bonum, maioremque ex eo voluptatem percipit, melius cognoſcit.

PROVID. Optimè. ANON. Eſt ergo per accidens quod cum maiori voluptate maior ſit iuncta miſeria, ſicuti etiam per accidens eſt, quod qui amatum obiectum videt, aut tangit, non ſit illa voluptate contentus, ſed vlteriorem deſideret. Quod ergo nos antea dicebamus, verum eſt per ſe; quod Pontanus ait, verum eſt per accidens. Quare, vt ad rem noſtram redeamus, nil mirum ſi Eumæus aduenientem Telemachum tot in partibus voluerit oſculari, quod & nobis contingit cum filios iamdiu abſentes excipimus; Sic enim maiorem partem amati, cum totum non poſſumus, videmur in nos ipſos oſculi ſuctu transfundere, atque transferre.

O D I S S E Æ

Decimoſexto, verſu XVI.

- - - Tenera autem ei excidit lachryma.

De modo, quo in magna lætitia effunduntur lachrymæ.

C O L L O Q V I V M LIX.

T V T V S.

ANNO ſuperiori copioſè actum fuit de lachrymarum eſſentia, & generatione, multaque dicta fuere de effectibus illis, quos luctus facit, & quamobrem quis præ dolore lachrymetur. Attamen qui fiat, vt & præ gaudio nimio effundantur lachrymæ, haud nemini oſtenſum eſt. Quod hoc ipſum fiat vnicuique eſt euidentiſſimum, ipſumque hoc loco affirmat Homerus, qui Eumæum ſcribit lachrymas teneras fudiſſe, præ nimia lætitia, viſo Telemacho, quem non amplius reuerſurum putabat. Huius ego cauſſam ſcire percupio. Quam putas illam eſſe Ingenioſe? Interrogabo enim te, qui ni fallor, & anno præterito copioſè, & doctè de ſimili argumento tractaſti. *Colloq. &c.*

INGENIOSVS. Neſcio ſane, an de hac quoque re, quam tu interro-

gas ego meminerim necne. Id vnum ſcio ex ijs, quę tunc temporis à me dicta fuere, facile huius quoque rei cauſſam cognoſci. Scio enim me dixiſſe lachrymas ex glandulis quibuſdam oculorum ſero abundantibus exprimi, in magnis doloribus, propterea quod recurrentibus ad cor ſpiritibus, & ſanguine, cæteræ partes, quæ longe diſtant à corde, & potiſſimum quæ ad oculos pertinent, refrigerantur, & comprimuntur. Quo fit vt glandulæ ipſę quoque compreſſæ humiditatem contentam exprimant, effundantque. Hæc autem erumpens per oculos lachrima vocatur. Idem ergo fit & per lætitiam, ſed ratione diuerſa. Quemadmodum enim in doloribus effluunt lachrymæ compreſſis illis glandulis præ frigore, & propter ſpirituum recurſum, ita & in gaudio repentino, in quo ſpiritus ipſi à corde ipſo, ad externas partes affatim fluunt, euenit ut multa eorum pars ad oculos, cum quibus magnam cor habet ſympathiam, velociter aſcendat; quæ ſuo illo motu, & impulſu & glandulas comprimit, agitatque, & humiditatem illarum excutit, & in lachrymas ita conuertit.

TVTVS. Dicere ergo poſſumus glandulas oculorum comprimi à duabus contrarijs cauſſis, nempe & à ſpirituum recurſu ad internas partes, & ab eorundem effluxu ad externas.

INGENIOSVS. Prorſus ita dicendum. TVTVS. Ergo idem effectus à duabus contrarijs cauſſis fit. At hoc dici non poteſt.

INGENIOSVS. Poteſt & hoc dici, dummodo ab altera fiat per accidens. Eſt autem per accidens, quod retractis ad cor ſpiritibus, partes ipſæ externæ comprimantur. TVTVS. Optimè.

INGENIOSVS. Porro quod lachrymæ effluant in gaudio ea ratione, quam dixi, ex eo confirmatur, quoniam nemo per lætitiam videtur lachrymas effundere, niſi cauſſa lætitiæ fuerit validæ, & inſuper nouiter occurrat, & repente. Nam lætitia exiſtente leui, aut inueterata, non conſpicitur effectus lachrymarum.

TVTVS. Acquieſco penitus in hac doctrina tua, videris enim mihi probabiliſſimam huius euentus cauſſam attuliſſe. Sed dic mihi & illud quoque. Vnde fiat, vt in moeroribus, & timoribus ſpiritus ad internas partes reuocentur, in lætitia vero effundantur ad externas?

INGENIOSVS. Ego hic nil aliud habeo, quod reſpondeam, niſi ita natura comparatum eſſe, vt vnumquodque gaudeat eo, illiuſque commercium appetat, quod ſibi bonum eſt, & è contra illa fugiat, quæ ſibi ſunt contraria. Hæc in rebus inanimis quoque fieri conſpiciuntur. En vnumquodque elementum ad illum locum naturaliter pergit, in quo aptum eſt conſeruari, atque perfici; & elementa contraria ſe maxime fugiunt, & ad diuerſa loca tendunt. Frigidæ aeris partes æſtate profunda loca petunt, fugientes temporis æſtum. Hoc ipſum calidæ faciunt hieme, fugientes circunſtantis frigus. Si ergo hoc in rebus inanimis euenit, multo euidentius in animatis conſpicietur. Ergo animalium natura, vbi aliqua ſe ſe offerat mali, timoriſque cauſſa, ſicuti illam omnino fugit, & auerſatur, & ſtudet euitare, ita ſpiritus omnes, & ſanguinem, quæ illius ſunt inſtrumenta ab obiecto retrahit, & ad cor tranſmittit, ut illi ſuccurrat.

Eo

Digitized by Google

Eo quæ veluti quædam eſt antiperiſtaſis. Contra vero vbi obiectum occurrit iucundum, & delectabile, natura illud aſſequi ſtudet, eidemque coniungi. Propterea & ſpiritus omnes illi obuiam mittit, perinde ac ſi ratione iſta, medioque ſpirituum idem obiectum arripere, & ad ſe trahere vellet.

TVTVS. Hoc ſufficit ad exactam huius rei notitiam. Si quis enim his non contentus vlterius velit inquirere, & inueſtigare cauſſam propter quam vnumquodque ad bonum tendat, & malum fugiat, hic audiendus minime erit, ſed à Peripateticis ſcholis abigendus, tanquam mentis inops, qui cauſſam illius quærat, quod cauſſam non habet. Ego itaque hic acquieſcam.

ANONYM. Iam mihi videor optimè intelligere, quod nunquam intellexi antea, ſcilicet qua ratione illi tantummodo tenere dicantur lachrymari, qui præ nimio gaudio effundunt lachrymas. Qui enim præ dolore, aut moeſtitia id faciunt, non dicuntur teneras emittere lachrymas.

TVTVS. Quænam eſt hæc ratio, Anonymè?

ANONYM. Quia præ lætitia lachrymantibus vniuerſum laxatur, emolliturque corpus, fuſis ſpiritibus ipſis ad exteriora. Vnde iure teneræ dicuntur lachrymæ illę, utpote quæ à corporis mollitię proficiſcantur, & cum dulcedine manent. At quando dolor illas concitat, non merentur huiuſmodi appellationem; tunc enim contractis viſceribus, & uniuerſo corpore exprimuntur foras, vt dicebatur anno ſuperiori. Quo fit ut duræ potius uocari mereantur, fluentes ab indurato corpore, ob ſpirituum, ſanguiniſque contractionem ad interna.

TVTVS. Optimè per Deum Immortalem. Nunquam peregrinam adeo doctrinam audiui.

ODYSSEÆ

Decimoſexto, verſu XXIII.

Veniſti Telemache dulce lumen, neque te ego
Videre dicebam, poſtquam iuiſti naui ad Pylum.
Sed age nunc ingredere dilecte fili, ut te animo
Delecter; inſpiciens nuper aliunde uenientem.

Vnde fiat, vt dum in rebus iucundis occupamur tempus tam velociter præterire videatur: contra vero tardiſſimè labi vbi res moleſtas tractamus.

COLLOQVIVM LX.

INGENIOSVS.

PVTABAT fidus Eumęus nunquam rediturum charum Telemachum, propterea quod inſigniter deſiderabat illius reditum. Non poterat ſane excellentius indicare tale, tantumque deſiderium, quam dicendo ſe exiſtimaſſe illum nunquam rediturum. Sumus enim ita natura conſtituti, vt cum aliquid boni deſideramus, & expectamus, vt ſunt parentes, filij, dignitates, & alia huiuſmodi, multò longius nobis uidentur intermedium tempus, quam ſit reuera. Eumęus ergo tam vehementer optabat amatum Telemachum videre, ut tempus peregrinationis illius adeo longum ſibi uideretur, ut uitæ ſuæ periodum excedere putaret, neque arbitraretur ſe tamdiu poſſe perdurare, ut illum uideret redeuntem. Contra uero accidit cum aliquid mali nobis ſi peruenturum dubitamus. Citiſſimè enim tempus illud intermedium labi uidetur, & multò breuius apparet. ANON. Hoc ipſum & in alijs caſibus euenire conſpicitur. Ecquis enim non obſeruauit tempus in ludis, aut colloquijs iucundis conſumptum breuius uideri, citiuſque labi, ac præterire; contra vero ubi negotijs diſtrahimur, & occupamur moleſtis, tardiſſimè incedere, ita ut una dies pluſquam mille (vt ita dicam) anni, extendi uideatur? INGEN. Equidem ita ſe res habet, ſed res eodem redit. Quiſquis enim aliquid expectat boni, totum illud tempus, in quo expectat indicat faſtidij plenum eſſe, atque moleſtiæ, propterea longius uidetur; e contra uero, qui mala timet ſuperuentura, tempus præcedens iucundum æſtimat, quo fit ut breue illi appareat. Erroris tamen huius, ac deceptionis cauſſam rectius quis dixerit eſſe præſentis temporis iucunditatem, aut aduerſitatem, quam experimur; non autem bonum, aut malum, quod futurum expectamus.

IN-

INCLVS. Sermo iſte tuus, ò Ingenioſe, euidenter oſtendit te huius rei cauſſam intelligere; quam ego cum ignorare confitear, rogabo te ne illam dedigneris afferre. INGEN. Facilis eſt cognitu. Hanc mihi egregie indicaſſe videtur Alexander Piccolomineus, in prima parte Naturalis Philoſophiæ. Ego hic illam clarius explicabo. In primis itaque illud eſt euidentiſſimum in Ariſtotelis doctrina, tempus nil aliud eſſe, niſi menſuram motus ſecundum prius, & poſterius. Vnde eo longius erit tempus, quo maior uerit motus. Mobile enim duplum ſpatij percurrens, duplum etiam temporis conſumet in motu, dummodo ſecundum eandem velocitatem moueatur. Atquè hæc quidem vera ſunt in ſe, ſiue quis eiuſmodi motum cognoſcat, ſiue non. At ſi de lõgitudine temporis, quatenus cognita eſt loquamur, non ſufficiunt hæc ad illam maiorem, vel minorem reddendam, ſed neceſſe eſt vt & motus ipſius quantitas cognoſcatur. Tantum enim tempus nobis videtur, quantus apparet & motus. Hinc euenit aliquando, vt cum quis motum nullum obſeruauit factum, neque exterius, neque interius in imaginatione, quamuis verè factus fuerit, nullum etiam tempus exiſtimet pertranſijſſe, & ſi reuera pertranſierit. Hoc autem contingit illis, qui profundè dormierunt per aliquot horas, ita vt nullum motum factum cognoſcant neque exterius, neque interius. Hi enim neque dormijſſe, neque tempus vllum interea fluxiſſe cenſent duo illa temporis momenta coniungentes ſimul, inter quæ factus eſt ſomnus, vt Ariſtoteles annotauit. Vno verbo ſicuti tempus eſt menſura motus, ita nobis tantum videtur, quantus apparet & motus. INCLVS. Hoc neminem arbitror latere, ſed quid ad præſentem conſiderationem ſpectet minimè video. INGEN. Id videbis, modo attendas ijs, quæ ſum dicturus. Dico ergo, quod dum rebus iucundis occupamur, breue nobis tempus apparet, quia & exiguus motus videtur factus, quamuis multus extiterit. Sicuti è contra dum aduerſitates patimur longius apparet tempus, quia & motus maior. Tota enim noſtra voluptas, aut moleſtia ab actione aliqua noſtra pendet, aut paſſione, quam obiectum aliquod in nobis parit. Quare vtraque res quędam eſt fluxilis, & in motu quodam conſiſtens. Quando itaque motus aliquis nobis iucunditatem affert, nos vellemus illum ſtabilem, fixumque eſſe, minimèque fluere, aut labi. Et quia id apprimè optamus, ideo idipſum etiam nobis ipſis imponentes, fingimus euenire. Natura enim ita comparatum eſt, vt quemadmodum appetitus cognitionem ſequitur, ita quodammodo & illam ducat, illa faciens quodammodo apparere, quę ipſe cupit vehementer. Hoc optimè memoria teneo, cum in primo noſtro colloquio huius noſtræ Academiæ, anno ſuperiori à te fuerit optimè traditum, Incluſe. ANON. Idem quoque egregiè Arioſtus indicauit his verſibus.

Cap. 6.

4. Phyſ.

4 Phyſ.

- - - L'Huomo ſuole
Dar facile credenza à quel che vuole.

INGEN. Optimè. Quia ergo nos vellemus eos motus qui nobis iucundi ſunt permanere, minimeque labi, ideo id fieri nobis apparet, hac ratione.

Quamuis

Quamuis enim ipſi fluunt perpetuo, parſque poſt partem labatur, atque prętereat, nos tamen id quod præterijt colligentes imaginatione, nobiſque ipſis repræſentantes tanquam ſit præſens, & adhuc nos afficiat voluptate motum ipſum hac ratione coarctamus, atque colligimus. Vnde euenit poſtea, vt & tempus videatur breue, ob breuitatem motus, quam ipſi nobis fingimus. Contra vero, vbi aliquid nobis eſt moleſtum, longius illud tempus apparet, propterea quod motum illum, quem moleſtum experimur, extendimus imaginatione, atque diuellimus. Vnde fit vt ipſe maior nobis appareat, & tempus longius. Quemadmodum enim motu iucundi partes præteritas colligentes, & imaginatione reuocantes motum ipſum quodammodo contrahimus, & minorem, breuioremque facimus, ita vbi motus eſt moleſtus, illum vellemus cito præterire, & velociſſimè labi. Quo fit, vt idē nos fieri imaginemur, quod optamus, putantes motum illum velociorem eſſe, quam ſit reuera. Illius ergo partes, quæ ſunt præſentes, & adhuc nos vexant, nos imaginatione longe repellimus, quaſi præceſſerint, ſic exiſtimantes nos euadere à præſenti illa moleſtia. Cum itaque nos perpetuo huiuſmodi partes à nobis imaginatione remoueamus, & motum ita diuellamus, euenit vt quæ parum antea præceſſerunt, iamdiu præceſſiſſe videantur, menſurantibus nobis fluxum illum, quem imaginatione concepimus, non autem illum, qui realiter eſt factus. Hinc ergo fit, vt motus ille maior videatur, & tempus longius. INCLVS. O Pulcherrimam doctrinam. Omni argento, & auro charior mihi erit hæc ratio, quam attuliſti, Ingenioſè doctiſſimè. INGEN. Porro hæc omnia magis, minuſque fiunt pro uarietate voluptatis, aut moleſtiæ, quam experimur. Nam quo maior fuerit præſens iucunditas, aut moleſtia, eo etiam magis motum ipſum contrahimus, aut diuellimus. Vnde & tempus velocius, breuiuſque videtur, quo fuerit voluptas maior, & longius quo moleſtia vehementior. EVSEB. In huius confirmationem ego exemplum quoddam noui ſpirituale, ex quo appareret quam ſint acerba illa tormenta, quæ in Purgatorio patiuntur animæ mortalium hominum. Illud ego libenter afferrem, ſi ſcirem me vobis rem non ingratam facturum. PRINCEPS. Afferas alacriter. EVSEB. Legitur apud Seraphinum Razium, Monachum quendam, cum lethaliter ægrotaret, ſciretque ſe breui vitam cum morte commutaturum, rogaſſe alium quendam Sacerdotem, vt ſtatim ac ipſe defunctus eſſet, ipſiuſque corpus ſepultum, ipſe Miſſam pro ipſius animæ ſalute celebraret ad Altare quoddam, cui Iubileum conceſſum à Summis Pontificibus fuerat, pro animarum liberatione. Quod Sacerdos ille prompte ſe facturum promiſit. Non ita diu poſt moritur Monachus. Vix autem inceperant ea parari, quæ ad ſepeliendum eum pertinebant, quando defuncti anima apparuit Sacerdoti minitans & exprobans ei negligentiam, & tarditatem in Sacrificio illo offerendo, quod ipſe pollicitus erat. Reſpondente vero Sacerdote ſe eſſe paratiſſimum ad promiſſa præſtanda, ſtatim ac illius corpus ſepultum foret; ſpiritus alta voce reſpondit. Sacerdotem euidenter mentiri, iam enim multos annos (ſic ipſe putabat) e corpore ſegregatum ſe eſſe, & nondum fuiſſe ſacrificium oblatum, pro ſui liberatione, à Purga-

torij

Digitized by Google

torij tormentis. Quo audito ferunt Monachum reſpondiſſe eo ipſo die, eo ipſo mane illum ſpiritum à corpore ſecretum fuiſſe, cadauerque illius adhuc eſſe ſuper terram: inſepultum; quæ viſo à proprio ſpiritu, ferunt illum exclamaſſe, extremam eſſe Iuſtitiam Dei in peccatis puniendis, indicibileſque eſſe pœnas, quas in purgandis culpis animæ patiuntur extra corpus. Cognouit ergo ſpiritus ſe deceptum fuiſſe in ſupputatione temporis, totque annos ſe exiſtimaſſe ſpatium illud, quod non tot fortaſſe horas æquabat, ob pœnarum acerbitatem, quas ipſe ſpiritus interea patiebatur. Quod quidem mihi ſummopere comprobare videtur Ingenioſi noſtri doctrinam, dicentis eo longius videri nobis temporis ſpacium, quo moleſtior fuerit motus, triſtitiaque quam patimur vehementior. PRINCEPS. Et ſi Exemplum iſtud potius ad cognitionē quia, quàm propter quid ſpectet, iuuit tamen aliqua ex parte illud attuliſſe. Vidi enim ego nō ſemel Federicum Ioannellum Protectorem noſtrum, dum Euſebius loqueretur, lachrymas ſudiſſe. Quod euidentiſſimo eſt argumento hiſtoriam hanc illi placuiſſe ſummopere. Non poſſunt autem non prodeſſe, quę Protectori, & Protectori probo, qualis noſter eſt, placent. At ſatis ſuperque mihi videor imperaſſe, iam tempus eſt vt denuo coniectis omnium nominibus in pileum, nouus eligatur. Princeps. POLYD. Iam iſtud factum. PRINC. Aduoca ergo Iacobum, aut Marcum Antonium, vt pueruli manu futurus Princeps extrahatur, more ſolito. POLYD. En adeſt Io. Iacobus. PRINC. Incluſus Princeps erit.

ODYSSEÆ

Decimoſexto, verſu CLVII.

Minerua vero corpore aſſimilata eſt mulieri
Pulchræque, magnæque, & ſplendida opera ſcienti,
Stetit autem è regione ſtabuli Vlyſſi apparens.
Vlyſſes igitur, caneſque viderunt, & non latrarunt.
Blando autem gannitu ex altera parte per ſtabulum fugiebant.
Et parum infra, verſu 178.
- - - - Stupuit autem dilectus Vlyſſis filius
Timens autem ex altera parte iecit oculos ne Deus eſſet.

Quamobrem apparationes Diuinæ, atque Angelicæ cum primo fiunt, timore repleant homines, quibus Deus, aut Angeli apparent.

COLLOQVIVM XI.

INCLVSVS.

SI vnquam magni Homeri doctrinam, ſi ingenij excellentiam, ſententiarum grauitatem, myſticumque dicendi modum ſum admiratus, ò Amici,

ci,nunc certè admiror;& ſtupeo, Videturque mihi Homerus ſupra humanam conditionem elatus fuiſſe. Quid enim admirabilius, quid cognitu difficilius cogitari poteſt, quam Ethnicum hominem, & ſecundum leges naturæ viuentem,tantum videre potuiſſe,& eouſque cognitione penetrare, vt aſſereret Dei cognitionem, & apparitionem corpoream mortalibus eſſe terrificam? Ego ſanè, niſi ſacrarum litterarum auctoritas illud ſæpiſſimè comprobaret Deum nulli vnquam apparuiſſe corporaliter, quem prius nō timore repleuerit,neſcio an vlla ratione illud mihi poſſet perſuaderi,viſionem ſcilicet obiecti illius optimi, pulcherrimi, diuini,beatifici, quodque omnium fons eſt, & origo bonorum,in quo viuimus,mouemur, & ſumus, vllum nobis poſſe timorem afferre. Timorem afferunt mala,Deus eſt optimus,bonorũque omniũ auctor; timorē afferunt quæ mortē minari videtur, Deus eſt cauſſa vitæ, immo & ipſa vita; afferunt turpia, Deus eſt pulcherrimus;afferunt tenebræ, Deus eſt lux vera. Vno verbo pugnare omnino videntur Deus, & terribile.Et tamen Homerus hoc loco non modo Telemachum facit timentem Mineruæ conſpectum,verum etiam canes,ipſos,qui alioqui terribiles erant vnicuique ſtabulum illud ingredienti,latrantes,atque mordentes, quam primum viſa Minerua facit illius aſpectum declinaſſe,fugiſſeque hinc inde, blandum quendam gannitum emittentes,tanquam ipſi quoq; cognouerint ſe non poſſe ante Mineruæ conſpectum non modo latrare,ſed neque etiam ſine periculo permanere.Sanè duorum alterū. Aut Homerus vere Diuinus erat profundiorem ſciētiam nactus,quàm exiſtiment homines huius ſeculi;aut certè ſacra Biblia ad illius manus peruenere, in illiſque verſatus erat, & ab eiſdem hanc rem accepit. TVTVS. Tu videris,Incluſe,adeo certum facere Diuinas apparitiones timorem hominibus incutere,vt non aliter contingat;ego vero puto,& audiui aliquando non minus illas voluptatis,& iucunditatis ſecum afferre,quam timoris.

D.Tho. 3. p q. 30. ar. 3. ad 3.

INCLVS. Non negauerim hoc proprium eſſe diuinarum apparitionum,vt relinquant homines lætitia, gaudioque repletos, contra quam in illis eueniat, quæ à cacodæmone fiunt. Non negauerim inſuper timorem,& gaudium,hominibus illatum ex Dei voluntate pendere,qui dona ad ſui beneplacitum diſtribuit hominibus.Attamen ſi de eo,quod in principio huiuſmodi apparitionum euenit loqui velimus,ſacrarumque litterarum teſtimonijs inſiſtamus, videbimus, quod quotieſcunque Deus aut locutus eſt hominibus,aut illis aliter apparuit, ſemper, aut ſaltem vt plurimum timorē in hominum pectoribus illum concitaſſe. Sexcenta ſunt loca, ex quibus hoc ipſum elici poteſt,in ſacris Biblijs. Sufficiat mihi vnum, vel alterum attuliſſe. Ecce in Sacris Biblijs legimus,quod loquebatur Deus Moyſi,& Iſraeli, populus autem cum Dei vocem audire præ timore non poſſet, ad Moyſem conuerſus ait.Loquere tu nobis Moyſes,& non loquatur Deus,ne forte moriamur. Hic videbatur populo Dei vocem mortem allaturam ipſis eſſe. Sed quid clarius,quid euidentius dici poteſt in hoc propoſito,quā quod ipſa quoque Sacratiſſima Virgo Maria,audita Angeli voce nunciantis futuram verbi incarnationem, hancque in ipſius ventre Deum abſoluturum, vocantiſque illam gratia plenam, cui Dominus ſemper aſſiſteret,

turbata

turbata eſſe dicitur, & timore affecta? SITIC. Aliud eſt turbari mi Incluſè, aliud timore affici, vt hoc loquimur loco. INCLVS. Eccleſia veritatis magiſtra, verbum illud turbata, de timore interpretatur, inquiens. Et expaueſcit Virgo de lumine. Ne timeas Maria. Quo loco conſtat timuiſſe illam non vocem modo, verum etiam Angeli conſpectum, vt patet ex dictione, lumine. Digniſſimum ergo inueſtigatione eſt, an effectus iſte vllam habeat rationem naturalem, nec ne. PROVID. Si vllam habet naturalem, neceſſariamque rationem hæc inueſtigatio, certè hæc ratio ex parte Dei non eſt, qui in omnibus agit libere, quæ producit ad extra, non autem ex neceſſitate naturæ; ſed fortaſſe erit hæc ratio ex parte noſtri deducta, vt pote ex neceſſitate materiæ, aut ex alio fonte. ANON. Hoc ipſum illud eſt, quod D. Thomas affert in hoc propoſito, qui totam cauſſam euentus huius in naturæ humanæ neceſſitatem refert. INCLVS. Quid ait D. Thomas in hoc negotio? ANON. In parte tertia agens de huiuſmodi apparitionibus, ait hominem in illis eleuari ſupra ſe ipſum, & ideo partem eius inferiorem debilitari, ex quo prouenit pturbatio, ſicut ēt q̄ñ calor noſter naturalis ad interiora reducitur exteriora tremunt. INCL. Addit ne aliud? ANON. Addit Caietanus hmōi apparitiones, q̄ hominē eleuant ſupra ſe ipſum, ita fieri vt eleuatio ab inferiori parte inchoet, ducens admittendo hominem ſupra ſe ipſum. Huic autem fini, qui eſt eleuari tali modo, inquit annexam eſſe debilitationem partis inferioris, quia intentio vehemens animam ad ſuperiora trahens, deſerit debilem inferiorem partem. Quæ inferior pars cum deſeritur commouetur, atque turbatur, tanquam careat continente forti. Atque propterea ſubdit hanc D. Thomæ rationem procedere ſecundum naturæ humanæ neceſſitatem, quod ego parum antea dixi. INCLVS. Et ſi non negauerim huiuſmodi doctrinam magnam afferre lucem huic negotio, non tamen, vt ingenuè fatear videtur omnino quæſtioni ſatisfacere, neque tollere penitus difficultatem. Primum enim inquit cum homo ſupra ſe ipſum eleuatur in talibus apparitionibus debilem reddi ſecundum partem animæ inferiorem, eo quod vehemens intentio animam retrahat ad officium ſuperioris partis, Nonne? ANON. Ita prorſus. INCLVS. At ego dico inferiorem quoque animæ partem eleuari in illo caſu, eo quod Deus, aut Angeli corporaliter appareant, ſe videndos oſtendentes ſub aliqua ſpecie, & alloquentes homines idiomate aliquo illis noto. Vnde conſtat in huiuſmodi apparitionibus inferiorem quoque animæ partem ſecundum ſenſus operari, & eleuari ſupra ſe ipſam cognoſcendo obiectum illud, ſub cuius ſpecie placuit Deo, ſe ipſum patefacere. Falſum ergo videtur quod dicitur inferiorem animæ partem deſeri, ac debilem relinqui in talibus apparitionibus, cum potius ipſa quoque roboretur, & eleuetur ad cognoſcēdum obiectum ſupra ſe ipſam. Quod ſi ſecundum ſenſus non illud patitur, ergo neque ſecundum alias potentias inferiores. Non enim maior ratio videtur de vna, quam de altera. ANON. Optima ratio. INCLVS. Deinde, quid illud eſt, quod ait, inferiorem partem deſeri velut à continente forti, & debilem relinqui, dum anima tota retrahitur ad ſuperiora? Separantur ne tunc temporis pars animę ſuperior, & inferior ab inuicem realiter? Hoc nemo vnquam dicat.

q. 30. art. 3. art. 3.

dicat. ANON. Dicet fortaſſe inferiorem partem ita deſeri, & relinqui debilem, quia ſpiritus omnes,& ſanguis illam deſerant,& confugiant ad ſuperiorem laborantem circa obiectum. INCLVS. Equidem exemplum allatum de calore innato, neſcio quid tale videtur innuere, ſed tamen erronea eſſet reſponſio. Superior enim pars animę penitus incorporea eſt,& immaterialis, tota in toto, & tota in qualibet parte, nullius inſtrumenti corporei ad operandum indiga. ANON. Forte dici poſſet ita deſeri inferiorem partem, quod anima ipſa tota diſtrahatur, vniuerſas ſuas facultates dirigens ad ſuperiorem partem,ita vt minimè aduertat ea,quæ inferiori contingunt parti. Quemadmodum etiam dicimus auditum,aut viſum deſeri, cum alicui rei anima eſt adeo intenta, vt minimè animaduertat ea, quæ ſunt ante oculos poſita,aut auditum pulſant. INCLVS. Accomodatior reſponſio,ſed quæ nihilomagis conſiſtat ſuperiori. Timor enim,qui tunc temporis maximus excitatur,euidenter arguit,non ita deſeri partem inferiorẽ. ANON. Rectè. INCLVS. Sed audias aliud argumentum maximi momenti. Quotieſcunque timent homines aſpectum Dei,aut Angeli, nonne apprehendũt obiectum aliquod in illa apparitione ſub ratione mali? ANON. Prorſus, Hæc enim eſt timoris definitio, vt ſit fuga iraſcibilis appetitus facta ab obiecto ſub ratione mali ardui apprehenſo. INCLVS. Si ergo ſemper apprehendimus ſub ratione mali obiectum illud, quod timemus; peto qua potentia ita illud apprehendimus in apparitionibus angelicis? inferiorine animæ parte,an ſuperiori? ANON. Dicerem inferiori tantum;nam ſecundum ſuperiorem ſupponimus hominem eleuari ſupra ſe ipſum ad cognoſcendum diuinum obiectum. INCLVS. Sequeretur ergo tunc temporis nos ſecundum intellectiuam potentiam frui magno, & optimo obiecto, quod tamen ab inferiori facultate apprehenditur vt malum,noſque terret: quod eſt abſurdum. Præterea patet abſurditas, quoniam intellectus noſter agit more naturę,& ad vltimum potentię;vnde ſemper externa obiecta eo modo intelligit,quo repręſentantur à ſenſu. Dicendum ergo eſt,& intellectum ipſum in illo inſtanti temporis in quo timemus, decipi, neque rectè obiectum illud apprehendere, indicantem illud vt malum,cum ſit optimum. Ergo neq; intellectus ipſe eleuatur ſupra ſe ipſum, ſed potius videtur per deceptionem deprimi,atque turbari,non autem ſola inferior pars vt dicebat D.Thomas. PROVID. Certè quod & intellectus ipſe turbetur in Diuinis apparitionibus euidẽtiſſimum eſt ex ſacro textu. De Sacratiſſima enim Virgine legitur illam timuiſſe,& cogitaſſe,qualis eſſet iſta ſalutatio. Dum ergo timebat iraſcibili facultate,intellectu ſimul cõſiderabat an ille ſermo A Deo,eſſet,nec ne. Vnde conſtat in illa turbatum tunc temporis & intellectum fuiſſe,hoc modo, quod non omnino certò nouit diuinum ſibi nunciũ aduenisse. ANON. Quid ergo dicemus ad quæſtionem, ſi D.Thomæ doctrina non placet. INCLVS. Vultis ne vt ego referam,quid mihi dicẽdum videatur? ANON. Nonne vides in frontibus noſtris,quam gratum ſit omnibus futurum? INCLVS. Dicam ergo quæ ſit mea ſententia;ſed prius mihi libet altius aliquanto rem exordiri, hoc poſito fundamento,quod timor omnis ſupponit apprehenſionem obiecti alicuius ſub ratione mali. Vnde

neceſſe

neceſſe eſt & timorem, qui in huiuſmodi apparitionibus concitatur à tali aliqua apprehẽſione oriri. Quamobrem dummodo inueniamus, quid illud ſit, quod tunc ſub ratione mali cognoſcitur, ſtatim inuenta erit cauſſa timoris. SITIC. Videtur hoc cognitu facile. Nam quotieſcunque obijcitur Deus ſub aliqua forma nobis cognoſcẽdus, nemini dubium, quod tale obiectum eſt excellentiſſimum, & inſolitum nobis. Ideo primo aſpectu apprehenditur ſub ratione mali. INCLVS. O quoties data mihi fuit hæc reſponſio, Sed nihil valet. Quomodo enim obiectum excellentiſſimum apprehendetur naturaliter ſub ratione mali? Quod etiam dicunt de inſolito falſum eſt. Quæ enim apprehenduntur vt inſolita non timorem, ſed admirationem pariunt. Vno verbo ratio mali non eſt eadem cum ratione inſoliti, nec è contra. Sunt enim multa mala non inſolita, & multa inſolita non mala. Nõ apparet autem quomodo apparitio inſolita optimi alicuius obiecti, mala neceſſario videatur. PROVID. Quid ſi dicamus quotieſcunque Deus ſe cognoſcendum nobis præbet ſub aliqua ſpecie, animam cognoſcere ſub illa ſpecie latere obiectum quoddam excellentiſſimum, ſibique improportionatum, ita vt illud ipſa non poſſit viribus proprijs attingere? Atque ita apprehendere illud ſub ratione mali, quia improportionati? INCLVS. Melior reſponſio, ſed quæ nondum attingit ſcopum. Non enim ſequitur conſequentia, eſt improportionatum, ergo malum; immo obiectum de quo loquimur non alia de cauſſa eſt improportionatum, niſi quia ſumme bonum. PROVID. Quid ergo dicendum? INCLVS. Dicerem ego nihil aliud ibi reperiri poſſe, quod neceſſario apprehendatur ſub ratione mali, niſi neceſſitatem tentandi id quod eſt nobis impoſſibile: nam quid aliud dicamus? PROVID. Non intelligo. INCLVS. Audias ergo. Cum primum anima in corpore exiſtens, fertur in obiectum Diuinum, aut Angelicũ, cum ipſa nõ poſſit proprijs viribus illud attingere, quod latet ſub obiecto illo, (eſt enim excellentius, quam ab ipſa pertingi poſſit) Anima ipſa ab illa eximia maieſtate commota vires ſuas colligit, fugitque à cognitione illa, quã ſibi impoſſibilem putat, retrahens ab obiecto illo, quãtum poteſt proprias facultates. Hactenus autem nulla timoris cauſſa. Declinare enim illud, quod aſſequi proprijs viribus non poſſumus, timor non eſt, neque timoris cauſſa, quotieſcunque non adeſt in obiecto expreſſa ratio mali, vt hic ſupponimus, & iam probatum fuit. Sicqui oculos in Solem dirigens, deinde illos retrahit, & vertit aliò, nõ dicitur timuiſſe Solem, ſed declinaſſe illius aſpectum, tanquam impoſſibilem ſibi. At illud, quod homini tunc temporis malum videtur, eſt quod anima ipſa cogitur in obiectum illud tendere, quod aſſequi non poteſt, impoſſibilemque cognitionem tentare, nec ſibi quicquam prodeſt fuga ad declinandum. Quotieſcunque enim Deus, aut Angelus vult nobis oſtendi, & manifeſtari ſub ſpecie aliqua, nõ poſſumus illud euitare, ſed pręſente obiecto illo, & approximato potentiæ, cogimur tendere in illud. Cum itaque obiectum illud vere ſit ſupra noſtras facultates, primum quidem illius cognitionem declinamus tanquam improportionatam nobis; aut ſaltem vellemus id efficere. At quia non poſſumus, ſed contra potius cogimur niti, & in idipſum tendere, atque approximare, ideo

timemus,

Digitized by Google

timemus,& expaueſcimus,non obiectum ipſum,ſed neceſſitatem efficiendi illud,quod impoſſibile iudicamus;Hoc autem eſt attingentia,atque cognitio eiuſdem obiecti. Sic prorſus,qui oculos auertit à ſole, & ſi non ideo timeat, timebit tamen ſi quis ipſum cogere voluerit ad aſpiciendum Solem. PROVID. O pulcherrimam doctrinam. INCLVS. At videatis amici, quam expreſsè hanc ipſam doctrinam indicauerit Homerus noſter. Primũ dicit canes vidiſſe Deam, deinde fugiſſe ab illius aſpectu, blandumque gannitum emiſiſſe fugiendo. Proculdubio blandus ille gannitus lætitiam quandam,& iucunditatem in canibus indicabat. Si ergo viſio Mineruæ illos iucunditate repleuit, cur ab illa fugiebant. Aut ſi fugiebant, quomodo blandum gannitum emittebant? Soluitur per antedicta. Dum vident Mineruam canes,obiectum vident ſui natura pulcherrimum;ideo nõ quidem timent, ſed ganniunt blandè. At quia pulchritudo latens in muliere illa excellentior erat,quam comprehendi à canibus poſſit,ideo ipſi,natura duce,fugiebant,euitãtes illius aſpectum.Quod ſi quis coegiſſet canes iterum in Mineruæ faciem aſpicere, hancque coactionem præcognoſcere potuiſſent,illam timuiſſent ſummopere. Fortè etiam fugiebant per ſtabulum rimentes, ne denuo mulier illa ſibi ipſis aſpicienda obijceretur, ganniebant autem memores illius eximiæ pulchritudinis, quam quoquomodo deguſtarunt. Hæc dico,vt oſtendam Homerum illius fuiſſe ſententiæ,quod homines in diuinis apparitionibus, non propriè timeant Deum,qui apparet, ſed potius neceſſitatem cognoſcendi eundem,quamuis ſit improportionatum obiectum noſtrarum potentiarum. Hæc itaque ratio eſt,quam ego ex conditione humanæ naturæ deduco, quamque puto eſſe veriſſimam, cur anima turbetur ad Dei apparitionem.Eo vero magis in hanc meam ſententiam confirmor,quoniam vos omnes video annuentes, illamque læta fronte confirmantes. ANON. Ego quoque ingenuè fateor Incluſe, ſummopere placuiſſe mihi tuam ratiocinationem,vtpote quæ probabiliſſima ſit,& ex naturæ humanæ conditione, & neceſſitate optimè ducatur. Sed & illud quoque libere dicam me deſiderio affici maximo confirmandi ratione aliqua doctrinam Diui Thomæ. Illud enim mihi ſummopere placet, quod ait in apparitionibus diuinis animam turbari,quia inferior eius pars debilis relinquatur. Quod & ſi ſupra à te rationibus nonnullis reiectum fuerit, argumentum tamen quoddam mihi ſuccurrit modo, quo euidenter videtur oſtendi animam totam, & ſecundum vtranque partem debilem reddi, ad apparitionem Dei,aut Angelorum: & ideo turbari,atque timere. Quod ſi quæras,quid ſit illud,quod ipſa apprehendit ſub ratione mali,dicam eſſe illud ſenſibile obiectum, ad cuius apparitionem ipſa debilis remanet. Cum enim ipſo apparente, imbecillitas animæ ſuboriatur, in illud ipſa cauſſam imbecillitatis refert, & ex conſequenti illud apprehendit ſub ratione mali. Omnis enim effectus nouus,in cauſſam nouam ſolet à nobis naturaliter referri.Cum itaq; nihil aliud ibi adſit nouum,quod putari poſſit cauſſa nouæ illius debilitatis animæ,præter obiectum illud,ſub cuius forma Deus apparet, ideo cogimur illud iudicare illius debilitatis cauſſam, & ex conſequenti ſub ratione mali. INCLVS. Omnia rectè deducuntur,

dummodo

dummodo illud probetur, quod videris licenter aſſumere, animam ſcilicet totam debilem reddi ad Diuinam apparitionem. A N O N. Hoc facile videtur exemplo probari poſſe. Nam quemadmodum videmus parua lumina ad Solis apparitionem imminui, & extingui aliquando, non alia de cauſſa, niſi ob luminis Solaris excellentiam, ita rationi conſentaneum videtur vt hominis anima, quæ virtus quædam eſt finita; & mortalis vitę cauſſa, apparente Deo, qui totius mundi eſt anima, & infinita virtus, immo & ipſa vita; ipſa quoque quodammodo debilitetur, atque deficiat, tanquam exiguum quoddam lumen, coram maximo poſitum.

INCLVS. Etſi exemplum de lumine ſatis conuenire videatur, tamen vt propius ad rem accedam non video, quomodo rationalis anima, quæ ſui natura eſt incorruptibilis, & immortalis deficere videatur, cum primū apparet illi Deus, qui illius eſt opifex, cauſſaque finalis. ANON. Hoc ipſum ego facile oſtendam ex tui ipſius doctrina. Dic mihi Incluſe. Quotieſcunque Deus alicui ſenſibiliter apparet ſub ſpecie aliqua, nonne obiectum illud dicis eſſe improportionatum nobis, ſupraque animæ uires? quodque ipſa proprijs viribus attingere non valet?

INCLVS. Certè aut tale eſt obiectum illud, aut ſaltem dico animam ſtatim apprehendere aliquid tale ſub illo latere, quod ipſa non valet attingere. A N O N. Hoc mihi ſufficit. Ex hoc enim ego euidenter alterutrum colligo. Aut ſcilicet animam vere deficere, & debilitari apparente Deo, aut ſaltem neceſſario ita ſibi uideri, licet non ſit reuera. Cum enim illa ſit illius virtutis, & efficacię, vt omnia ſenſibilia ualeat naturaliter cognoſcere, & comprehendere, cum illius obiectum ſit ens; neceſſario euenire videtur, ut quotieſcunque ſenſibile obiectum aliquod ipſi obijcitur, quod ipſa ſtatim apprehendat vt tale, atque tantum, vt non poſſit exactè illud attingere, atque cognoſcere, neceſſario inquam euenit, vt ſibi videatur anima langueſcere, atque quodammodo deficere. Cumque hic defectus ſit nouus, ipſum non in aliam cauſſam nouam illa referre poteſt, quam in obiectum illud, quod cum ſit ſenſibile, cognoſci tamen ab illa non poteſt omnino; cum tamen ipſa ſit omnium capax. Videtur enim illud quodammodo ligare, & impedire de nouo facultates animæ, ne id, quod ſub adęquato earum obiecto uidetur contineri, intelligant, neque cognoſcant. Quare etſi fortè dicendum non ſit tunc temporis animam vere langueſcere, cum id quod illa confusè cognoſcit in obiecto illo latere, ad quod pertingere haud valet, ſit ſupra uires illius, neceſſario tamē apparet ita fieri, propterea quod obiectum apparens cum ſit ſenſibile, ſe tamen ita oſtendit homini, ſub ea ratione, vt non poſſit omnino comprehendi. Homo ergo videns obiectum ſenſibile, & ignorans cauſſam, cur illud perfectè aſſequi non poſſit, cum tamen antea in omnia poſſet, quid aliud de ſe ipſo cogitare poteſt, quam ſibi cognoſcendi vires adimi ab aliquo? & à quo id fieri poterit iudicare niſi ab obiecto nouiter apparente? Et ecce cauſſam cur illud apprehendat ſub ratione mali, atque timeat.

INCLVS. Quid ego aliud dicam de eximia hac doctrina tua, niſi Diuinam illam eſſe, digniſſimamque, quam omnes amplectantur? Equidē mul-

to magis mihi placet hæc ratio tua, quam illa faciat, quę relata à me fuit parum antea. ANON. Nollem à te irrideri Incluſe. Nihil enim ego modo dixi, quod tuus ille diſcurſus mihi non ſubminiſtrauerit. Ideo, quicquid à me dictum eſt boni, id ego tibi totum acceptum refero.

INCLVS. Sic ergo ſtatuamus, ſi & cæteris placet. Sit utraque ratio bona, neutra enim alteram tollit, aut impedit. Aliorum autem iudicium eſto, vtra ſit melior.

O D Y S S E Æ

Decimoſeptimo, verſu CCXVII.

Sic ſemper ſimilem ducit Deus ad ſimilem.

Nonnulli mirabiles enumerantur effectus, quos parit in rebus ſimilitudo. Et de cauſſa conuerſionis magnetis ad polum breuis habetur diſputatio.

C O L L O Q V I V M LXII.

P R O V I D V S.

ITA quidem. Pares cum paribus ueteri prouerbio facillimè congregantur. INCLVS. Haud idem eſt, mea ſententia, ò Prouide, id quod hoc loco dicit Homerus cũ veteri prouerbio. Homerus quidem ait pares à Deo cōiungi, & adduci ſimul; Prouerbium autem aſſerit eos ipſos à ſe ipſis congregari.

PROVID. Vtrunque tamen eſt verum ò Incluſe, ſi rectè intelligatur. Veriſſimum eſt Prouerbium, pares à ſe ipſis congregari; vnumquodque. n. ſuo gaudet ſimili, & ei coniungi appetit. Veritatem habet non in hominibus modo, & animalibus, verum etiam in plantis ipſis, & in multis inanimis rebus. Apparet in magnete, & ferro; in ſuccino, & feſtucis, in rhabarbaro & bile, & in alijs multis, quæ propter intercedentem ſimilitudinem dicunt omnes & rectè, ad inuicem cōgregari. At quia ſimilitudo illa, q̃ cauſſa eſt, & radix effectus huius, ignoratur vt plurimum, ideo ſolēt homines horum effectuum cauſſam in Deum referre, vt hic Homerus facit, multitudini morem gerens. A N O N. O vtinam mihi hodie illud innoteſcat, quod nunquam alias intelligere potui? PROV. Quid hoc eſt Anonyme?

ANON. Dicam modo. Mihi ſæpè contigit vt nonnullos amare occeperim perditè, quos tamen antea non aliter cognoueram, quam vnico aſpectu intercedente, aut ſimplici eorum ſermonis auſcultatione, ſemota omni beneficiorum collatione. Vix enim ſemel illos conſpexeram, aut loquentes audi-

Digitized by Google

audiueram, quod neſcio qua ratione coactus illos diligebam; mihiq; eorũ greſſus omnes, & actus mirum in modum placebant. Anne huius quoque rei cauſſa erat ſimilitudo aliqua? PROVID. Proculdubio. Immo hoc ipſum illud eſt, de quo & hoc loco Homerus loquitur, & Prouerbium allatũ intelligitur. De ijs enim amicitijs hic verba fiunt, quæ contrahuntur abſq; vlla manifeſta cauſſa præeunte, cuiuſmodi illæ ſunt, quas tu quoque dicis expertum te eſſe. Harum inquam cauſſa eſt ſimilitudo quædam & à Deo videntur fieri. ANON. At quænam hęc eſt ſimilitudo? PROVID. Non alia quam ſimilitudo ſubſtantialis temperamenti ſiue totius, ſiue partium, ad quam cæteræ omnes naturales in hominibus varietates in propenſionibus, moribus innatis, operationibus conſequuntur. Dico ergo eos, qui in hoc ſubſtantiali temperamento ſimiles fuerint, mutuo amore capi, quotieſcunque vel leuiter ſe cognouerint. Similitudo enim latens in cauſſa eſt, vt alter alterius verbis, greſſibus, & operationibus delectetur. ANON. Amor noſter cognitionem ſupponit præuiam. Eatenus enim nos aliquẽ amamus, quatenus ipſe, vel aliquid ipſius nobis placet, atque delectat. Si ergo nos alterum amamus propter ſimilitudinem in temperamento, dicẽdum videretur nos prius debuiſſe eandem ſimilitudinem cognoſcere, quod tamen falſum eſſe conſpicitur. PROVID. Falſa eſt conſequentia, Incluſe. Ad hoc enim vt aliquid nobis placeat, nõ eſt neceſſe vt nota nobis ſit cauſſa cõplacentiæ illius. Patet hoc in ſaporibus, odoribus, & multis alijs; ſed ſufficit ſi illud quod placet ſit nobis ſimile. Hoc ipſum & alias ſcio à nobis declaratum fuiſſe dũ de Amore in Patriam loqueremur anno ſuperiori. Vt tñ magis tibi ſatisfiat, hoc loco illud addam, quod in huiuſmodi amicitijs cõtrahendis facile nobis innoteſcit ſimilitudo aliqua aliter atq; contingat in ſaporibus, aut odoribus. Vbi.n. duo conueniunt in tẽperamento, ſtatim & in illis conuenient, quæ temperamentũ conſequuntur, vt in propenſionibus, deſiderijs, moribus, actionũ executionibus, atque iudicijs. Quare cũ primũ ipſi conueniunt neceſſe eſt vt alter in altero aliquid horũ recognoſcat. Quæ cum ſibi, ſuoque genio ſint familiaria, hæc in illo amat tanquam propria, vnde & amor in illũ quoque tranſit, atque diffunditur. Quare etſi temperamẽti ſimilitudo vt plurimũ ſit huiuſmodi amicis ignota, nõ ita tñ eſt ignota eorũ ſimilitudo, quę temperamentum conſequitur. Hinc facile conſpicitur cur maior ſit amor inter eos, qui cõmunicant in ſanguine, quã inter non cõmunicantes; & cur inter illos quoque ij vehementius ſe diligant, qui ex eodẽ patre, & matre ſunt orti; & adhuc magis illi, q̃ eodẽ partu in lucẽ ſunt editi. Horum.n. omniũ cauſſa eſt maior ſimilitudo intercedẽs. Hęc ipſa cauſſa eſt, vt ſuperuenientibus nobis ludo alicui, vt pilæ, aut alueoli, ſtatim alicui ludentium adhærentes animo, victoriam ipſi à Deo optemus. Nam & hoc ipſum quoq; accidit pp ſimilitudinẽ. Sic & illud ſæpiſſimè obſeruatũ fuit homines liberos earũ mulierũ amore capi, quæ cum ipſis conueniunt propẽſionib. TVTVS. Hoc ipſum illuſt eſt, qđ apud noſtrates eſt adagio:

Homerus ſop par. 1. colloq. 40.

Iddio li face, & eſſi poi s'accoppiano.

PROVID. Hoc ipſum proculdubio. Deus enim, & Natura illos ſimiles faciunt, per ſimilitudinem vero euenit, vt ſe ad inuicem diligãt, & ament.

Digitized by Google

ANON. Hactenus feliciter ſatis mihi uidentur omnia ſuccedere in hoc negotio. Vnum tantummodo uidetur mihi magnam facere difficultatem. Et eſt illud, quod ſæpenumero uidemus aliquem ſponte in alterius amorem ferri, illumque ardenter diligere ſine cauſſa euidenti, nec tamen ab eodem reciprocum amorem recipere, imò ſæpè odio haberi. Hoc expreſsè patet in amore mulierum. Quamplurimi enim ſunt, qui cum antea huic amori valde reſiſterent, multarumque amorem deſpexerint, ad primum tñ mulieris alicuius aſpectũ, forte nec adeo formoſæ, illius amore capiuntur, à qua tamen ſæpenumero non reamantur; non raro etiam odio habentur immortali. SITIC. Quid plura? hoc contigit ipſi Petrarcæ. Qui quot mulierum amorem neglexerit antea, & quam inopinatò D. Lauræ amore captus fuerit eleganter cecinit, inquiens.

Per far vna leggiadra ſua vendetta,
E punir in vn dì ben mille offeſe
Celatamente Amor l'arco ripreſe,
Com'huom ch'à nocer luogo, e tempo aſpetta.
Così'l colpo mortal la giù diſceſe
Oue ſolea ſpontarſi ogni ſaetta.

Quam leuiter autem ipſum amauerit D. Laura, quantumque de hac ipſa re conqueratur euidentius eſt, quam dici hoc loco mereatur.

ANONYM. Hæc itaque omnia infringere videntur allatam antea doctrinam ò Prouide. Si enim ſimilitudo in temperamento amorem parit, cum ipſa ſit relatio reciproca, eundem affectum in vtroque cauſſaret. Nam non minus Prouidus ſimilis eſt Incluſo, quam Incluſus Prouido. Ergo ſi Incluſus Prouidum amat propter ſimilitudinem, cur ob eandem cauſſam Incluſum Prouidus non amabit?

PROVID. Doctiſſime dubitas, & egregiam difficultatem ſoluendam proponis. Vt igitur tibi ſatisfaciam, illud ego præmittam, quod omnibus propemodum eſt in confeſſo, perfectius ſcilicet, & imperfectius reperiri non modo in rebus diuerſæ ſpeciei; ſicut dicimus hominem eſſe equo perfectiorem, aurum plumbo; verum etiam inter res eiuſdem ſpeciei; Petrus enim erit naturaliter perfectior Ioanne, ſic & in alijs rebus.

ANONYM. In quonam poterit hæc maior perfectio conſiſtere, cum omnia eiuſdem ſpeciei indiuidua eiuſdem ſint eſſentialis perfectionis?

PROVID. Equidem quod attinet ad ſpeciem ipſam, conſtat illam æqualiter contineri in quolibet indiuiduo, non perfectiorem in vno, quam in altero. Attamen ſi de indiuiduorum temperamento loquamur, nemini dubium illa non parum inter ſe differre ſecundum perfectius, & imperfectius. Quælibet enim rerum mixtarum ſpecies, latitudinem quandam obtinet propriam in temperamento, ita vt quædam ſit cauſa perfectiſſima omnium, qua ſummopere gaudet forma ſubſtantialis, multæ vero ab illa declinent peiores, plus minus ue, prout magis vel minus ab optima receſſerint. ANON. Hoc non ignoro. Sed quid iſtud ad rem noſtram?

PRO-

Digitized by Google

PROVID. Hoc ſuppoſito facilis eſt reſponſio ad quæſtionem motam. Quod enim quis occulta quadam vi percitus alterum amet, id accidit propter ſimilitudinem temperamenti. Quod autem non æquè reametur euenit, quoniam qui amatur perfectius obtinet temperamentum. Propterea amans facile quidem appetit cum amato coniungi, tanquam cum perfectiori, at non è contra. Non enim quod eſt perfectius appetit vnionem imperfectioris. ANON. Iam ſublata mihi eſt difficultas omnis. SITIC. Mihi vero nequaquam. Nam & illud ſcire percupio, quod parùm antea tetigit Prouidus, inquiens magnetem & ferrum, ſuccinum & paleas, rhabarbarum & bilem ſponte vniri propter ſimilitudinem. Non enim hoc ipſum ſatis intelligo Prouide. Nam ſi Galeno credimus, non eſt huius effectus cauſſa ſimilitudo vlla, ſed Deus ipſe. Sic enim ille ait in libro de Theriaca ad Piſonem. In magnete vim quandam inſitam eſſe, qua ferrum ad ſe rapit, bona ratione credimus. Deus enim eſt illa, ſicut & in hominibus natura, prout ſentit Homerus, quæ ſimilibus ſimilia adducendo, diuinas ſuas virtutes oſtendit. PROVID. Quando Galenus ait húiuſmodi effectum magnetis à Deo prouenire, ea ratione eſt intelligendus, qua antea diximus Homerum quoque eſſe hoc loco exponendum; non enim ignorabat Galenus proximam huius rei cauſſam eſſe ſimilitudinem, quæ inter magnetem intercedit, & ferrum. Conſtat hoc euidentiſſimè ex tertio de Naturalibus Facultatibus, quo loco habet hæc verba. Duo ſunt tractionum genera. Vnũ, quod ſucceſſione ad id, quod vacuatur contingit, quomodo aer in folles trahitur; alterum, quod qualitatis conuenientia fit, ſicuti ferrum à magnete trahitur. Conſtat autem qualitatis conuenientiam eſſentialiter eſſe ſimilitudinem quandam. *Cap. 3.* *Cap. 15.*

SITIC. Quicquid Galenus dicat, conſtat illum non eſſe huius rei cauſſam aſſecutum, uel hoc vno argumento, quoniam ſi ſimilitudo, ſeu cognatio, vel conuenientia rerum, cauſſa eſt attractionis huius, neceſſe erit vt vbi maior adeſt ſimilitudo, ibi euidentius conſpiciatur effectus. At hoc falſum eſſe deprehenditur. Ferrum enim à ferro minimè trahitur, nec magnes à magnete, cum tamen ſimilior ſit magnes magneti, & ferrum ferro, quam magneti ferrum.

PROVID. Neque hanc ignorauit difficultatem Galenus; imò tacitè illã conatus eſt ſoluere, in tertio de ſimplicium medicamentorum facultatibus ſic inquiens. Quæ attrahunt ſunt efficaciora, valentioraque illis, quæ attrahuntur. Sicuti magnes lapis ferro: quippe qui ad ferri naturam accedat, inque ferri metallis reperiatur, eique magnopere ſpecie perſimilis ſit; verum fortior eſt quodammodo, vt attrahere ſit aptior, quam attrahi. Hæc Galenus. Non ergo ferrum à ferro trahitur, quia cum vtrumque ſit eiuſdem ſpeciei, vtrunque etiam eadem præditum eſt efficacia, & robore eſſentiali, neque alterum eſt altero eſſentialiter valentius. At trahitur à magnete, quia præter ſimilitudinem intercedentem, magnes etiam eſt eſſentialiter perfectior, & ideo ferrum trahitur, magnes trahit. SITIC. Incidis in Scyllam, cupiens vitare Charybdim. Hęc enim poſitio penitus aduerſatur antea traditæ doctrinę, quando dicebatur inter duo ſimilia illud magis appetere *Cap. 25.*

Digitized by Google

alterius vnionem,quod eſt imperfectius; At hic è contra fit. Nā Perfectius magis appetit vniri imperfectiori; quando id quod valentius,atque efficacius exiſtit ad ſe trahit imperfectius. Tractio enim cum ſit actio perfectioris,quendam appetitum illius denotat,quo appetit vniri,& coniungi cum imperfectiori:quod tamen non apparet ipſum trahi imperfectioris in ipſo indicare.Quod enim trahitur quodammodo videtur violenter pati. Vnde neceſſe eſt,vt trium propoſitionum aliqua ſit vera. Aut enim magnes non trahit ferrum,quod eſt contra Galenum; aut nō eſt magnes quid efficacius, & perfectius ferro,quod itidem Galeno aduerſatur; aut ſaltem neceſſe erit vt perfectius magis appetat vniri imperfectiori,quam imperfectius perfectiori,quod valde repugnat antea traditæ doctrinæ. PROVID. Validiſſima profecto argumentatio,& quæ non ita facile ſoluatur à Galeno. Sed vis ne diligenter inueſtigemus, quid pro veritate ſit ſtatuendum? SITIC. Nil aliud magis opto. PROVID. Dic ergo mihi, Siticuloſe, quænam eſt illa propoſitio ex enumeratis,quam tu veram cenſes? SITIC. Prima. Non enim puto ferrum à magnete trahi,ſed potius ſuapte natura ad magnetē tendere, non aliter atque ſingula elementa ad proprium locū mouentur. Nec deeſt ratio huic meæ poſitioni; ſuppoſito eo, quod conceditur ab omnibus magnetem & ferrum inter ſe eſſe ſimilia, ſed tamen magnetem habere naturā perfectiorem. Quemadmodum enim elementa ad ſibi congrua loca mouētur vt in illis conſeruentur,& perficiantur, ita rationi conſonum eſt vt ferrum ad magnetem tendat,tanquam ad illud quod ſibi ſimile eſt, atq; perfectius,quatenus enim ſimile eſt conſeruare, quatenus perfectius perficere ferrum poteſt. Non ergo trahitur ferrum ſed potius ſuaptè natura ad magnetem tendit. PROVID. Antiqua eſt hæc opinio Siticuloſe,& iā ab omnibus probatioribus auctoribus reiecta, propterea quod cōſiſtere nullo modo poteſt.Primum quidem magnum quoddam abſurdum ad illam ſequitur hactenus non animaduerſum. Hoc autem eſt,quod nutritio viuentium omnium vt animalium, atque plantarum caſualis eſſet,non naturalis,neq; opus eſſet ipſius animæ,quod vniuerſæ Philoſophorum Scholæ aduerſatur. SITIC. Non video,qua ratione hoc abſurdū ſequatur. PROVID. Audias. Receptum ab omnibus eſt,viuentiū nutritionem tunc fieri dū alimentum cōuertitur in ſubſtantiā aliti. Conuertitur autem dū cōcoctrix facultas illud alterat,mutatq; in propriā ſpeciem. Vt igitur id valeat perficere concoctrix indiget retentrice, facultate, q̄ tandiu alimentū retineat ne effluat, quandiu duret alteratio. At fruſtra viuentibus indita eſſet concoctrix,retētrixque facultas ad nutritionem efficiendam, niſi & alia inſuper adeſſet, q̄ alimentum attraheret, atque alliceret in nutriendas,indigenteſque partes, atque hæc attractrix nuncupatur.Huius enim auxilio & ſuccus è terra aſcēdit in plantas, & ſanguis è venis exiens per poros effunditur animalium vt in eorum ſubſtantiam commutetur. Eſt autem communiſſima omnium ſententia non aliter alimentum ad alendas particulas confluere,atque moueri,quam ferrum faciat ad magnetem. *Galen. 3. nat. fac. cap. 15.* Si ergo non quidem à magnete trahitur,ſed ex ſe ad illum mouetur, ergo neque alimentum trahitur à partibus, ſed tantum ad illas ſe mouet. Ergo nulla eſt in viuentibus attractrix

facultas.

facultas.Ergo & retentrix,'& concoctrix fruſtra ſunt viuentibus inditæ, cū nihil efficere valeant,niſi pręcedente motu alterius omnino ſeiuncti, atque extrinſeci. Nil enim erit quod retentrix retineat,aut concoctrix concoquat, niſi ita ſors ferat,vt alimentum ad nutriendas partes moueatur. Atque ita tota nutritio,& augumentatio viuentium caſualis erit, & fortuita, aut ſaltē principium,& originem habebit caſualem, quod eſt abſurdiſſimum.

SITIC. Quid reſpondeam non habeo. PROVID. Præterea,ſi ferrum naturaliter mouetur ad magnetem,ergo in qualibet diſtātia, & in qualibet mole mouebitur. Lapis enim quantumuis in ſublimi poſitus,& quantumuis magnus deorſum fertur, quia naturaliter. At ferrum nonniſi magneti approximatum ad illum mouetur,& eo facilius mouetur,quo minor illius fuerit moles,& tamen quæ naturaliter mouentur, & velocius feruntur,quo fuerint maiora. SITIC. Ad hoc dici poſſet à magnete ſpeciem quandam ſpiritalem profluere, quę eo magis deficiat, quo longius extenditur,ita vt tandem ad nihilum redigatur,vt & in alijs ſpeciebus contingit,& qualitatibus.Ferrum ergo non mouetur ad magnetem,niſi intra ſphæram contineatur illius ſpeciei magnetis.Neceſſe enim eſt vt ab illa alteretur prius,& ita alteratum deinde ad ipſum magnetem mouetur. Ideo non in qualibet diſtantia fit ille motus. Et quoniā facilius perfectiuſque alteratur parua moles,ideo & tardius mouetur, quo fuerit maius ferri fruſtū. PROVID. Hoc ſubterfugium optimè refellitur à Fracaſtorio ea ratione, quoniam ferrū per alterationem quam patitur à ſpecie vel amittit formā ferri, vel nō amittit. Nō eſt dicendū quod amittat,ſic.n.corrumperetur,quod patet eſſe falſum; ergo remanet forma ferri. Si ergo remanet eadem in ferro forma,quæ prius non præſente magnete,ergo & idem faciet,quod prius,& eandem habebit inclinationem. At prius inclinabat deorſum,ergo & nunc quoque inclinabit. Quare ſi ſurſum feratur, vt ad magnetem tendat, contra ferri naturam fiet,& vim patietur. SITIC.Hæc quoque validiſſima eſt ratio. At quid diceris tandem in hac materia? PROVID. Ego puto in primis recipiēdum illud eſſe,quod omnibus probatur, huiuſmodi ſcilicet effectum à ſimilitudine magnetis,atque ferri prouenire;non quidem quod ſimilitudo ipſa,vt eſt relatio,vim habeat mouendi ferrum;ſed ita quod fundamentum huius ſimilitudinis ſit cauſſa vt magnes, & ferrum appetant eſſe ſimul,atque iungantur; quicquid tandem ſit hoc fundamentum, ſiue ſit ſpecies, & forma ſubſtantialis,ſiue qualitas aliqua conſequens, ſiue temperamentū ſubſtantiale.Sufficiat nobis,quod ſimilitudo dicta cauſſa eſt effectus huius,omniū conſenſu,cui nos quoque adhærere debemus. Cum autem omnis actio & motus,per contactum fiat, neceſſe erit etiam vt magnes, & ferrum aliquo modo ſe tangant,ſi debet fieri motus ille. At non apparet qua alia ratione tangere ſe poſſint, niſi medio ſpiritualis illius ſpeciei,quæ à magnete profluit, & à ferro,& per aera diffunditur: non enim ulla ratio prohibet quod ſicuti magnes propriam effundit ſpeciem, ita & ferrum emittat ſuam. His ita ſuppoſitis,dico cum Fracaſtorio,motum ferri ad magnetem ea de cauſſa fieri, qua partes quoque mouentur in toto, & ad vnionem perfectiorem tendunt.

De Sympathia.c 5.

Digitized by Google

SITIC. Non intelligo quid ſit partes moueri in toto.

PROVID. Vidiſti ne vnquam rectam aliquam virgam violenter ad curuitatem reductam, ſibique dimiſſam ad priſtinam rectitudinem ſuaptè natura reuerti?

SITIC. Sæpenumero. PROVID. Similiter etiam dices te obſeruaſſe in muſicis inſtrumentis fides nimis extenſas ſua ſponte contrahi, & abbreuiari, Nonne?

SITIC. Prorſus. PROVID. Idem & in rebus alijs omnibus cernitur. Conſtat enim quod ſi vi rarefactæ ſunt ſeſe illas condenſare, ſi condenſatæ rarefacere, quouſque veniant ad eum ſitum, qui toti pro natura debetur. In quo caſu conſtat alias partes in toto deſcendere, alias in latus ferri.

SITIC. Hoc veriſſimum quidem eſt, ſed nihil videtur ad rem noſtram facere. Talis enim motus non eſt motus partium primo, ſed eſt motus vnius totius ſe contrahentis, aut extendentis, vt ad propriam reuertatur naturam; at in noſtro caſu id dici non poteſt, vbi euidentiſſimè conſpiciuntur duo tota ab inuicem diſtincta, ac realiter ſeparata, magnes ſcilicet, ac ferrum.

PROVID. Hoc ipſum illud eſt, quod eget explicatione. Aio enim ex magnete, ac ferro debitè approximato vnum quodammodo confici, quod ſit præternaturam extenſum nimis, atque propterea à ſe ipſo contrahatur, ferrumque ita ad magnetem adducat. SITIC. Ardua eſt hæc poſitio, multaſque illam pati cenſeo difficultates, etſi à Fracaſtorio audiuerim defendi. PROVID. Equidem in multis conuenio cum Fracaſtorio, ipſe tamen non omnino videtur mihi veritatem attigiſſe. Meam ſententiam explicabo, deinde difficultates ſoluam. In primis igitur in eo conuenio cum Fracaſtorio, quod magnes, & ferrum approximatum, & in ſphæra ſpeciei magnetis contentum, vnum fiant ea ratione, quoniam ſpecies illę ſpiritales, quę à magnete, ferroque profluunt, nec non ab alijs rebus eiuſdem rationis ſunt cum formis, à quibus profluunt, & quarum ſunt ſpecies, nec differũt ab ijs niſi modo ſubſiſtendi. Formæ enim à quibus illæ ſpecies manant materiales ſunt, atque dicuntur, quatenus craſſa quadam exiſtentia ſunt in materia, & certos terminos poſcunt; ſpecies vero illę ſpiritales appellantur, eo quod contrarium non habent, momentoque gignuntur, ac propagantur: In reliquis tamen eiuſdem rationis ſunt cum ijs, quæ craſſæ ſunt, & materiales. Videmus enim eaſdem operationes ab huiuſmodi ſpeciebus edi, quas & à materialibus ipſis formis.

SITIC. Libenter audirem exemplum aliquod.

PROVID. Ecce, Forma materialis cerebri ſenſum tribuit, ac motum, quæ ſunt propriæ ipſius operationes; Hæc ipſa vbicunque ſpiritualiter defertur per ſpeciem, ibi ſenſum exercet, & motum. Idem dicendum de facultate uitali, quæ in corde reſidet. Hæc enim vbicunque per ſpeciem permeat, ibi ea omnia exercet munera, quæ ſunt vitalis facultatis propria; Vitalis autem facultas vnica eſt proprietas formæ illius materialis, quę reſidet in corde. Sic & de alijs dicendum.

SITIC. Sunt exempla manifeſta.

PROVID. Si ergo eaſdem edit operationes forma ſpiritalis, quas & princeps edit, eiuſdem etiam erit rationis cum illa. Vnde iure à veteribus formæ ſpiritales ſpecies,& ſimulachra formarum materialium ſunt appellatæ. Ergo,quotieſcunque ferrum in ſphæra magnetis,& magnes in ſphæra ferri continetur, vnum quodammodo fit ex duobus illis propter intercedentem ſimilitudinem. Quamuis enim ferrum à magnete diuiſum appareat,& magnes à ferro,non ſunt tamen reuera diuiſa, proptereaquod alterũ intra alterius ſpeciem continetur,quę eiuſdem eſt naturæ cum forma principali. Sic ex duabus aquæ partibus fit aqua vna. At quia in illo toto non plane debitum eſſe, & ſitum partes habent, niſi inuicem ita adſtringantur vt ſimul coeant,ideo totum illud partes ſuas contrahens facit vt ferri pars, ad partem magnetis tendat,& moueatur. Quare non quidem ferrum ſe ipſum ad magnetem mouet,vt tu dicebas,neque magnes ipſe ferrum trahit, vt aſſerit Galenus,ſed totum illud partes ſuas contrahit, vt ſitum ſibi conuenientem adipiſcantur. SITIC. Videas quot, & quantas difficultates hæc patiatur opinio, ò PROVIDE. Primum non euadis difficultatem illam, quam mihi obijciebas. Quando enim ferrum mouetur ſurſum ad magnetem aut mouetur naturaliter,aut non.Si primum dicas, ergo nõ eſt amplius ferrum,quod non videtur dicendum. Si ſecundum, ergo motus totius ſe ad naturalem ſitum reducentis erit violentus; quod eſt abſurdum. Nemo enim dicat ſpongiam compreſſam, ſibi dimiſſam violenter expandi, neque aerem diuulſum violenter ad ſe redire. PROVID. Hanc quoque difficultatem optimè ſoluit Fracaſtorius inquiens motum illum eſſe & naturalem,& violẽtum, ſed diuerſa ratione.Si enim ferrum conſideretur vt pars naturalis eſt ille motus;ſi vt totum minime. Sic dum animal ſaltat, ſaltus ille eſt corpori naturalis, quatenus eſt animalis pars corpus ipſum; quatenus autem conſideratur vt totum eſt illi violentus. *Lib. de ſy. lib. 5.*

SITIC. Optime. Sed quid ad hanc difficultatem dices? quod non apparet quamobrem ferrum ſolum moueatur ad magnetem, magnes autem quieſcat, cum tamen in motu totius ſe contrahentis, aut expandentis ſoleant moueri partes omnes? PROVID. Hæc eſt acutiſſima difficultas,quã Fracaſtorius,nec ſoluit,nec vidit. Ideo dico, cum partes ſunt in toto extra proprium ſitum,tũc totum ita illas mouere, vt ignobiliores ad nobiliorem moueantur.Patet in conuulſione. Deficiente enim animali facultate nerui ad cerebrum retrahuntur, non autem cerebrum deſcendit ad neruos. Sic & in illo toto,quia perfectior pars eſt magnes,ignobilior ferrum,ideo motus in ferro conſpicitur,ad magnetem tendente,magnes autem quieſcit tanquam pars quædam princeps. Vno verbo mouetur illa pars,quę in illo toto non habet debitum ſitum.

SITIC. Non ceſſant difficultates: ſic enim videris aſſerere huiuſmodi motum fieri ab illo toto propter ferri ſolius vtilitatem, non magnetis; at hoc eſt abſurdum. Dicere enim oportebit & alimenti attractionem in particulis viuentium fieri propter bonum alimenti,non autem alendę ſubſtantiæ,quod eſt ridiculum. PROVID. Male colligis Siticuloſe. Non enim dico huiuſmodi motum fieri propter ſolius ferri bonum, ſed tantum aſſero

ſolum

ſolum ferrum moueri à toto, & ad magnetem tendere, quia eſt quid imperfectius magnete. Attamen hic motus tandem terminat & in magnetis bonum. Eſt enim magneti melius cum ferro iungi, quam vndique circundari aere, idque ob ſimilitudinem, quam habet cum ferro maiorem. Et vt ſemel dicam ille motus fit propter bonum totius, ſcilicet vt partes debitum ſitū acquirant: qui ille eſt cum vna pars vnitur alteri perfectiori. SITIC. Rectè, attamen hac ratione videtur tolli facultas attractrix à viuentium particulis, quæ non aliter alimentum trahunt, quam magnes ferrum Galeno teſte. 3. de Naturalib. Facultatibus.

PROVID. Admitto Galeni doctrinam, ſed male colligis iterum. Verè enim dicuntur partes viuentium alimentum allicere ſibi ſimile, etiam ſecundum noſtram ſententiam, ſicut & magnes ferrum. Nam præterquam quod pars alenda appetit vniri alimento, & magnes ferro, vt dictum eſt, accedit etiā quod perfectio quæ maior eſt in viuente, & magnete in cauſſa eſt vt huiuſmodi motus fiat in alimento, & ferro. Quare tandem dicere oportet magnetem, & viuentis partes eſſe principium motus illius, quo & ferrum ad magnetem mouetur, & alimentum ad viuens, & ſi non ſint illorum motuum cauſſæ totales, atque perfectæ, vt ſentire Galenus videtur. Quid ergo prohibet, quin dicamus & magnetem ferrum trahere, & viuens alimentum, quando magnetis ſolius, viuentiſque natura, atque perfectio in cauſſa eſt, vt totum illud reſultans ferrum quidem ad magnetem moueat, alimentum autem ad viuens? SITIC. Quid eſt quod ferrum ea ratione non mouetur ad ferrum, neque magnes ad magnetem, cum tamen ipſa quoque per ſpecies ſuas iungantur eodem modo, ſint autem ſimiliora?

PROVID. Id dixi modo, Quia ſcilicet ea, quæ ſunt eiuſdem naturæ, ſunt etiam eiuſdem perfectionis eſſentialis, ideo non eſt vt vnum moueatur ad alterum, omnis enim motus ea de cauſſa fit, vt id quod mouetur perfectionem aliquam ſibi cōuenientem adipiſcatur. Quanquam Fracaſtorius *De ſymp. cap. 7.* aſſerat ſe experientia comprobaſſe perpendiculo concinnè aptato, quale eſt in nauigatoria pyxide, & magnetem traxiſſe magnetem, & ferrum ferrum, multoſque ad id aſſerat, & aduocet teſtes. Quicquid ſit de hoc experimento, conſtat ſine perpendiculo (quod faciliorem reddit motum, & conuerſionem) id non fieri, propterea quod vnum non eſt altero perfectius. Perfectio enim vnius maior eſt in cauſſa vt alterum ad illud moueatur vt dictum eſt. SITIC. Iam penitus acquieſco.

PROVID. Et ſi non acquieſceres omnino, ignoſcerem tamen. Sunt enim horum effectuum cauſſæ abditiſſimæ, & que præ tenuitate ingenij noſtri, vix, aut ne vix quidem attingi à nobis poſſunt. Ideo ille in his rebus omne tulit punctum, qui probabilem aliquam rationem excogitauit, quæque nō omnino ſit principijs naturalibus aduerſa. Quam ego hactenus explicaui, ſemper probabiliorem cenſui.

TVTVS. Cum de magnete tam longa habita ſit à vobis diſputatio, ego non verebor Prouidum noſtrum interrogare, atque rogare, vt dicat mihi, quid ſibi videatur de Plutarchi opinione, quam retulit in libro Platonicarum Quæſtionum. Inquit autem magnetem halitus graues emittere, quibus

continens

continens aer impulſus eum, qui ante ſe eſt trudit, iſque in orbem agitatus, ac ad vacuatum reuertens locum, vi vnà trahit ferrum. PROVID. Abſurditas opinionis huius ex eo patet, quoniam iuxta illam non apparet quamobrem magnes ferrum potius alliciat, quam vllum aliud corpus denſum. SITIC. Ita prorſus. TVTVS. Ego quoque ſubſcribo. Attamen libenter audirem à vobis, quænam ſit ratio, propter quam magnes poſitus in perpendiculo ſemper conuertatur ad polum. Mirabilis enim eſt & effectus iſte, & neſcio an illius cauſſa exactè intelligatur. INGEN. Et ſi non dubito Prouidum noſtrum huius quoque rei cauſſam optimè tenere, adeo doctè viſus mihi eſt ſupra diſputaſſe de magnetis effectibus, continere me tamen non potui, quin opinionem quandam in medium afferrem, quę penitus noua viſa eſt mihi, Hanc ego vidi ſuperioribus diebus apud quendam Fortunium Affaitarum, qui ſe illius Auctorem profitetur, in peculiari tractatu de Magnetis ad Polum deſcenſu. Hic igitur paruipendens cauſſas omnes motus huius, præter finalem, tanquam parum, aut nihil ad effectus huius notitiam pertinentes, aut conferentes, inquit primo duplicem eſſe in magnete grauitatis effectum. Alterum quidem, qui per longitudinem centrum petit, alterum, qui per latitudinem ad polum vertitur, vt motus cęli impetum fugiat. Vbi ergo per vim aliquam, veluti per ſuſpenſionem, negatur deſcenſus ad centrum, tunc vi grauitatis magnes ipſe fugiens cęli motum, fit veluti axis, & polum ſpectat. Atque ita conſtitutus nulla cęli vi torquetur, quam proculdubio ſupra modum ſentiret, niſi ad eum modum poneretur. Quando ergo ad centrum deſcendere non poteſt, vt ibi quieſcat, deſcendit ad polum, ibique quieſcit.

PROVID. Vereor ne hic auctor in explicanda hac opinione ſua plura committat errata, quam verba proferat. Abſurditatem huius opinionis, pluribus rationibus oſtendere poſſem. Sed ne nimium hæc materia protrahatur, paucis contentus ero. In primis prætereo illud falſum eſſe quod aſſumit, magnetem in perpendiculo axem fieri, & ſpectare polum. Conſtat enim apud nos id minime fieri, quibus polus eſt in altitudine graduũ 45. non enim magnes in perpendiculo polum ſpectat in tãta altitudine. Omitto inquam hoc. Illud potius inquiram, quid eſt, quod non omne graue ita mouetur in penpendiculo, ſi hic eſt effectus grauitatis? INGEN. Inquit magnetem habere grauitatem quandam viuidam, quæ rebus alijs nõ ineſt. PROVID. Quæ inſolens appellatio eſt iſta? Quid bone Deus intelligit per viuidam grauitatem? Anne intenſam? Non poteſt. Sunt enim multa grauiora magnete, quæ non ita mouentur. Excitandus certe hic auctor à mortuis erit, vt aperiat nobis quid ipſe intellexerit per dictionem illam inuſitatã, & nouam. INGEN. Ego ſane quid ipſe intelligat per grauitatem viuidam nequeo diuinare.

PROVID. Forte voluit nominum inſolentia hominibus imponere. Sed audi argumentum aliud non minoris efficaciæ. Vnius rei ſpecie, vnus tantum eſt motus ſpecie. Magnes eſt vnum quid ſpecie; vnum ergo ſpecie motum habebit ſibi naturalem. At motus ad centrum, & motus ad polum non modo differunt, ſpecie, verum etiam ſunt contrarij, alter enim eſt ſurſum,

alter

Digitized by Google

alter vero deorſum. Non ergo poſſunt ambo magneti cõuenire naturaliter. INGEN. Dicet fortaſſe magnetem ad centrum moueri naturaliter, ad polum vero præternaturam. PROVID. Neque hoc poterit ſuſtinere, cum ſtatuat vtrunque motum magneti conuenire per intrinſecum principium, nẽpe per grauitatem ipſius. INGEN. Ne amplius de hac opinione loquamur; eſt enim abſurdior, quam quæ longiori ſermone examinari mereatur.

De ſympt. cap. 7. INCLVS. Nonnulli, inter quos Fracaſtorius, illam eſſe cauſſam dicunt, quod magnes in perpendiculo conuertatur ad polum, quoniam ſub ipſo polo multi ſunt montes magnetis, & ferri, quorum ſpecies per incredibilẽ diſtantiam vſque ad maria noſtra propagata, ad perpẽdiculum vſque vbi magnes eſt, conſuetam attractionem facit. Propter diſtantiam autem cum debilis ſit, non moueret magnetem, niſi eſſet in perpendiculo. Quare & ſi non trahit vſque ad principium, mouet tamẽ, & propinquiorem facit, quo poteſt. Quod ſi naues forte vllæ propinquiores ſint illis montibus, ferrum omne earum euellitur: propter quod & nauigijs vtuntur incolæ ligneis clauis adſtrictis.

PROVID. Vide efficaciſſimum argumentum aduerſus hanc ſententiam. Si talis eſſet cauſſa conuerſionis magnetis ad polum, neceſſario fieret, vt ferrum ipſum ea ratione poſitum in perpendiculo, facilius, atque velocius verſus partem candem moueretur, quam magnes faciat. Patet. Quoniam facilius magnes ferrum trahit, quam magnetem alium. Immo nondum conſtat an magnes magnetem alliciat. Et tamen perpendiculum illud non mouetur ad polum, ſi ferreum ſit ex vna parte, ſed requiritur vt ſit magnete temperatum. Non ergo fit hæc conuerſio à magnete polarium montium, vt dicebat Fracaſtorius. INCLVS. Fortaſſe fit à ferro eorundem montium.

PROVID. Multo minus. Iam enim conſtat magnetem ad ferrum non moueri: ſed potius ferrum ad magnetem. INCLVS. Quid ergo tandem dicemus de cauſſa effectus huius? SITIC. Ego quoque afferam in medium, quid ego dicendum putem. Haud arbitror ergo recedendum ab eorum opinione, qui dicunt magnetem ad arcticum polum verti ob ſympathiam, quam habet cum polo, aut cum Stella caudæ vrſæ minoris; (hoc enim parum refert in præſentia ſiue hæc ſympathia ſit cum hac, aut cum illo) vnde dicunt eadem de cauſſa magnetem ad polum verti, quà ferrum ad magnetem mouetur. Hanc ego opinionem recipiendam eſſe cenſerem. TVTVS. Iam diu exploſa eſt hæc ſententia, idque validiſſimis rationibus. Vnde non eſt, vt de ea longius agamus. PROVID. Bona verba queſo Tute, bona verba. Quæ ſunt hæ rationes adeo validæ, quibus reijciendam cenſes hanc ſententiam. Fortaſſe enim ſunt infirmiores, quam tu exiſtimes.

TVTVS. Dictum antea eſt magnetem ferrum trahere propter ſimilitudinem. At quænam ſimilitudo ineſſe poteſt materiæ æternæ, atque caducæ. Toto genere diſtant mortalia, à cæleſtibus, & æternis, vt rectè ſentit Auerroes. Abſurdum ergo inter illa ſtatuere huiuſmodi ſimilitudinem, per quam ſimul iungi appetant.

PROVID. Et tamen videmus Heliotropium, Tragopogum, & Ornithogalum

galum vna cum Sole circumagi. Nonne hoc videtur quandam inter illos flores,& Solem ſympathiam ſignificare?

TVTVS. Hanc ipſam inſtantiam ego expectabam. facile ſoluitur. ſiquidem Sol præclare efficit in his inferioribus aliquid lumine, & motu, cum propius accedat ad terrarum orbem, quam Stella polaris. Vnde facile eſſet huiuſmodi herbarum conuerſionem in euidentem cauſſam referre. Vt ſi dicamus huiuſmodi flores ita circumferri cum Sole, eo quod vapores, qui ex vna eorum parte à Sole gignuntur, & ſucceſſiue iuxta Solis conuerſionem de vna in aliam fiunt, recipiunt impetum ſucceſſiuum, & orbicularē, atque ita vapores, ipſi ſecum flores ducunt. Patiuntur autem hoc non flores omnes, ſed illi tantum, qui pollent humiditate vaporabili. A qua fit, vt nō modo facile flectantur, verum etiam vt multa gignatur vaporum quantitas, quæ vim habeat trahendi ſecum ſubiectum illud, à quo eleuantur.

PROVID. Ego quoque expectabam te huiuſmodi cauſſam,& rationem allaturum, quam etiam ſcio te ex Fracaſtorio deſumpſiſſe. At ſcias huiuſmodi rationem non modo non indicare cauſſam cur herbæ illæ, ac flores ad Solis motum circunuertantur,& illum ſequantur, verum potius aſtruere contrarium. Scilicet. Si Sol à dextera ad ſiniſtram vertitur, allata ratio monſtrat flores illos à ſiniſtra ad dexteram debere conuerti. Quæ enim à vaporibus ita mouentur, ſolent in partem illam inclinare, quæ contraria eſt illi, ex qua vapores exeunt. Sic videmus ſclopos, & bellica tormenta, accenſo in illis puluere ſulphureo,& exeunte per anteriorem eorum partem, ipſa tamen retrocedere, & retrahi ad poſteriorem. Quod & clarius apparet in illis machinis ligneis, aut alterius materiæ, quæ ſuſpenſæ chordæ alicui, à ſe ipſis moueri videntur vi pulueris ſulphurei, in globum coacti, & in ipſis incluſi. Accenſa enim maſſa illa ex puluere confecta, & ex vna parte, puta ex dextera, euaporante, mouetur machina in ſiniſtram, atque ita à ſe ipſa videtur moueri. Horum omnium cauſſa eſt, quoniam cum puluis accenditur, rarefit,& maiorem locum appetit occupare. Cumque extendi non poſſit verſus partem aliquam, & tamen appetit, & querit in omnem partem extendi, trudit illam reſiſtentem, atque ita corpus illud ſi fuerit mobile, mouetur iuxta impetum, quem ipſi indidit puluis accenſus. Itaque in bellicis tormentis, cum puluis accenſus cogatur totus per vnam partem egredi, trudit tormentum in contrariam, eo quod ſtatim atque accenſus eſt, locum quęrit maiorem occupare,& in omnem partem extendi. Quod cum efficere non poſſit verſus partem tormenti poſteriorem, impellit illam, atque ita tormentum mouetur retrorſum. Sic dicendum & in machinis, quæ funi appenſæ à ſe ipſis moueri videntur, verſus partem contrariam illi, ex qua maſſa pulueris coacti euaporat. Sic ergo & in re præſenti dicendum. Si flores illi à vaporibus, qui ex ipſis generantur, mouentur, mouebuntur ergo verſus partem illi contrariam ex qua vapores exeunt. Eſt enim eadem ratio, hic,& in ijs, quæ vi pulueris ſulphurei mouentur. At vapores à Sole geniti, ſemper in illa floris parte gignuntur, quæ Solem reſpicit, & verſus illam exeunt. Trudent ergo, & impellent florem in contrariam, dum gignuntur. Quare contrarius erit horum florum motus, Solari motui.

TVTVS.

TVTVS. Sane neſcio, quid ad hæc obijciam, aut reſpondeam. Sed dic mihi Prouide. Tune Siculoſi ſententiam amplecteris de cauſſa conuerſionis magnetis ad polum?

PROVID. Ego quidem cogor illam recipere, vt probabiliorem cæteris omnibus, quæ circumferuntur. TVTVS. Aſſeris ergo inter cæleſte corpus, & magnetem intercedere poſſe ſimilitudinem, per quam fiat huiuſmodi motus magnetis?

PROVID. Prorſus. TVTVS. At quomodo poteſt vlla reperiri ſimilitudo inter cæleſtia corpora, & mortalia, ſi toto genere diſtant?

PROVID. Immo quomodo poſſunt omnino inter ſe hæc ipſa differre, ſi vnum eſt alterius cauſſa? Neſcio qua ratione adductus, ô Tute, tam audacter tantam diſcrepantiam ponas in huiuſmodi corporibus. Dic mihi. Nonne cælum ipſum eſt cauſſa quædam vniuerſalis, omnium generationis? Audebis ne hoc negare, quod ab omnibus admittitur? TVTVS. Nequaquam negabo.

PROVID. Si ergo cęlum eſt cauſſa rerum omnium caducarum, ergo aliquid in omnibus efficiet. Vnicuique enim cauſſæ reſpondet proprius effectus in re, producta. Alioquin fruſtra concurreret cauſſa illa ad generationem, niſi proprium effectum ipſa relinqueret in genito. Nonne? TVTVS. Proculdubio.

PROVID. Ratione ergo effectus huius, qui in omnibus genitis imprimitur à cęlo, nonne dicemus inter vnumquodque genitum, & cælum aliquam reperiri ſimilitudinem?

TVTVS. Ita prorſus. Vnuſquiſque enim effectus ſimilis eſt ſuæ cauſſæ. Quod verum etiam eſt non in vniuocis modo, verum & in æquiuocis cauſis.

PROVID. Optimè. Videas ergo, non eſſe adeo erroneam hanc ſententiam, quæ ſimilitudinem admittit aliquam inter cæleſtia, atquę mortalia corpora. Immo conſtat eos omnino decipi, qui hanc omnino tollunt. TVTVS. Mihi quoque ita videtur.

PROVID. Præterea. niſi aliqua conuenientia eſſet inter cælum, & materialia hæc inferiora, quomodo poſſet cęleſte lumen hic inferius calorem producere? Ea quæ in nullo conueniunt, non poſſunt ad inuicem agere, aut pati. Et tamen conſtat cælum agere in hæc inferiora. Omitto, quod nonnulli docti viri aſſerunt, calorem innatum animantium omnium, cæleſtem eſſe, & proportione reſpondere elemento ſtellarum. Omitto, quod ſublata omni ſimilitudine inter mortalia, & cæleſtia, vana penitus eſſet eorum opinio, qui ſtatuunt dari Planetarum influxus varios in hæc inferiora. At neque hoc dicendum eſt, cum illa firmiſſimis rationibus innitatur. Dicendum ergo mortalia corpora omnia, aliquam cum cæleſti corpore ſimilitudinem habere, maiorem, aut minorem pro rerum varietate, & cęli partium. Quare ergo aſſero inter magnetem, & partes poli, magnam ſimilitudinem reperiri, ex qua fit, vt magnes ea ratione conuertatur ad polum, qua ferrum ad magnetem mouebatur.

TVTVS. Hac ſaltem ratione conſtat tuam hanc opinionem ſuſtineri

non

non poſſe, quoniam magnes in perpendiculo non conuertitur ad polum, neque adeo eleuatur vt illum reſpiciat; quod tamen fieri deberet, ſi adducta ratio quicquam conficit.

PROVID. Hoc certè verè dicis; non enim magnes ad polum rectà conuertitur; neque multum eleuatur, ſed tantum quieſcit in ſuperficie meridiani, appropinquans polo, quantum poteſt. Quod autem polum directè non reſpiciat, id fit per accidens. Ratione quidem ſimilitudinis ipſius, & ſympathiæ appetit ſurſum ad polum ferri; at ratione grauitatis adiunctæ, cogitur deorſum inclinare. Euenit autem ob magnam diſtantiam poli, vt grauitas naturalis magnetis præpolleat ſympathiæ, nec aliter magnes poſſit ad polum conuerti, niſi fuerit poſitus in perpendiculo. Tunc enim abſque eo quod grauitas obſiſtat, poteſt in girum verti, & ad polum, quoad eius fieri poteſt, accedere. Immo minimè dubito partem gnomonis illius magnete temperati, dum ad polum vergit eleuatiorem eſſe parte oppoſita; ob ſympathiam ſurſum allicientem. Quod ita ſit, arguit tremor ille, qui in gnomone conſpicitur antequam quieſcat. Tremor enim, & palpitatio, cum non ſit motus ſimplex, & vnus, ſed varijs, diuerſiſq; motibus conficiatur, motu ſcilicet ſurſum, deorſum, & per latus, varia quoque arguit eſſe mouendi principia. Vbi igitur magnes ſuſpenſus in aliam partem vergit, non in polarem, incipit ob ſympathiam non modo in girum verti, vt accedat ad polum, verum etiam vt perfectius id fiat, eleuatur quantum poteſt. At grauitate propria deorſum tendere nititur. Fit igitur aliquo temporis ſpatio iſtorum motuũ pugna, donec paulatim ceſſante magnes penitus quieſcat. Eo vero quieſcente, rationi conſonum eſt neutrum motum omnino præualuiſſe, ſed vtrunque aliquid in eo relinquere ſuæ virtutis. At ſi grauitas præualeret omnino, gnomon parallelus eſſet Horizonti; neceſſe ergo eſt, ſi ſympathia aliquid poteſt, vt eleuatior ſit in parte, magnete temperata, quam in oppoſita. TVTVS. Nunc ego quoque manibus, pedibuſque venio in tuam ſententiam. PROVID. Saltem poſſumus in hac acquieſcere, vt in probabiliori.

QDIS-

ODISSEÆ

Decimoſeptimo, verſu CCC.

Illic canis iacebat Argus, plenus ricinorum,
Iam tunc ſtatim agnouit Vlyſſem prope euntem,
Cauda quidem hic adulatus eſt, & aures deiecit ambas,
Propè autem non amplius poſtea potuit ſuum dominum
Venire. at longe ipſum conſpicatus abſterſit lachrymam.

De canibus mirabilia quadam narrantur exempla. Redditur cauſſa, cur ipſi promptius recognoſcant dominos, quam eorum domeſtici. Alia quoque ſcitu digna tractantur.

COLLOQVIVM LXIII.

INCLVSVS.

MIRABILE Certe eſt, id, quod hoc loco de Vlyſſis cane ſcribitur ab Homero, ſolum hoc animal inter tot Vlyſſis domeſticos, Vxorem, Filium, ſeruos, ancillaſq; vigeſimum poſt annum dominum ſuum cognouiſſe. Scribit Plinius nulli animali præter hominem eſſe memoriam maiorem, quam inſit cani, at hoc loco apparet etiam homines ſuperari à canibus memoriæ firmitudine. PROVID. Non negauerim effigiem domini firmius hæſiſſe cani, quam vlli domeſticorum; atque propterea perfectiorem memoriam oſtendiſſe canem in recognoſcendo domino. Hoc tamen non eueniſſet in alia re vlla, præter dominum. Immo debilior multo apparuiſſet memoria canis.

SITIC. At nonne & hoc ipſum mirabile, canem firmius ſpeciem conſeruaſſe domini ſui, quam vxor amantiſſima, aut fideliſſimus ſubulcus fecerit? PROVID. Mirabile quidem. SITIC. At quam dicemus cauſſam eſſe huius, quod canis cum non tanta memoria polleat, quanta homo ipſe, diutius tamen conſeruet effigiem domini, promptiuſque illum de longe venientem recognoſcat? INCLVS Non facile admiſerim ego, id quod vos concorditer admittere videmini, cani debiliorem memoriam eſſe, quam homini. Illud enim ſcio in temperatura cerebri ſicca firmam memoriam conſiſtere, vt longa ſatis diſputatione monſtrauit Io. Baptiſta Perſona aduerſus Huartem. At canis hanc temperiem ſortitus eſt: Eſt enim homine calidior & ſiccior ſecundum totum, quare & ſecundum cerebrum. PROVID. Vnde nam colligis canes huius eſſe temperamenti? INCLVS. Primum illud mihi Galenus indicauit in primo de Temper. c. 5. & in 2. de Simpl. medicam. Facultatibus. Quod etiam euidẽter colligitur ex ipſius animalis

Comm. q̃ animi mores corp. tẽp. ſequu.

audacia,

audacia, & animoſitate. Elucescit enim in canibus mira quædam fortitudo, audacia, & animi ſublimitas, quę nonniſi in calidiori, ſicciorique temperamento conſiſtere valent; ut idem Perſona monſtrauit. Quam ſint audaces canes, & periculorum cōtemptores, uel uno patet exemplo apud Plinium. Albaniæ regem, inquit, duos eximiæ magnitudinis canes dono dediſſe Aleſſandro Magno; Qui cum vrſos, mox apros, deinde damas iuſſiſſet emitti, canis exercendi gratia, ipſe ſemper immobilis permanſit, humi iacens. Qua tanti corporis ſegnitie offenſus Imperator, occidi canem iuſſit. Quod cum nunciaſſet fama Regi, alterum miſit addens mandata, ne in paruis experiri vellet, ſed in leone, aut elephanto. Quod cum feciſſet Alexander leonem fractum uidit, deinde & elephantem victum. Hoc certè magnam canum arguit audaciam, & animoſitatem. A N O N. Simile quiddam & Plutarchus narrat, inquiens, canes qui lepores venantur ſi ipſi eos interficiant, gaudere ijs dilacerandis, & ſanguine eorum potato. Si uero lepores præ nimio labore, aut curſu uicti concidant, mortuum nactus canis, inquit, nō tangit omnino, ſed aſtat caudam mouens, ſignificans ſe uictoriæ tantum gloria certaſſe. Quod ſane indicium eſt cuiuſdam elati animi, atque ſublimis. Refert etiam Plinius, canum ſęuitiam, atque feritatem mitigari ab homine confidente humi. Quin & Ariſtoteles ait canes proſtratos homines nō mordere, tanquam ipſi cognoſcant ſe eſſe ſuperiores; quod illis uidetur eſſe ſatis. T V T V S. Memini me legiſſe locum hunc apud Ariſtotelem; vbi etiam ait, nos in eos eſſe lenes, qui ſe humiliter, demiſſeque gerunt, neque contra dicunt; uidentur enim ſe inferiores confiteri: Ira uero etiam ceſſat in eos qui ſe humiliter, demiſſeque gerunt. Hoc autem probat exemplo canū, qui proſtratos non mordent. Attamen eo loci magnum erratum committit Ariſtoteles; aut ſaltem mundi ordo mutatus eſt, quod non crediderim.

Lib. 8. ca. 40.

Lib. 8. cap. 40.

2. Rhetor. cap. 3.

A N O N. Quid tam abſurda profers? T V T V S. Quia hodie ego totum contrarium cerno. Tantum enim abeſt, ut noſtri temporis homines minus ſæuiant in lenes uiros, atque demiſſos, ut potius erga eos tanto acerbius ſe gerant, quanto illi fuerint manſuetiores. Quis mitior, quis humanioribus moribus præditus, quis pacificus magis Incluſo noſtro. Qui Theologus cū ſit celeberrimus, Præpoſitus noſter, exactiſſimè munus ſuū exercens, ſicut unquam alius; ita tamen ab hoc populo uidetur deſpici, ac ſi minimus eſſet hominum. Quot calamitates paſſus? Quot odia expertus, nullo penitus ſuo merito? INCLVS. Nimium mihi tribuis Tute: attamen ſcias id quod me magis angit eſſe, quod huc acceſſi inuitus, uictus precibus horum hominum, maria, & montes pollicentium. Renuebam ego huiuſmodi dignitatem, mea ſorte contentus; at illi coegerunt me, ut conditionem hanc, & dignitatem acciperem, qua poſſem peccatorum meorum agere pęnitentiā. Hoc me angit uehementer. Vehementius uero illud quod uideo ſimiliter agi cum Hoſpite noſtro. Qui cum ſit omni laude dignus, uidetur ita contēni, ac ſi nullius eſſet pretij. Et tamen innumera huic genti beneficia contulit, & in dies confert, omnia eorum indigna opera æquiſſimo animo ferēs. H O S P E S. Scias Incluſe Doctiſſimè, me parum curare, quod apud gentem hanc paruo habear honori. Agnoſco imbecillitatem, agnoſco imperfe-

Digitized by Google

ctionem meam. Honores haud quæro. Id tantum libere dicam, me nullo labori peperciſſe vnquam vt & muneri meo ſatisfacerem, & huic populo rem gratam facerem. Hoc mihi ſufficit. Video me contriuiſſe tempus, nihilque mea profuiſſe opera, ad effringendam horum hominum duritiem, ac feritatem; video eorum inextinguibile odium in probos viros, virtutibuſque deditos; quid aliud potui facere, niſi conſilium, mentemque mutare? Mutaui. Prius eorum amorem, & gratiam venabar, nunc odium appeto. Malo enim ab huiuſmodi hominibus odio haberi, quàm amari, aut coli. Sed miſſa hæc faciamus. Redeamus ad rem noſtram.

INCLVS. Redeamus. Apparet ergo canes calidos, & ſiccos eſſe, ideoque & memoria pollere, nō minus, quam homines ipſi. Tamen ſi quis ægre huic acquieſcat opinioni, putans firmiorem eſſe in homine, quam in cane memoriam, ne hic turbetur, ego illud addam non mirum eſſe, ſi canes etiam cum debiliori memoria, firmius tamen effigiem conſeruent domini ſui, quam homines ipſi. Huius enim rei cauſſam in amorem, & fidelitatem multo maiorem animalis erga dominos referendam puto, per quam fidelitatem eueniat vt domini effigies diutius ſeruetur in memoria debiliori. Ea enim eſt omnium animalim natura, vt diligentius ea conſiderent, q̄ amant, auidius eorum ſpeciem, & effigiem recipiant, eandemque firmius teneant. Hoc vnuſquiſque noſtrum experitur. At quanta ſit canis fidelitas erga dominos, quantumque ſuperet hominum fictam (vt ita dicam) fidelitatem, ridiculus forte ſim ſi tentem exemplis demonſtrare. Vnum tantum afferam *Lib 8. c.40.* ex Plinio, ex multis, quæ affert. Vnum inquam ratione habita actionis, non canis agentis. Canis, Iaſone Lycio interfecto, inquit Plinius, cibum capere noluit, inediaque conſumptus eſt. Is vero, cui nomen Hircani reddidit Duris, accenſo regis Lyſimachi rogo, iniecit ſe flammæ; Alium etiam narrat canem ſuo tempore rem non minus mirabilem feciſſe. Defunctus iacebat in carcere T. Sabinus, cuius canis nec à carcere abigi potuit, nec à corpore receſſit, vnquam. Cumque quidam ei cibum obieciſſet, ad os defuncti ipſe illum detulit. Cadauere deinde in Tyberim proiecto, ipſe quoque, morte contempta, innatauit, conatibus omnibus tentans ſuſtentare cadauer. Mirabilia ſane ſunt hæc exempla fidelitatis.

ANON. Aliud quoddam & Plutarchus narrat, non minus admirabile exemplum. Pirrhus Rex incidit in canem cuſtodientem corpus Domini ſui; cognitoque eum nihil comediſſe iam tertium diem, præcepit humari corpus, & canem ſecum duxit. Paucis poſt diebus, habita eſt luſtratio militum, ſingulis coram rege tranſeuntibus. Tunc canis, qui quietus ſemper manſerat, vt vidit Domini percuſſores tranſeuntes, fremens procurrit, & allatrauit, ſubinde ſe ad Pirrhum conuertens. Sic ſuſpicione concepta comprehenſi ſunt, & examinati. Qui leuibus adhibitis tormentis faſſi ſunt veritatem, & pœnas dedere.

PROVID. Magnum hoc quoque fidelitatis exemplum, quod ab Aeliano narratur, de hoc animali. Colophonium quendam, inquit, vnà cum ſeruo, & cane mercatū in Ioniam cōceſſiſſe ad vrbē Theon. cumq; ſeruus, qui pecunias ferebat naturæ ſatisfacturus, aliquātulum à uia deflexiſſet, loculo

humi depoſito immemorem abijſſe, canem ad eius cuſtodiam perſtitiſſe, donec illic re infecta, quod pecuniæ non aderant, redijſſent; canemque in eodem loco apud marſupium offendiſſent, qui abſq; potu, ciboq; cum diu perſeueraſſet, reddito depoſito expirauit. Neſcio an tanta fidelitas poſſit in hominibus reperiri. INCLVS. Cum ergo canes adeo ſint fideles, & dominorũ amantes, efficitur vt eorundem dominorum effigiem in phantaſia ſeruatam aſſiduè reuoluant, & contemplentur. Non aliter atque homines ſolent ſpeciem amatarum mulierum indeſinenter conſiderare. Non ergo mirum ſi canes tamdiu Domini recordentur, eundemque de longè veniẽtem facile recognoſcant, firmiter in eorum phantaſia hærente ſpecie illa, atque phantaſmate, quod adeo diligenter ſolebant alias contemplari. HOSPES. Arbitror Incluſe Doctiſſimè ad hanc canis memoriam per quam tàm facile iam diu abſentem dominum venientem recognoſcit, maximè conducere & ingenium animalis ſatis perſpicax; quo minuta quæque in amatiſſimo domino conſiderans, perfectiſſimè illius cognitionem extrinſecam hauriat. Vnde fiat, vt facilius illum recognoſcat, quia perfectius illius effigiem cognoſcebat antea. Nam etſi effigies noſtra, & qualitates decurſu temporis immutantur, nos tamen ijs videbimur minus immutati, qui exactius nos cognoſcebant, pluresque in nobis qualitates, & ſigna obſeruarũt; Qui enim plura in nobis obſeruat, plura etiam habebit, per quæ nos recognoſcat, cũ non omnia æquè mutentur. Etſi etiam æquè ſecundum proportionem mutentur, ipſe concurſus ſignorum, eo facilius recognoſcitur, quo plura continet. At qui ad pauca reſpicit, ille enim eſt, cui res videntur ſummopere mutari per temporis decurſum. Illis enim vel leuiter mutatis, totum immutari videtur, nec habent in mente cognoſcentis adiũcta ſigna, per quæ poſſint vt eadem recognoſci. Canis ergo quia ingenio pollet, exactiſſimè amatum dominum cognoſcit, omnia in illo quantumuis minuta conſiderans. Vnde fit, vt cum ad plura illum ſigna cognoſcat, plura etiam habeat, per quæ eundem poſſit recognoſcere.

INCLVS. Hoſpes benigniſſimè, ſi ratio hæc quicquam conficit, nonne magis de homine concluderet, quam de cane? mihi ſanè ita videtur, cũ homini etiam ſit ingenium perfectius. HOSPES. Equidem eſt perfectius, ſed etiam eſt ad plura diſtractus, ideo minus poteſt in ſingula. At in canibus ad pauciſſima ſe extendit, & propterea in illis ſuas vires maximè pandit, & potiſſimum in cognoſcendo domino, cui naturaliter eſt adeo addictus, atque fidelis. INCLVS. Aſſentior. Iam video vel mediocre ingenium canis acutius cernere in domini qualitates, & ſigna, quã acre ſeruorum. ANON. Non mediocre modo videtur mihi canum ingenium, ſed admodũ perſpicax. Quanta eius animalis in venatu ſolertia, atque ſagacitas? Plutarchus cenſet eũ euidenter ratiocinari, vt è pluribus diſiunctis enũciatis, aliud colligat, hoc modo. Fera aut hac, aut illa inſiſtit uia. Sed neutra; ergo hæc, quæ ſupereſt: ſenſu niſi prænotionẽ nihil ſuppeditante, ratione aſſumptiones, ijſque concluſionẽ inferente. Quod quidẽ perſpicaciſſimũ indicat ingenium bruti. Imò eo ipſo loco Plutarchus canẽ ingenioſum animal vocat, & factũ quoddam narrat admirabile, qđ ipſe teſtatur uidiſſe, canis cuiuſdam; qui *De ſolertia animaliũ.*

Cc 2 in

Digitized by Google

Idē & Plinius lib. 10.c.43. in naui,nautis abſentibus lapillos in amphoram repletum oleo inijciebat, ut à grauioribus immiſſis, oleum ſurſum aſcenderet. HOSPES. Hęc quidē indicāt euidēter diſcurſum quendā ineſſe animali,& ratiocinandi experiētiam. At ego per ingeniū,quo præditum eſſe canē aſſerui, non tam diſcurſū intelligebam, quam imaginationē ſeu phantaſiā parua quæque ſigna ſcrutantem,& ea apprehendentem,quæ ſunt tenuis entitatis.Per huiuſmodi.n. minutam hominis alicuius apprehenſionē efficitur, vt ille ipſe qui cognoſcitur,minus decurſu temporis immutari videatur, vt ex dictis patet. Huiuſmodi autem imaginationem,& Phantaſiam in calido,ſiccoque cerebro conſiſtere,quale eſt canum, indicatum mihi eſt alibi. INCLVS. Dicamus *Comm.qđ animi mores.* ergo canes ideo ſubtilius, atque diſtinctius effigiem Domini apprehēdere, quam homines faciant,ab ea cauſſa procedere quoniam imaginationē,ſenſuſque internos omnes magis ad Dominum cognoſcendū habent à natura determinatos; cui deinde accedit amor intenſior,atque fidelitas erga dominos,adhuc magis eaſdem potentias determinans,natura ſatis perfectas, & perſpicaces.Quod autem canes diutius eandem effigiem mente teneāt, faciliuſque dominum ſuum recognoſcant, ab eo dicemus procedere,quoniam memoriæ ſui natura ſatis firmæ,duo illa habent adiuncta, memoriam magis firmantia ; naturalem inclinationem ad dominum attente conſiderandum,& fidelitatem maiorem. HOSPES. Ita prorſus,mea quidem ſententia. SITIC. Merito ergo amantur à nobis hæc adeo fidelia,& ingenioſa animalia. Neque miror,ſi Vlyſſes à longe conſpiciens ſuum canem, videnſq; eum ſolum inter tot ſeruos,& ancillas ſuum dominum cognoſcentē,& blādientem ei,non miror inquam,ſi deiecit lachrymas,neque à luctu ſe potuit continere. INGEN. Imò hoc ipſum mihi magnam admirationem parit,qđ Vlyſſes potuerit ſiccis oculis incredibilem procorum inſolentiam , atque nequitiam videre,propriorum bonorum iniuſtiſſimam direptionem conſpicari,vxoris dilectiſſimæ,fideliſſimique Eumæi calamitates audire, eorundem amaras lachrymas conſpicari , & tamen ad vnius animalis bruti conſpectum ſe continere nequiuerit , quin lachrymas effunderet. T V T V S. Non ea ſolum de cauſſa , mi Ingenioſe,lachrymatus eſt Vlyſſes,quia canē uiderit , ſed quia ipſum ſtatim morientem vidit, poſtquam dominum cognouit. INGEN. Eſto, quid tamen aliud fuit,quam brutum animal? Quæ iactura? Non defuiſſent illi canes. At vxor,bona,Filius ipſe Telemachus, ſunt aliud quam canis vnus ſenex,& impotens; & tamen potuit abſque lachrymis earum mala videre,quæ adeo acerba illis videbantur, vt mortem potius expeterent. TVTVS. Perſuaſiſti Ingenioſe. Iam video te non ſine ratione admirari. Quid ad hæc reſpondebimus Siticuloſe? SITIC. Ego ſanè non habeo quid dicam. INCLVS. Quid aliud dicere poſſumus, niſi id ea de cauſſa factum fuiſſe, quoniam illa mala, quæ nobis contingunt inexpectato, multo maiorem dolorem afferūt quam quæ à nobis præuiſa ſunt, atque pręcognita, iuxta illud Poetæ noſtri.

La piaga antiueduta aſſai men duole.

Imò Plutarchus aſſerit ex Carneadis ſententia,omnem dolorē, mœrorēque ab hac vna cauſſa naſci , quod inexpectato nobis accidat quippiam

Quod

Quod & pulcherrimo probat exemplo. Cum enim Macedonum regnum cum Romano comparatum Imperio, vix aliquata huius pars eſſet, Perſeus tamen amiſſa Macedonia & ipſe ſuam deplorabat fortunam, & ab omnibus miſerrimus iudicabatur; at qui hunc vicerat Æmilius tradito alteri terræ, mariſque Imperio coronabatur, ac ſacrificabat, beatus habitus eſt. Illi enim regni amiſſio, præter expectationem adueniens magni fuit cauſſa doloris; huic vero nullum intulit moerorem Imperij priuatio, quia norat ſe magiſtratum eſſe depoſiturum. Huiuſmodi enim præparatio, animique informatio, ſi quid eorum, quæ nollemus quidem, poſſe tamen euenire cogitabamus, accidat, non admittentes voces iſtas, Non putaram, Hæc non expectabam, ſaltum cordis, & trepidationem auertunt, ac celeriter perturbatam facultatem ſedant. TVTVS. Quorſum bone Deus, hæc affers? *Lib. de Animi, tranquillitate.*

INCLVS. Ea de cauſſa, vt oſtendam, quam ob cauſſam Vlyſſes ob canis mortem fuerit lachrymatus, non ob tot, tantaque alia mala, quæ in proprijs ędibus expertus eſt. Ea ergo fuit cauſſa, quoniam minimè præuidit ſe viſurum canem fideliſſimum morientem dum bladiretur ſibi. Ideo ſubita res, & inexpectata fletum ei concitauit. At aſſidens vxori flenti, torque alia videns mala, nihil tale paſſus eſt, quia ea omnia ſe viſurum audiuerat antea ab Vmbra Tireſiæ. Propterea ad ea omnia videnda venerat animo ratione iam ante confirmato, & aduerſus motum munito. INGEN. Sanè hęc ipſa eſt cauſſa problematis huius. Admiror in dies magis ingenium tuum, atq; doctrinam. Incluſe. INCLVS. Hic nihil mei eſt, quod admireris. Hęc doctrina non eſt mea, ſed Plutarchi, eandem difficultatem proponentis in libro de Animi tranquillitate.

ANON. Nunc mihi & aliud ſuccurrit inueſtigandum in his ipſis verſibus. An ſcilicet cauſſam habeat conſideratione dignam, quod Homerus facit canem illum morientem, ſtatim ac dominum vidit, & recognouit. Anne Vlyſſis præſentia potuit occidere canem eo modo, quo dicunt Baſiliſcum omnes, quos videt, interficere?

INCLVS. Nulla ratio nos mouet, vt ad hæc inconuenientia deueniamus Anonyme. Immo ita canis mortem deſcribit Homerus, vt euidenter indicet illum præ lætitia expiraſſe viſo Vlyſſe, ſuo domino. Vt hinc quoque liceret colligere quanta eſſet animalis fidelitas.

ANON. Quomodo ex Homero colligis canem ob nimiam lætitiam perijſſe? INCLVS. Non deſunt argumenta efficaciſſima ad hoc ipſum indicandum. Hoc vnum ſufficiat, in præſentia. Quoniam & lætitia fuit magna, & animal illud valde aptum erat ad mortem præ nimia lætitia ſuſcipiendam. Quod gaudium magnum fuerit, arguit fidelitas animalis, & amor antea enarratus, erga Dominum. Quod autem facile præ gaudio perire debuerit animal, arguit ſenectus illius. Soli enim puſillanimes præ gaudio intereunt. At ſenes omnes puſillanimes.

ANON. Quod ſenes omnes exigui ſint animi, non ignoro, cum ſpirituum inopia laborent, & ſanguinis. At quod ſoli puſillanimes facile præ gaudio pereant, nondum mihi ſatis notum.

INCLVS. Ego id manifeſtum faciam. Gaudium ex ſui natura cor

Digitized by Google

relaxat,& calidus omnes,calidumque vniuerſum effundit. Perinde atque hac ratione anima obuiam eat obiecto iucundo, ac delectabili, gaudium concitanti. Puſillanimes ergo, & quibus parum ineſt caloris, atque ſpiritus, facile præ gaudio pereunt; propterea quod cum eorum exiguus calor deberet circa viſcera, præcipuaſque partes colligi,atque vniri; affatim effunditur, vt Galenus ait, atque exhalat vniuerſus. Non ergo mirum, ſi animalia ſenectute confecta facile ab intenſo gaudio interimuntur.

2 De ſym pt. cauſſ. cap. 5.

ANONYM. Iam ſunt omnia manifeſta ſatis. Nihil enim aliud deſiderari uidetur ad horum verſuum intelligentiam, niſi forte quis quærat an canis Vlyſſis eſſet adeo ſenex, vt illi facile fuerit præ gaudio interire.

INCLVS. Hoc eſt adeo euidens, vt nulla probatione indigere videatur. Conſtat canem illum natum eſſe, antequam Vlyſſes Troiam proficiſceretur. Inquit enim Eumæus ſubulcus in verſu 312.

Et valde viri canis hic longe mortui,
Si talis eſſet corpore, & operibus,
Qualem ipſum ad Troiam iens reliquit Vlyſſes,
Statim admirareris conſpicatus velocitatem, & robur.

At Vlyſſes errauit annos viginti, vt omnibus notum ex hoc poemate. Relinquitur ergo, vt dicamus canem hunc vltra vigeſimum annum vixiſſe. At hæc ætas eſt earum longiſſima, quam viuere canes poſſint. Ariſtoteles enim de canum ætate verba faciens in ſexto de hiſtoria animaliũ, hæc habet verba. Peculiaris generis laconici eſt, vt cũ laborarint, coire melius, quam per ocium poſſint. Viuit in hoc eodem genere mas ad annos decem, fœmina ad duodecim. Cæteri canes maxima quidem ex parte ad annos quatuordecim, ſed nonnulli vel ad viginti protrahunt uitam. Quamobrem recte apud Homerum canem Vlyſſis viceſimo anno mori recte iudicant. Ex quibus verbis conſtat vel ex Ariſtotelis ſententia, canem hunc longiſſimam ætatem vixiſſe, ita vt non immerito inter canes poſſet decrepitus nuncupari. Non ergo mirum ſi præ gaudio mortuus eſt.

Cap. 10.

ODYS-

Digitized by Google

ODYSSEÆ Decimoſeptimo, verſu CCCXLVII.

Pudor autem non eſt bonus indigenti viro, & mendico.

Agitur de verecundia, an virtus ſit, nec ne. Quam ætatem deceat; & quomodo intelligendum ſit, quod viro egeno minimè conueniat.

COLLOQVIVM LXIV.

SITICVLOSVS.

QVID rides Tute? TVTVS. Libere dicam cur rideam. Annotaſti ſententiam hanc, qua ſtatuit Homerus egenũ minimè verecundum eſſe debere; vereor ne tu ſubſcribens huic doctrinę, eundem mẽdicum ſis laudaturus impudentem; vt liberè poſſit furari, ſicque paupertatem expellere. SITIC. Iocaris ne, an ſeriò loqueris Tute? TVTVS. Ego ſanè hac in parte iocabar, quod tu ſis furtum, aut impudentiam laudaturus in mendico; nõ enim hoc expectari poteſt à viro Doctiſſimo, & optimo, qualẽ te eſſe ſcimus. In hoc tamen minimè iocor, ſed ex animo loquens aio, uideri mihi abſurdiſſimã hanc ſententiam. Ridebam autem, quoniam tu mihi hanc occaſionem abſtuliſti velocitate tua, annuens ante me, vt Lector hic ſiſteret. Nam & ego quoque hunc locum annotaueram. SITIC. Annotaueras ergo illum, vt Homeri doctrinã refelleres, non vt confirmares. TVTVS. Proculdubio. Nunquid ego impudentiam in aliquo commendabo? SITIC. Bona verba Tute. Quis vnquam impudentiam laudauit? TVTVS. Homerus. Qui dum aſſerit egenum non debere pudore affici, videtur in eo contrarium pudoris, nẽpe impudentiam commendare. SITIC. Inepta eſt hæc conſequentia Tute. Videas obſecro, quantũ decipiaris. Interrogabo ergo te, quid cenſeas eſſe pudorem, ſeu verecundiam, hoc enim loco nil prohibet nos vtranque vocẽ confundere. TVTVS. Dicam cum Ariſtotele, pudorem eſſe timorem infamiæ, quemadmodum & impudentiam illam eſſe dicimus, cum quis ex malis actibus, quos ipſe ſciens edit, nullum concipit timorem infamiæ, ſiue dedecoris. SITIC. Ergo hac ratione tam pudor, quam impudentia malum actum ſupponit, atque vitioſum, ſaltem ſecundum opinionem, non enim quis pudore ſuffundatur, niſi vereatur prius ſe peccaſſe; neque aliquis dicatur impudens, niſi qui cum peccet, paruipendit dedecus reſultans. TVTVS. Ita prorſus. SITIC. Hæc concedis Tute, & ſimul putas neceſſe eſſe, ut qui pudore non afficitur, impudens ſit appellandus? TVTVS. Quid ni? SITIC. Quid ergo dicemus de viro probo, qui cum nunquã pec- *4. Ethic. cap. vlt.*

Digitized by Google

cet, nullam etiam habet cauſſam pudoris? Hunc ne vocabimus impudentem? TVTVS. Non certè. SITIC. Videas ergo quam falſa ſit conſequẽtia. Viro egeno pudor non conuenit, Homero teſte; ergo conuenit impudentia; aut illum impudentem Homerus facit. TVTVS. Rectè profectò.

SITIC. Non ergo reprehendenda eſt hæc Homeri ſententia, vt tu exiſtimabas. TVTVS. Minimè ſane.

SITIC. Ergo cum non debeat reprehendi, ſequitur ne quod ſit laudanda? TVTVS. Non videtur ſequi, per eandem rationem, qua me conuiciſti modo. Videntur enim eſſe nonnulla, quæ neque laudem merentur, nec vituperationem.

ANONYM. Ego tamen cenſeo ſententiam hanc laudandam eſſe. non modo, quia eſt Homeri ſapientiſſimi, verum etiam quoniam apprimè videtur eſſe conſona veritati. Pudor etenim malus eſt egeno, ipſumque damnis afficit non exiguis.

SITIC. Quamobrem? ANON. Quoniam verecundus egenus non ſibi proſpicit, neque ſuę ſaluti propter verecundiam. Dum enim erubeſcit ab alijs petere alimenta, vitæque ſuſtentacula, quid aliud agit, niſi quod ſibi quodammodo adiumentum negat, & manus infert. Nonne ergo pudor dãnoſus eſt viro pauperi, ſi quantum ex ſe eſt, ei detrahit alimenta, & inopiæ remedia? SITIC. Non negauerim Anonyme, hęc omnia à te rectè dici, eſſeque conſona veritati. At quod hanc ſolam ob cauſſam Homerus ſtatuat pudorem egeno non conuenire, non ego certè crediderim. Duo hæc mihi perſuadent argumenta. Primum, quoniam Homerus hanc eandem ſententiam ter ſcribit in hoc libro. Quæ ſanè repetitio videtur aliquid maius indicare, quam illud ſit, quod tu modo dicebas, pudorem ſcilicet ideo dici malum egeno, quia verecundus egenus ſæpe ſame laborat, cum non audeat cibum mendicare propter verecundiam. Primo itaque habetur hæc ſententia hoc ipſo verſu 347. Deinde & in verſu 352. his verbis, quæ ſubulcus refert nomine Telemachi.

Pudorem autem non bonum dicit eſſe viro mendico. Tertio in verſu 578. hæc habet verba.

- - - κακὸς δὲ αἰδοῖος ἀλήτης

- - *Malus autem verecundus peregrinus.*

Quam tertiã ſententiam conſultò volui & Græcè referre, quoniam ex ea ſecundũ elicio argumentum. Dicens.n. peregrinũ (quo verbo & mendicum intelligere debemus) verecundum malum eſſe, atq; vitioſum, aliud quiddã indicare vr mihi, maioris momẽti, quã pauca colligere fruſta panis. Primis quidem duabus dicebat pudorem eſſe malum quiddam egeno; at tertia vice dicit egenum, qui pudore afficitur malum eſſe. Qui dicendi modus aperte denotat pudorem in egeno ſignum eſſe, vel cauſſam uitij alicuius notabilis. Ego ſaltem ita ſentio, pudorem in egeno male conuenire, etiam ſi illud minimè dixiſſet Homerus. INCLVS. Si modo ita ſtatuendũ eſſet, ut Siticuloſus aſſerit, dicerẽ ego egeni pudorẽ cauſsã potius prauitatis, quã ſignum cẽſendũ eſſe, vt & Plutarchus ait de vitioſo pudore. Hunc.n. ſimilẽ eſſe ait nõnullis è terra naſcẽtibus. Quæ cũ ſint ipſa p ſe ſylueſtria, ſterilia, & incre-

mento

mento ſuo noceāt hortēſibus,ſeminibus,atq; ſtirpibus,agricolæ tñ pro cer-
to indicio ſoli nō mali,ſed egregij,atq; pinguis habēt. Hoc.n.ipſum de pu
dore in egeno dicendū puto.Bonū quidē ſignū eſſe vī,animum indicās lau
dabilem,quique ob male geſta opera turbetur, & infamiam timeat, attamē
nonniſi mala poteſt eſſe cauſſa. Cum enim non pauci reperiantur, vt Plu-
tarchus,ait,qui maiore male audiendi,quam mala agendi,aut patiendi me *De vitioſo Pudore in principio.*
tu ducti, honeſtatem derelinquant,verendum ne id egeno verecundo con-
tingat.Qui dum erubeſcit cibum,& indumenta quærere,timens ne quis il-
lum impudentem, temerarium, vocet, atque perfrictæ frontis hominem,
interim ad ſecreta furta ſe conuertat fame ipſa compulſus. SITIC. Hæc
omnia Incluſe doctiſſime, rectius cōueniunt in vitioſum pudorem,de quo
Plutarchus loquitur,quam in pudorem abſolute,de quo nos hic loquimur
cum Homero. Immo ſi quis me interroget an pudor in egeno peius ſit ſi-
gnum,quam cauſſa,certè dicam non adeo malam eſſe cauſſam, quam ſit ſi-
gnum prauum.Nam ſi modo aliquid mali poteſt efficere, non ſanè aliud,
quam actum aliquem malum producet. At ſi eundem vt ſignum conſidere
mus, videbimus illum indicare habitus prauos, atque vitioſos, eoſque in-
delebiles propemodum, à quibus non vnus actus malus eſt expectandus,
ſed multi, ſicuti etiam credendum multos & antea præceſſiſſe. INCLVS.
Quōmodo,bone Deus,tot tantaque mala colligis ex egeni pudore?SITIC.
Ea ipſa ratione, qua & Ariſtoteles colligit eadem mala ex pudore in ſeni- *In 4. Ethi. cap. vlt.*
bus exiſtente. Noſti ne quid ille de re hac dicat? INCLVS. Noui optimè
Ariſtotelem commendare in adoleſcentibus, pudorem ipſum, vituperare
autem in ſenibus, ea de cauſſa quoniam, cum ſit infamiæ timor, quæ ad
prauas operationes conſequitur,iuuenes ipſos retrahit ab inhoneſtis actio-
nibus, & ad honeſtè operandum allicit. nec tamen eſt vt ſignum damnan-
dum;propterea quod non mirum ſi adoleſcentes delinquant aliquando,cū
ipſi & à perturbationibus valde agitentur, quibus difficillimum eſt obſi-
ſtere; & inſuper ob inexperientiam humanarum rerum, ipſi nondum po-
tuerint virtutes adipiſci. Propterea cum adoleſcentes peccantes non careāt
excuſatione probabili, ideo pudor in illis non eſt indicium prauum, ſed
ferendus eſt, & eo magis ferendus,quia ratione cauſſæ, multum ad errores
euitandos confert,honeſtaſque actiones amplectendas.At in ſenibus è con-
tra ſe habet: Nam & ſignum eſt prauum vitioſum habitum inueteratum
indicans,nec quatenus cauſſa poteſt prodeſſe quicquam. Quicunque enim
grauis annis delinquit, & pudore afficitur, hic per totam anteactam vitam
virtutem non acquiſiuit,vt conſtat,nec ſpes eſt vlla,vt illam acquirat; cum
vix fieri poſſit,vt peccandi conſuetudo,quæ ipſum ad ſenectam vſque co-
mitata eſt,poſſit per contrariam aſſuetudinem aboleri,nouo,eoque contra-
rio habitu introducto. Inſuper errantes ſenes non ſunt excuſatione digni,
propterea quod experientia edocti iam deberent prauitatem depoſuiſſe,
nec in ipſis validæ reperiuntur perturbationes, in quarum vehementiam
poſſit excuſatio referri,vt in iuuenibus. SITIC.Ita doctè,ita diſertè Ariſto-
telis doctrinam huc retuliſti Incluſe, vt non minorem te præſtiteris expe-
ctatione noſtra,Res ergo prorſus ita ſe habet,vt dixiſti.Pudor in iuuenibus

Digitized by Google

ferendus, non ferendus in ſenibus obadductas cauſſas. At ego addo, Eandem ob cauſſam damnandum eſſe pudorem in egeno homine, qua & in ſene. Id enim quod ſenilis ætas,& perturbationum animi ſedatio in ſenibus præſtat, idipſum in qualibet ætate præſtare deberet egeſtas. INCLVS. Hoc ipſum illud eſt,quod vellem a te probari. SITIC. Hoc facile probabo. Immo ſatis id mihi videtur antea probatum fuiſſe in hoc eodem loco, ab Ingenioſo noſtro, qui ſupra docte ſatis,& eleganter oſtendit paupertatem probum hominem reddere. Tamen vt ego quoque tibi ſatisfaciam ego hic nonnulla ad idem oſtendendum referam. Itaque ego te in hunc modum interrogabo. Nonne virum egenum,atque mendicum putas aliquid ſumopere appetere? INCLVS. Prorſus. Propterea mendicat,quia cibum,potum, indumenta deſiderat,quibus famem,ſitimque pellat,& operiat nuditatem. SITIC. Cum hæc omnia ipſe deſideret, quid agendum eſſet, vt mendicus ipſe fieret compos voti? INCLVS. Dandum. non enim aliud optat,niſi vt alij tribuant ea,quæ ipſe mendicat,& petit. SITIC. Nonne ergo vellet mendicus,omnes ſibi libenter ea largiri,quæ ipſe poſtulat? INCLVS. Prorſus. SITIC. At putas ne mendicum aliquem adeo ſtupidum eſſe poſſe, qui neſciat,omnes eo libentius largiri bona,quo magis probus,atque meritus ille fuerit, cui datur? INCLVS. Non arbitror quempiam hoc ignorare; eſt enim id à natura nobis inditum, vt boni ſaltem videri velimus, quo facilius vnumquemque in ſententiam noſtram trahamus. Quod ſi aliquis non id appetit, de eo non eſt vt loquamur. Aut enim ſtultus eſt, aut peſſimus homo, de quo noſtra ſtatim ceſſat controuerſia. SITIC. Egenus ergo,atque mendicus propria egeſtate coactus quodammodo eſſe videtur ad ſe ipſum probum virum patefaciendum, atque ſe talem oſtendendum qui dignus ſit,cui largiantur omnes,ipſiuſque ſuccurrant paupertati. At ſine virtutibus nunquam talis erit. Videas ergo quomodo egeſtas ipſa,atque mendicitas nō minus quam ipſa experientia,eſt virtutum magiſtra, & ſtimulus quidam ad eaſdem adipiſcendas. Hæc ipſa facit,vt vitium non maiorem habeant in mendico excuſationem, quam perturbationum ſedatio faciat in ſenibus. Non enim minus poteſt ipſa fames, & inopia ad illas ſedandas, quando hoc valde confert ad inopiam ipſam pellendam, explendamque famem; quam valeat ipſa caloris imminutio. In eo enim tantum differunt hi modi ſedandarum perturbationum,quod ille quodammodo coactus eſſe videtur, hic vero videtur naturalis & ex ſe ipſo inſenſibiliter pullulat intrinſecus. Hinc ergo fit, vt pudor in egeno ſignum ſit prauum, & vt cauſſa nihil profit. Cum enim pudor ex ſe vitioſum actum ſupponat, in egeno indicat habitum. Vix enim fieri poteſt,vt cum tam vehementi cauſſa acquirendarum virtutum, qualis eſt egeſtas, vllus malus actus reperiatur,qui non procedat ab habitu;habitu inquam adeo firmato, & ſtabili,vt valide obſtiterit egeſtati impellenti ad contrarium habitum adipiſcendū. Eadem ratione etiam nequicquam proderit pudor in egeno,ſi conſideretur vt cauſſa. Quod enim efficere non potuit fames,& inopia,multo minus credendum id poſſe timorem infamiæ.

INCLVS. Equidem negari non poteſt ò Siticuloſe,egeſtatem ipſam valde

valde impellere hominem non modo ad hoc vt bonus appareat, verum etiam vt ſit reuera. Atque hoc ipſum euidentiſſime indicauit diſcurſus tuus. At quod ipſa paupertas ſola poſſit virtutes ipſas omnes in homine producere, neque ſermo habitus indicat, neque puto vllo modo poſſe probari. Vt enim quis virtutes acquirat, non ſufficit vt velit, ſed neceſſe eſt vt ſciat quid ſibi ſit agendum, ad hoc vt virtutem comparet, & ſecundum illam operetur. At quomodo hæc docere poteſt paupertas? Indicabit ne hæc virtutes aſſuetudine comparari, potius quam doctrina, aut natura produci? Et quando hæc doceat, quomodo illud docebit virtutes in mediocritate conſiſtere; aut medium in perturbationibus geometricum præeligendum eſſe, vt operemur honeſte? Videas ergo quam inepte paupertatem vocaueris virtutum magiſtram. SITIC. Bona verba Incluſe, arbitror me tibi, omnino ſatisfacturum. Aſſero in primis verum eſſe, paupertatem non docere, quod virtutes aſſuetudine comparentur: At hoc nihil refert. Non enim ad ipſas acquirendas neceſſe eſt vt ſciamus illas aſſuetudine comparari, ſed ſufficit ſi honeſtis actionibus aſſueſcamus. Illud quidem prius ſciendum eſt ex neceſſitate his actionibus, aut illis aſſueſcendum eſſe, pro virtute comparanda, ſuntque hæ in mediocritate conſiſtentes, at vt earum naturam, & honeſtatem, extremarum autem turpitudinem cognoſcamus, neceſſe non eſt vt id nos doceat præceptor aliquis, vt tu videris ſupponere, ſed vnuſquiſque noſtrum id valet ex ſe ipſo dignoſcere.

INCLVS. Rectiſſime ſentis. In memoriam enim reuocaſti mihi illam Platonis ſententiam, qua aſſerit omnes homines eo præditos eſſe ingenio vt internoſcere poſſint honeſta à prauis, atque vitioſis. Sic enim ait in duodecimo de Legibus. Multi enim quamuis virtutis expertes ſint, qui tamen probi, qui improbi ſint iudicant. Nam prauis quoque hominibus diuina quædam conijciendi vis ineſt, per quam multi vel paſſim recte tum opinione tum verbis à melioribus deteriores diſtinguant. Hæc Plato. Ego in hac materia nullam amplius difficultatem cognoſco. Immo quod ego alias dixi de peregrinatione verba faciens, videtur mihi optimè & in rem præſentem quadrare. Ibi enim dicebam peregrinationem per ſe poſſe virtutes gignere, dummodo homo qui peregrinatur probus cupiat euadere. At hic ita videtur dicendum, egeſtatem efficere vt homo velit, appetatque bonus fieri; ipſam vero humani intellectus aciem facere, vt homo ipſe poſſit intelligere quid ſit agendum pro virtute adipiſcenda. SITIC. Addo ego Mendicum non modo intelligere quid ſit agendum, vi naturali intellectus, verum etiam facile idipſum intelligere, quia mendicus eſt. Eſt enim veluti peregrinus quidam, qui cogitur multas hominum nationes adire, multas domos ingredi, variaſque hominum actiones contemplari; ex quibus omnibus facile deinde eſt ei intelligere quæ ſint reijcienda, quæ amplectenda. Colligamus itaque neque mendicum, neque ſenem peccantem dignum eſſe vlla excuſatione, propterea quod vterque eorum deberet virtutes facile conſequi, & ex conſequenti, nemo eorum ea agere debet, propter quæ pudor exiſtere ſolet. Male ergo pudor

ipſe

Digitized by Google

ipſe conuenit ſeni, atque mendico. ANON. Non credidiſſem Siticuloſe pudorem abſolutè in egeno damnari, ſed illum tantummodo, qui reſultat ex ipſo medicandi actu. Scilicet putabam egenum illum tantummodo eſſe ex neceſſitate malum, qui erubeſcit cibum, & potum, aliaque neceſſaria mendicare. Cum enim inopia ſit acutiſſimus ſtimulus ad mendicandum, proculdubio qui erubeſcit illa ab alijs petere, quæ ipſi ſunt neceſſaria, hic indicat ſe vitio aliquo laborare, propter quod ſe indignum cognoſcit, cui aliquis largiatur, & donet. Tu tamen videris oſtendiſſe pudorem omnino, & abſolute in egeno damnandum. SITIC. Ego ſanè tuam ſententiam, vtpote veriſſimam laudo, quis enim audeat inficiari egenum illum malum eſſe, ſuæque prauitatis euidens indicium dare, qui erubeſcit cibum, & potum quærere, cum tamen eſuriat, & ſitiat? Attamen mea quoque doctrina damnanda non eſt, qua ſtatuo pudorem abſolutè ſumptum, nullo modo in mendico ferendum. Nam præterquam quod hæc eſt expreſſa Homeri noſtri ſententia, præterquam quod ratione confirmatur, vt patuit antea; accedit & illud, quod à Platone recipitur in Charmide, & confirmatur, his verbis. Non credis inquam rectè Homerum loqui, dicentem pudorem viro egeno bonum non eſſe? Credo equidem, inquit. Vnde vides, & Platonem ſubſcribere huic ſententiæ, quod pudor abſolutè dedeceat egenum. ANONYM. Video, atque libenter ſubſcribo. PROVID. At ego non ita facile ſubſcribam. Adhuc enim magna me vexat difficultas. Nondum enim video quomodo verum ſit Pudorem non conuenire ſeni, aut mendico. Videtur enim Pudor eſſe virtus quædam. At nulla virtus poteſt alicui non conuenire, aut dedecus afferre. SITIC. Nonne id expreſsè dictum eſt, & comprobatum ab Ariſtotele, in quarto
Cap. vlt. Ethicorum, Pudorem affectum quendam eſſe, non virtutem? Non arbitror te hæc ignorare. PROVID. Si velimus Ariſtotelicis auctoritatibus
Cap. 8. agere, mihi non deerunt loca, quibus oſtendam illum feciſſe Pudorem virtutem quandam. Ecce in tertio Ethicorum ipſe de Fortitudine verba faciens hæc habet verba. Hæc Fortitudo ſimillima videtur ei, quæ primo loco poſita eſt, quoniam effectrix eius virtus eſt. Pudor enim, & honeſti appetitio, videlicet honoris, & dedecoris, quod turpe eſt fuga, eam
Cap. 7. efficit. Hic ergo Ariſtot. vocat Pudorem Virtutem. Et confirmatur, quoniam in ſecundo Ethicorum Philoſophus in Pudore, tanquam virtus ſit quædam, mediocritatem conſtituit, inter impudentiam, & pauiditatem, ſiue vitioſum Pudorem. Confirmatur inſuper, propterea quod expreſsè dicit eodem loco verecundiam laudabilem vocari. At niſi virtus eſſet
1. Ethic. cap. 12. laudabilis non diceretur. Debetur enim virtuti laus, vt alibi docet. Nec me mouet, quod Ariſtoteles illam affectum vocet, non virtutem; id enim vere dicitur de actu ipſo erubeſcendi, qui eſt affectus. At non propterea negandum videtur, dari habitum quendam, per quem homo mediocritatem ſeruet in erubeſcendo; per quem ſcilicet, neque ex omni re pudore afficiatur, neque nunquam vt impudens erubeſcat, ſed quando, & quantum oportet. Hic ergo habitus ſi datur (& cur non datur?) virtus erit, mea quidem ſententia.

TVTVS.

Digitized by Google

TVTVS. Ne te amplius angas Prouide; Pudor enim virtus non eſt, vel hoc vno argumento, quoniam virtutes non competunt pueris, quibus tamen pudor frequenter competit.

PROVID. Noui hoc eſſe argumentum Piccolominei, quo eandem ſententiam probat: at illud quoque conſtanter aſſero, nullius eſſe momenti. Probat enim tantum pudoris affectum virtutem non eſſe, quod nos non negamus: non tamen oſtendit habitum mediocriter erubeſcendi virtutem non eſſe. TVTVS. Immo videtur hoc ipſum quoque probare; nam ſi habitus vllus mediocriter erubeſcendi, virtus eſſet, non conueniret illius affectus pueris. non enim ſunt in pueris affectus virtuoſi. PROVID. Quod in pueris non adſint affectus à virtute procedentes, hoc facile conceſſerim; non enim illi virtutes habent. At quod non poſſint ipſi quoque affectus habere aliquando ſimiles illis, qui à virtute procedunt, hoc penitus falſum eſt, vt ex Ariſtotele patet in primo Ethicorum capite nono. Addo, quod & ſi forte fortuna falſum id aliquis eſſe dicat, non tamen contrarium probatur de pudore, ſed gratis aſſumitur. SITIC. Tute, vt video, neſcis te ab hac controuerſia extricare.

TVTVS. Ingenue fatebor, ò Siticuloſe, veritatem. Nouus ille pudoris habitus, quem Prouidus introduxit, mihi ſummopere videtur Ariſtotelis doctrinam turbare. SITIC. Non ita facile turbatur Ariſtotelica ſcientia, ò Tute. PROVID. Eia ergo, tu haſce meas obiectiones refellas. SITIC. Immo libentiſſimè, & ſumma cum facilitate refellam. Sed oſtendam prius Pudorem virtutem non eſſe. In primis itaque illud non diſputabo, ſit ne aliquis habitus mediocriter erubeſcendi, nec ne. Sed eo in tui gratiam admiſſo oſtendam neque eum poſſe virtutem nuncupari. Dic ergo mihi Prouide, quid putes eſſe hunc habitum? PROVID. Habitum, quo cum mediocritate afficimur pudore. SITIC. At quando nam dici poteſt homo mediocriter affici pudore? PROVID. Quando infamiam timet quando, quantum, & vt conuenit. SITIC. Putaſne aliquem poſſe ita mediocriter infamiam timere, qui nullum prius actum commiſerit inhoneſtum, atque vitioſum?

PROVID. Haudquaquam. Tunc enim tantummodo iure timemus infamiam, quando aliquid ſponte noſtra egimus, quod dignum eſt vituperio. SITIC. Optimè ſane. ſequitur ergo mi Prouide dulciſſime, quod ille actus honeſtè erubeſcendi, qui à Pudore virtute procedit, ex neceſſitate ſupponat aliquem actum malum.

PROVID. Sequitur. SITIC. At nulla virtus, nullus honeſtus actus, ſupponit ex ſe actum malum. Immo virtutes omnes, & ſingulæ ſimul iunctæ ſunt, & vna aliam requirit ad ſui perfectionem, vt oſtenſum ſatis fuit anno ſuperiori, hoc ipſo in loco. Pudor ergo virtus non eſt. quia ſi virtus eſſet, poſſet, cum reliquis virtutibus omnibus coniungi, immo ex neceſſitate coniungeretur. At neceſſario ſeiungitur ab omnibus, vel ab aliqua. Scilicet vbi pudor eſt, ibi non ſunt virtutes omnes. Nam qui virtutibus omnibus eſt prædirus, is nihil agit mali. At qui pudore afficitur moderate, is aliquid agit mali. Non eſt ergo virtus Pudor.

PROVID.

Digitized by Google

PROVID. Iam acquieſco penitus. Nondum audiui argumentū tale.

4. Ethic. cap. 9. SITIC. Neque ego audiui, ſed tamen vidi apud Ariſtotelem. qui ea de cauſſa ſtatuit pudorem non cadere in virum probum, quoniam ex malis rebus oritur, quas tamen vir probus non facit, neque facere poteſt, bonus exiſtens. Non enim propterea quiſpiam bonus ſit, quia pudore afficiatur cū turpe aliquid geſſerit. Vir nanque bonus non agit ea, quæ turpia ſunt. At, inquis, Ariſtoteles vocat pudorem virtutem, in tertio Ethicorum. Reſpondeo ibi ſumi virtutem lato modo, prout etiam ſignificat ſtimulum ad virtutem, & calcar ad eam. Tale enim quid eſt pudor. Addis, Ariſtotelem aſſignare mediocritatem in pudore. Concedo. At non propterea eſt virtus. Affectus enim ipſi quoque, & operationes ſunt mediocritatis capaces, etiā ſi à virtute non prodeant. Patet in illis, ex quibus virtus gignitur, & præcedunt eam. Dicis tertio, pudorem eſſe laudabilem; & ideo eſſe virtutem. Ego vero nego conſequentiam. Probas, quia Ariſtoteles ait, laudem virtuti deberi. Fateor, at non conuertitur. Virtus eſt laudanda, ergo omne laudabile eſt virtus. Ariſtoteles docet ideo laudem deberi virtuti, quia virtus eſt quoddam bonum, quod refertur in aliud bonum maius; quemadmodum & honor ſummo competit bono. Bonum ergo, cui laus conuenit adæquatè, & conuertibiliter, eſt illud, quod ad aliud maius tendit. Tale eſt, & moderatus pudor: eſt enim veluti ſtimulus ad virtutem, & calcar ad eam; quare & ad ipſam refertur. Iure ergo laudabilis dicitur.

ODYSSEÆ

Decimoſeptimo, verſu CDLXXXIII.

Nanque peregrini ſub forma ſæpe, vagique
Hoſpitis occultè ſuperi plerunque latentes
Perluſtrant vrbes, hominumque immitia facta
Iuſtitiamque vident coram.

Agitur de aſſiſtentia, atque cuſtodia, quam Angeli hominibus præſtant. Ethnicis non defuiſſe argumenta, quibus illam potuerint cognoſcere. Diui Thomæ doctrina accuratè explicatur, & acriter defenditur.

COLLOQVIVM LXV.

ANONYMVS.

SÆPENVMERO Cogimur ò Amici eximiam Homeri antiquiſſimi doctrinam admirari, atque ſublime illius ingenium ſuſpicere; at multò ſæpius id nobis contingeret, niſi probabilis eſſet eorum ſententia, qui aſſerunt

runt Biblia ſacra ad illius manus perueniſſe, & ſcripta Prophetarum. Quis hoc loco in magnam admirationem non ducatur, conſiderans Homerum vſque adeo in doctrinis, & librorum lectione proceſſiſſe, vt non ignorauerit Deum ipſum ſummum, aliosque quos ipſe minores Deos appellare cōſueuit, ſolere ſępenumero peregrinorum hominum formam induentes, ſub illaque latentes orbem circuire terrarum, & apud homines diuertere? Neminem ſanè arbitror fore, qui non obſtupeſcat, cum id nulla poſſit ratione comprobari. Attamen ego cenſeo ab admiratione ceſſandū, propterea quod facile id potuit Homerus didiciſſe ex ſacris Biblijs. In illis enim frequenter licet obſeruare Angelos, atque adeo & ipſum Deum ſub peregrinorum hominum ſpecie oberraſſe, & ad pios quoſdam viros diuertiſſe. id quod maximè nobis ad hoſpitalitatis, benignitatiſque erga peregrinos, & inopes ſtudium incitamento eſſe debet. Hoc ipſum & Platonem quoque ſcio affirmaſſe in libro, quem Sophiſtam, ſiue de Ente nuncupauit. Quem his verbis eſt auſpicatus. THEOD. Venimus ò Socrates & ipſi pulchre, quemadmodum heri inter nos conuenit, & hoſpitem hunc nobiſcum ducimus Eleatē, Parmenidem, atque Zenonem alterum virum apprimè ſapientiæ ſtudioſum. SOCR. Forte ò Theodore, dum virum hoſpitem tecum ducere credis Deum quendam ducis. Inquit enim Homerus cum Deos alios, tum maximè hoſpitalem Deum inter homines, qui iuſti pudoris participes ſunt, verſari, & hominum contumelias iniuriaſque inſpicere. Te forſitan & hic è ſuperis vnus ſecutus eſt huc, vt nos, qui à diſputādi rationibus aberramus, examinet, atque corripiat; atque ipſe redargutionis eſt Deus. Hæc Plato. Quibus ipſe quoque fatetur Deos ſæpè hominibus obuerſari, ſub peregrini ſpecie latentes. Neque hoc mirum. Nam & ipſe quoque Plato omnium conſenſu libros habuit veteris teſtamenti, ex quibus hanc potuit veritatem elicere, Deum, & Angelos non rarò ad pios homines diuertere, ſub peregrinorum forma, licet hoc poſtea ipſe tranſtulerit ad Deos falſos. Vtebantur enim gentes libris ſacris ita vt omnia ſacra in prophana conuerterent. INGEN. Habetur hoc ipſum in primo Machabeorum, vbi leguntur hæc verba. Et expanderunt libros legis, de quibus ſcrutabantur gentes ſimilitudinem ſimulachrorum ſuorum. A N O N. Optimè. Non ergo mirum quod Gentes dixerint ſuos illos Deos in ſimilitudine peregrinorum ſæpè oberrare, cum id de Deo vero factū legerint. Illud ego magis miror, quod Deus ipſe ita ſibi complacuerit hominibus apparere, vt relictis alijs formis, & ſimilitudinibus, vt plurimum formam, & ſpeciem elegerit peregrinorum, ſub qua ipſe, aut Angeli eius laterent, dum cum hominibus viſibiliter verſarentur. Ecquid in hoc habitu peregrino continetur, propter quod dicendum ſit ita ab ipſo Deo amari, vt illum aſſumpſerit adeo frequenter ipſe, & Angeli eius? I N C L V S. Equidem verè dixiſti Deum amare peregrini ſpeciem, nam ipſe quoq; pręcipit nobis euidenter vt peregrinos amemus, quos & ille amat. Legitur enim in Deuteronomio. Deus amat peregrinum, & dat ei victum, atque veſtitum. & vos ergo amate peregrinos. Tamen vt ingenuè fatear, nō videtur mihi cōuenire, vt cauſſam inquiramus, cur Deus voluerit tam frequenter ſub peregrini forma hominibus apparere, pendet Cap. 3.

enim

enim hoc ex ipſa voluntate Dei, cuius nulla eſt cauſſa. Sic enim Deus voluit, quia ſibi placuit. Tantum illud dici poſſe videtur Deum amaſſe peregrinos, vt pote qui inter omnes homines, ſint ipſi Deo ſimiliores atque chariores. idque quatenus ſunt peregrini. ANON. Hoc ipſum mi Incluſè chariſſime, mihi vellem aliqua ratione demonſtrari. INCLVS. Facile erit hoc ipſum oſtendere ex illis, quæ ſuperius de peregrinis ſunt tradita. Nonne dictum eſt antea peregrinationem facere ſapientem hominem? ANON. Dictum. INCLVS. At Deus eſt ſapientiſſimus. Dictum & illud eſt peregrinationem probum hominem reddere; at Deus eſt optimus. Qui peregrinatur multas, variaſque videt mundi partes, & in ipſis per aliquod temporis ſpacium commoratur, vnde & mores hominum multorum cognoſcit; at Deus eſt vbique, & eſt omnia quodammodo, cum in ipſo cuncta contineantur. Peregrinus à nemine cognoſcitur; ita & Deus à nemine poteſt exactè cognoſci. Sic quidem quodammodo videtur aſſimilari Deo. At vero multas ob alias cauſſas videtur eſſe ſymbolum illius hominis, qui Deo charus exiſtit, & propriè vitam beatam conſequi deſiderat. Conſtat enim illud in primis vitam hanc noſtram peregrinationem vocari, immo & eſſe peregrinationem quandam; vt conſtat ex cap. 47. Geneſeos, in quo Iacob peregrinationem vocauit vitam ſuam. Paulus etiam Apoſtolus ait nos nunc peregrinari à Domino. At videamus quanta ſit ſimilitudo inter illum, qui vitã affectat æternam, & peregrinum. Ille hęc inferiora bona paruifacit, ſemper intentus cæleſtibus, ad quę peruenire deſiderat, quemadmodum & peregrinus ea, quæ videt, dum varias vrbes circuit, paruipendit, illud vnum cogitans, vt quamprimum perueniat in patriam. Et ſicuti eo ſecurius ambulat, quo pauciora ſecum ferat, ita & Chriſtianus eo facilius, & tutius vitæ huius procelloſum mare nauigat, quo minus horum bonorum inferiorum poſſidet. Ille cum nemine contendit, ſed omnibus ſe mitem præbet, neminem lædit, illud in primis appetens, vt vnuſquiſque ei beneſaciat erranti à patria terra; hic ſimiliter quod nollet ſibi fieri, alteri minimè facit, & id agit aduerſus alios, quod ſibi faciendum vellet. Vno verbo peregrinus vir probus exiſtit, qualem & illum eſſe oportet, qui ad vitam cęleſtem cupit peruenire. Quare cum ipſa peregrinatio hominem in multis ſimilem reddat Deo, & ijs, qui Deo ſunt chari, nil mirum, ſi Dij adeo frequenter hanc ipſam formam induentes, ſub ea ad probos homines diuerterint. PROVID. Sunt hæ rationes, & ſimilitudines ex illis fontibus hauſtæ, ex quibus Homerus quoque, & alij Ethnici poterant eaſdem elicere, abſque eo, quod ſacra legerint Biblia. INCLVS. Ita prorſus, ò Prouide. ANON. Ita quoque & mihi videtur. Videbitur fortaſſe nonnullis hæc conſideratio eſſe nullius momenti, mihi vero ita placuit Incluſi noſtri diſcurſus, vt hũc, multis, qui circunferuntur anteferendum eſſe putem. Sunt enim illæ, quas attulit, rationes, & ſimilitudines, notatione digniſſimæ; cum ex illis conſtet quodammodo cauſſa illius arcani, cur Deus cum poſſet infinitas hominum formas induere, ſub quibus ipſe, & Angeli eius hominibus apparerent, tam ſæpe complacuerit ſibi in peregrini forma. Sed ni fallor, Hoſpes noſter aliquid habet, quod dicat de hac materia.

2. Corint. cap. 5.

HOSPES.

Digitized by Google

HOSPES. Equidem duo habeo, quæ dicam. Primum, mirari me Ingenium veſtrum, quod ex huiuſmodi verſibus ſumpſeritis anſam diſcutiendi tam Peregrinum Problema, à nullo, quod ego ſciam, tactum, ne dicam tractatum; Alterum vero quod dicam eſt, mirari me denuo, quod nemo veſtrum quicquam dixerit de Plutarchi ſententia, atque doctrina, quam in horum verſuum expoſitione ſcriptam relinquit, in libro illo, quē de Homero nuncupauit. An neſcitis illum, allatis hiſce verſibus, aſſerere ex iiſdem colligi illam fuiſſe Homeri ſententiam, quod Dij ſemper hominibus adeſſent? Ego ſanè expectabam vt veſtrum aliquis, ex huiuſmodi verſibus anſam aſſumeret oſtendendi poſſe hominem lumine naturali cognoſcere, quod Angeli, ſiue Intelligentiæ hominibus aſſiſtant, illoſque cuſtodiant. Nam & Homerus idipſum quodammodo cognouiſſe videtur, aſſerens Deos hominum facta videre coram, ἐφορᾶν, ideſt cum quadam prouidentia obſeruare. ANON. An putas, ò Hoſpes Homerum tale aliquid de Angelorum aſſiſtentia, atque cuſtodia fuiſſe odoratum?

HOSPES. Quid ni? ANON. Et tamen quicquid Plutarcho, tibique concedatur, non video Homerum hoc loco, nec vllubi Angelos, aut Intelligentias nominare, ſed Deos, Deaſque.

HOSPES. Hoc non me turbat; neque illum ex vobis turbabit, qui anno ſuperiori Doctiſſimè oſtendit Homerum, atque Platonem exiſtimaſſe vnum tantummodo eſſe Deum Optimum Maximum, ac verè Deum Iouem multos autem ſtatuere minores Deos, ſummi Dei miniſtros, eique parentes, vt Mineruam, Mercurium, Martem, & ſimiles. Tales nos verè dicimus eſſe Angelos, qui non fictitij, fabuloſiue ſunt miniſtri Dei, vt Dij illi minores Poetarum, ſed veri, immortales, atque diuini ſunt, obedientes verbo ſummi Dei, illiuſque mandata ſumma cum velocitate, & dexteritate exequentes; hominibus aſſiſtentes, eoſque cuſtodientes. Vnde & illud mihi modo ſuccurrit huiuſmodi aſſiſtentiam ab Homero tribui minoribus Dij, potius quam ſummo Ioui, quemadmodum & nos ſcimus eſſe propriam angelorum. Videte. Mineruam inducit aliquando Achilli operam nauare, ſemper Vlyſſi, Mercurium Priamo, & Vlyſſi; Venerem Paridi, & Helenæ; Neptunum Polyphemo; Apollinem Hectori; alioſque alijs ſtatuit opitulari, & auxilium ferre; Iouem vero ſæpenumero facit aliorum Deorum aſpicientem opera, & audientem preces, quemadmodum ſæpenumero vidimus hactenus, & videre magis poſſumus in Iliade. Ex his omnibus non modo illud conſtat crediſſe Homerum immortales ipſos, minores Deos hominibus aſſiſtere, & operam nauare; verum etiam illud quodammodo cognouiſſe videtur ſingulos minores Deos ſingulis hominibus aſſiſtere; quibus Dijs, cum illam virtutem tribuat, quam nos Angelis, quid prohibet, quin dicamus Homerum neſcio quid de Angelorum cuſtodia, quam hominibus præſtant odoratum fuiſſe? *Prima p. colloq. 8.*

ANON. Quis crediſſet virum Ethnicum tot, tantaque potuiſſe cognoſcere? At dicas mihi obſecro, quanam via exiſtimas ò Hoſpes Homerum ad huiuſmodi cognitionem peruenire potuiſſe? Anne hoc quoque vidit in ſacris Biblijs, an autem ratione aliqua ex rebus ipſis naturalibus ducta?

Digitized by Google

HOSPES. Quod Sacra Biblia ad Homeri manus peruenerint, ego minimè auſim affirmare. At illud mihi veriſſimum videtur non adeo reconditam eſſe hanc veritatem, ut lumine ipſo naturali cognoſci non poſſit aliquatenus. ANON. Ne graueris obſecro aliquam ex his rationibus afferre, vt nos quoque id intelligamus, quod tibi videtur eſſe notiſſimum.

HOSPES. Faciam libenter. Vnicum in primis argumentum exſtat apud D. Thomam in prima parte Summæ, ad idem patefaciendum, ex principijs naturalibus deductum. Quod enim Angeli hominibus aſſiſtant, illoſque cuſtodiant, ſic probat. In omnibus rebus obſeruatum eſt, quod mobilia; & variabilia per immobilia, & inuariabilia mouentur, & regulantur. Sed humanæ cognitiones, & actiones ſunt valde variabiles, & multipliciter poſſunt à recto deficere, & bono. Neceſſe ergo fuit, vt hominibus intelligentia aliqua ad cuſtodiam deputaretur à qua regularentur, & mouerentur ad bonum. ANON. Putas ne hanc rationem veris inniti fundamentis, rectèque concludere? HOSPES. Mihi ſanè ita videtur. Nam quod ad maiorem attinet, probatur ab eodem D. Thoma à ſufficienti partium enumeratione. Etenim omnia corpora inferiora corruptibilia reguntur per ſuperiora incorruptibilia ſecundum ſubſtantiam, & omnia corpora penitus tam corruptibilia, quam incorruptibilia, cum moueantur ſaltem ſecundum locum, regulantur per ſubſtantias ſpirituales, & immobiles. Cognitio etiam noſtra concluſionum cum ſit valde mutabilis, noſque poſſimus circa concluſiones diuerſimode opinari, regulatur per principia, quæ nos tenemus inuariabiliter. Sic ergo & de cæteris ſentiendum. Atque ita probata eſt maior. Minor eſt euidentiſſima. Rectè ergo concluditur, quod operationes noſtræ, regulabuntur ab Angelis, qui ſunt inuariabiles, nec poſſunt à recto itinere deflectere.

Quæſt. 113. art. 1.

ANON. Mihi, ut ingenuè fatear, deficere videtur hæc ratio non in materia modo, verum etiam in forma.

HOSPES. Quid audio? ANONYM. Ne ſuccenſeas queſo. Dic mihi prius, cum dicimus hominem indigere cuſtodia Angelorum, nonne per hominem intelligimus quemlibet indiuiduum ſeparatim ſumptum?

HOSPES. Prorſus.

ANON. Cumque dicimus illum egere cuſtodia Angelorum, nonne de illa cuſtodia præcipuè intelligimus, per quam in proprijs actionibus cuſtoditur, & regulatur, ne à recto aberret?

HOSPES. De ipſa maximè intelligimus.

Diſcutitur argumentum Diui Thomæ.

ANON. Quando in hoc ambo conuenimus, ſpero me tibi oſtenſurum argumentum D. Thomæ peccare. Nonne hoc erat?

Omnia uariabilia, regulantur per inuariabilia. Cognitio & affectus hominis in rebus agendis ſunt maximè uariabiles, & apti ut deficiant multipliciter à bono. Ergo neceſſarium fuit, vt hominibus angeli deputarentur ad cuſtodiam, vt gubernarentur homines, & mouerentur ad bonum. Nonne,

ne, inquam, hoc erat argumentum? HOSPES. Hoc ipſum. ANON. Ego itaque primo negarem maiorem. HOSPES. Nonne probata eſt antea exemplo corporum omnium mobilium, quæ regulantur a ſubſtantijs immobilibus; & cognitionis noſtræ, quæ regulatur per inuariabilia principia? ANON. Hæc probatio non videtur ad rem facere: Diſtinguo enim, hunc in modum. Corpora inferiora dupliciter conſiderari poſſunt; vel quatenus generantur, vel quatenus agunt, poſtquam ſunt genita. Primo modo, fateor eorum generationem regulari, & regi à corporibus immobilibus, ſubſtantijſque ſeparatis: conſtat enim omnium inferiorum generationes indigere Cælo, & intelligentijs, tanquam cauſſis vniuerſalibus. Fortè etiam, iiſdem indigent poſtquam ſunt genita, ad hoc vt conſeruentur in eſſendo. de qua re nolo longius agere. At ſi conſiderentur inferiora corpora, quatenus actu agunt, falſa videtur maior. Non enim eorum actiones regulantur, aut gubernantur ab vllo inuariabili corpore præterquam ab ipſo corpore agente. Scilicet motus deorſum lapidis non ab alio regulatur, quam ab ipſo lapide deſcendente: nec motus ſurſum ignis, ab alio, quam ab igne. Patet, quia cum motus illi ſint ſimplices, & naturaliter fiant, ſufficit natura ipſius mobilis, ad illos regendos. Idem videtur dicēdum & de actionibus omnibus brutorum, atque Plantarum, cum hæc omnia natùraliter agant. Sequitur ergo, quod neque de humanis actionibus, liberis, illud ſit certū, quod indigeant cuſtodiente. Vnde conſtat maiorem illam veram eſſe tantummodo de corporibus inferioribus quatenus generantur, aut forte, quatenus etiam conſiſtunt, non quatenus agunt; ſcilicet vera non eſt de actionibus inferiorum. Quid reſpondes ad hoc Hoſpes. HOSPES. Expecto vt finias, & omnia tua dubia proponas; vt ego omnia quoque ſimul ſoluam ſigillatim. Hactenus puto te dixiſſe quid culpandum cenſeas in maiori; quid dicis ad minorem. ANON. Minor cum de actionibus hominum tantummodo intelligatur, conſtat ad rem non facere, niſi velimus ex quatuor terminis argumentum conficere. At vero etſi maior ipſa quoque de actionibus rerum eſſet vera, nihil tamen videretur argumentum concludere, ſed adhuc peccaret in forma. Non enim poſito omnia variabilia regi ab inuariabili, & actiones hominum, & cognitiones eſſe res variabiles, ſequitur has actiones ipſas indigere Angelo à quo cuſtodiantur. Tantum illud ſequitur eaſdem ab aliquo inuariabili gubernari, quicquid tandem illud ſit. At Deus ipſe eſt maximè inuariabilis. Quod ſi de Deo illud non ſit aſſerendum, quod cuſtodis officium exerceat, non apparet cur id magis de Angelo, quam de anima ipſa rationali ſit concludendum, cum non minus hęc ipſa ſit immortalis, & incorruptibilis, quam Angelus ipſe. At hæc in homine continetur. Quare fruſtra videtur Angelus ad hominis cuſtodiam. Saltem id non concluditur ratione naturali. Accedit quod argumentum totum de illis rebus intelligendum eſſe, quis poſſet reſpondere, quæ vel neſciūt, vel non poſſunt cuſtodire ſe ipſa. At homo poteſt per liberum arbitrium ſe ipſum cuſtodire; ſcit etiam per naturalem cognitionem. Quare non videtur neceſſariò ſtatuendum, quod indigeat homo angelorum cuſtodia. Quid ad hæc dicis Hoſpes? HOSPES. Habes ne aliud, quod opponas argumen-

tationi Diui Thomę? ANON. Non aliud. HOSPES. Animaduertas ergo an benè conferam in capita, quæ à te dicta ſunt hactenus. Primum inquis actiones,& motus inanimatorum non gubernari ab vlla re inuariabili, ſed ipſarum rerum naturam ſufficere ad illarum regimen, neque opus eſſe alio corpore immutabili, ſecundum ſubſtantiam. Secundo dicis, etiam poſito contrario,quod ſcilicet actiones omnes,& motus indigeant gubernante inuariabili,argumentum tamen non concludere, quod gubernatio hæc præſtetur ab angelo hominibus,ſed concludere tantum de aliquo inuariabili, ut de Deo,vel anima rationali.Tertio ais argumentum totum neque de omnibus concludere,ſed de ijs tantum,quæ ſe ipſa cuſtodire non poſſunt, vel neſciunt;cuiuſmodi homo non eſt;cum ſciat lumine naturali,& poſſit per liberum arbitrium. Nonne ſunt hæc capita tuarum reſponſionum.

ANON. Egregie in pauca contuliſti, quæ ego vix potui fuſiſſimis verbis explicare. HOSPES. Si itaque ego tria oppoſita probauero, iam tibi ſatisfactum erit,nonne? ANON. Ita prorſus. HOSPES.Ego itaque oſtendam primum actiones omnes etiam inanimatorum indigere gubernante aliquo inuariabili, & non errante; neque ipſam rerum naturam ſufficere ad ipſas rerum actiones regendas.Deinde oſtendam argumentum Diui Thomæ cõcludere, quod cuſtodiendi munus ad angelum pertineat, non ad Deum, aut rationalem animam. Tertio patefaciam nihil eorum quæ ſub cęlo ſunt, poſſe ſe ipſum ſufficienter regere, & cuſtodire. ANON. Si hæc omnia,vt polliceris, preſtiteris, ſtatim me cauſſa cecidiſſe abſque v lla cunctatione profitebor. HOSPES. Iam experiamur,an primum rectè patefaciã, ſcilicet.

Rerum inanimatarum motus, & actiones, indigere cuſtodiente aliquo immutabili non errante, ſiue inuariabili, quod ſuperioris ſit ordinis.

Hoc enim ſi oſtenſum fuerit in rebus inanimatis, quæ cognitione carent,nec ſequũtur illam cuiuſmodi ſunt lapides, & plantæ ipſæ,multo magis concluſio patebit in animalibus,quæ in ſuis actionibus cognitionem ſequuntur; conſtat enim ipſa multifariam decipi poſſe.

ANON. Satis mihi erit ſi concluſio oſtendatur in rebus inanimis:in his enim tantummodo peccare mihi videtur maior argumenti D.Thomæ.

HOSPES. Eia oſtendamus. Putaſne res omnes penitus naturales,agere, & moueri propter finem, an prorſus nullius finis appetitione fortuito, & ex mera neceſſitate agitari? ANON. Quid attinet hoc interrogare? nonne id euidentiſſimè oſtenſum ab Ariſtotele in ſecundo Phyſ. naturam agere propter finem?Sentio itaque & grauia deorſum,& leuia ſurſum moueri finis gratia,Plantaſque omnes creſcere,nutriri,generare,folia,fructuſq; producere propter finem; & vno verbo naturalia omnia, etiam quæ cognitionis ſunt expertia propter finem edere ſuas operationes. HOSPES. Optimè reſpondiſti,atque hoc ipſum illud eſt,quod ego optabam à te reſponderi. Si ergo Natura in finem tendit,& propter finem operatur,uel id ei competit facultate propria,vel munere alicuius dirigentis. At primum dici haud debet; Ergo ſecundum. Hoc autem oſtendam eſſe debere ſubſtantiam aliquam ſeparatam intelligentem, non errantem.

A textu 75. uſque ad 87.

ANON.

Digitized by Google

ANON. Forte aliquis dicat Naturam agere propter finem,idque ei com petere propria facultate. HOSPES. Quomodo,bone Deus,id ſuſtineri vnquam poterit,quando Natura quomodocunque ſumatur, ſiue,inquam pro materia,ſiue pro forma rei inanimatæ,nullo modo finem valet cognoſcere, propter quem agat; At quæ agunt propter finem, non modo debent finem ipſum cognoſcere,verum etiam præcognoſcere, ſi operari debent,vt eo fine fruantur, quo ſunt priuata. Hæc autem prænotio non modo non eſt in rebus inanimis,& plantis,verum etiam & animalibus deeſt. Scio hic multa à multis dici; ſed non opus eſt verbis inanibus, ad indicandum quomodo lapis in ſublimi exiſtens moueatur deorſum vt quieſcat in centro, quod neque cognoſcit, neque tangit, neque vllo modo ab illo tangitur; niſi ab aliquo intelligente dirigatur. Exiſtimare ne vnquam poteris plantas tam mirabiliter in ſuis actionibus procedere, vt folia primum emittant ad munimentum fructibus naſcituris parandum, fructumque ipſum iam productum tot munimentis tegant, alias quidem ligno, alias vero corticibus,tunicisque quibuſdam,ea de cauſſa ne generatio,quæ rerum viciſſitudine ſeruatur,ſeminibus amiſſis, diſſipatiſque deficeret,omni intellectionis auxilio deſtitutas? Conuincunt hæc Anonyme, conuincunt eſſe aliquam cauſſam ſuperiorem, omnium rerum fines cognoſcentem, in ipſosque fines illas dirigentem, atque ducentem ne errent, & aliò moueantur, per inſcitiam. Ita,inquam, conuinçit hęc ratio,vt nulla ferè ſit Philoſophorum ſecta,quæ ſtatuat naturam id propria facultate obtinere, vt propter finem agat,& in proprios fines omnia ducat,ſed ſtatuunt omnes(exceptis illis, qui cuncta caſu fieri exiſtimabant, vt Empedocles,Leucippus,Democritus,Epicurus) naturam ab aliqua ſuperiore cauſſa intelligente, non errante gubernari,atque dirigi, vſqueadeo neceſſariam eſſe putant cognitionem finis,ad hoc vt res aliqua proprie dicatur agere propter finem. Academici putabant res naturales gubernari, ac regi à mente quadam ſuprema, ſub Deo poſita; Dæmonibus utente,tanquam miniſtris quibuſdam. Auerroes ipſe quoque ſtatuit eum, qui non admittat Naturam agere propter finem, non poſſe intelligere Deum prouidentiam,aut ſollicitudinem habere circa hæc inferiora. Adeo ipſe quoque cognouit, Naturam ex ſe ipſa non poſſe in finem tendere, niſi ab aliquo intelligente ducatur ſuperiore. Themiſtius etiam aſſerit Naturam regi ab intelligentia non errante. Theologi tandem noſtri veriſſimè ſtatuentes Deum cuncta diſtinctiſſimè cognoſcere, ſtatuunt etiam illum cunctis prouidere, eiſquè illa tribuere, quæ eorum conditioni ſunt neceſſaria,& accommodata. Quare,vno verbo non inuenies Philoſophum vllum, ſtatuentem res omnes naturales agere propter finem,qui etiam non affirmet naturam ipſam, reſque omnes,etiam inanimatas,gubernari,ac regi ab aliqua intelligentia ſuperiore. *2. Phyſic. comm. 75.*

ANON. Nondum audiui à te, hanc fuiſſe ſententiam Ariſtotelis, quod res inanimatæ ab alio,quam à ſe ipſis in proprios fines dirigantur. Hoc illud eſt,quod ego maximè cupio intelligere. HOSPES. Hoc ipſum quoque facile patefaciam. Ecce Ariſtoteles in ſecundo Phyſ. agens de ijs,in quibus

Digitized by Google

dicitur ineſſe fortuna, ſtatuit eam non reperiri in rebus inanimis, neque in brutis, neque in puerulo propterea quod hæc omnia non dicuntur agere. Perinde atque potius agantur, quam agant. Et tamen conſtat omnia hęc ab
1. Eth.13. intrinſeco principio moueri, effectiuo. At illud aſſeruit Philoſophus, vt
10. Eth.10 indicaret hæc omnia non à ſe ipſis tendere in fines proprios, ſed ab intelli-
Vide Tol. 2. Phyſ. q. 32. gentia ſuperiore gubernari. Clarius autem id elicitur ex eodem Philoſopho in Ethicis, vbi expreſsè aſſerit hominem agere, cæteras res naturales potius agi, quam agere; id enim non aliter intelligi poteſt, quam eas dirigi ab alia intelligentia earum fines cognoſcente. Conſtat ergo etiam ſecundum Ariſtotelem naturam in proprium finem tendere non propria facultate, ſed munere dirigentis intelligentiæ. ANON. Iam acquieſco.

HOSPES. Hoc itaque dirigens, cum neceſſario cognoſcat, non erit cælum, quod non eſt animatum. Cum errare non poſſit, non erit homo, qui multifariam peccat. Erit ergo aliqua intelligentia ſeparata, in quam error non cadit, ſiue Deus ſit, ſiue aliqua alia inferior ſubſtantia. ANON. Quomodo concludis dirigens illud non poſſe peccare? HOSPES. Quia videmus naturam vniformiter ſemper agere, & nunquam errare in proprio aſſequendo fine; niſi id per accidens fiat, vt docuit Ariſtoteles in 2. Phyſ. textu octuageſimo ſecundo, & ſequentibus. Vides ergo Anonyme Doctiſſime, actiones etiam inanimatorum corporum regi ab intellectu aliquo ſeiuncto, vt probare promiſeram. Quod ſi de his illud aſſeritur, in quibus minus videtur neceſſarium, quanto magis in reliquis dicendum, quæ maiorem videntur habere dirigentis indigentiam?

ANON. Ego potius contrarium aſſererem, inanimata ſcilicet vt grauia, & leuia, magis indigere dirigente in finem, cum illum minimè cognoſcāt, quam animalia, quæ illum cognoſcunt. Sic dicimus cæco magis opus eſſe ductore, quam videnti. HOSPES. Minus videntur egere inanimata corpora dirigente, quia cum ſemper eodem modo moueantur, vt grauia ſemper deorſum, leuia ſemper ſurſum, quis poſſet ſuſpicari id fieri neceſſitate qua
In 1. diſt. 2. q. 2. dam naturæ, non propter finem. Nam vt rectè Scotus ait, omne agens naturale præcisè conſideratum ex neceſſitate, & æquè ageret ſi ad nullum finē ageret, ſicut ſi eſſet independenter agens. Ideo motus ille vniformis rerum naturalium, puta grauium, & leuium facile videbitur alicui in neceſſitatem quandam referri poſſe, non quod ad finem vllum fiat. Quod ſi melius ſit graui in centro eſſe, leui in circunferentia, id fieri per accidens, & caſu; non quod ideo graue deorſum, leue ſurſum feratur, vt ibi melius habeat. At in animalibus non ita facile error hic committitur, cum in illis maniſeſtiſſimè conſpiciamus eorum actiones mutari, iuxta cognitionis, mutationem, atque iudicij, quod ipſa de obiectis ferunt. Quia ergo facile eſt animal omne decipi in cognitione, & iudicio, atque errare (quod de ijs, quæ neceſſitate mouentur haud dici poteſt, cum non poſſint non ita moueri) ideo magis indiguere cuſtodiente agentia per cognitionem, quam cætera, quæ cognitione carent. Argumentum uerò tuum de illis tantummodo concludit, quę ſunt eiuſdem generis, & in quibus utrinque cognitio ſuppo-

nitur.

Digitized by Google

nitur; Nam ego quoque concesſerim, quod poſitis duobus agentibus per cognitionem, illud magis indigebit dirigente, cui magis ſit impedita cognitio. At in noſtro caſu non ita ſe res habet. Cum enim dicimus inanimata minus uideri indigere dirigente, non id dicimus, quod ipſis impedita ſit cognitio, aut quia ſupponamus ipſa moueri propter finem; ſed cum ſemper vniformiter agant & moueantur, ideo dicimus facile eſſe ſuſpicari ipſa per neceſſitatem moueri, abſque vlla finis conſideratione. Quamobrem, cum vniformitas motus nihil obſtiterit, quominus cognouerint homines ipſa indigere intelligentia dirigente eorum motus, & actiones, in proprium finem, multo magis dico id concludendum eſſe de illis rebus, quæ cum per cognitionem agant, varios, atque mutabiles motus edunt. In his enim facilius eſt errare.

PROVID. Quorſum tot verba? Id ſatis experientia patet. Videmus enim ſemper inanima eundem agendi modum ſeruare, animalia vero nequaquam. Hæc vero non raro errare in fine conſequendo, illa vero nunquam. Graue ſemper deorſum tendit, leue ſemper ſurſum; at canis in inueſtiganda fera ſæpe decipitur, & lupus dum credit canem deuorare, ab eodem occiditur. ANONYM. Aſſentior ego quoque.

HOSPES. Vides ergo Anonyme, non modo res inanimatas, ſed & res omnes penitus inferiores indigere cuſtodiente intelligentia.

ANON. Video optime. HOSPES. Maior ergo illius argumenti D. Thomæ, qua dicebatur omnia variabilia per inuariabilia gubernari, non modo vera eſt de rerum generatione, vt tu dicebas, & vt videbatur tantum oſtendi à D. Thoma, verum etiam vera eſt de rebus ipſis quatenus agunt. Conſtat enim intelligentiam regentem, ac dirigentem actiones rerum eſſe inuariabilem magis, quam res ipſæ ſint agentes, aut earum actiones.

ANONYM. In eo ſaltem videtur D. Thomas defeciſſe, quod maiorem argumenti minime de actionibus ipſis probauit, ſed tantum de ſubſtantijs, earumque generationibus. Dicens enim corpora hæc inferiora, regi per ſuperiora, non aliter probauit ſuam maiorem, niſi oſtendendo horum corporum generationem perpetuari auxilio cælorum; at quod actiones horum inferiorum itidem à cælo gubernentur, probare non potuit.

HOSPES. Omnia diligentiſſime oſtendit Doctor Angelicus. Vide. Etſi id quod ait hæc inferiora corpora à ſuperioribus corporibus incorruptibilibus regi, tantum probet de rerum generatione; id tamen, quod ſubdit, inquiens omnia penitus corpora, tam corruptibilia, quam cæleſtia à ſubſtantijs ſeparatis gubernari, de actionibus etiam optime concludit, & de eiſdem eſt intelligendum. Quare in nullo defecit D. Thomas. Hactenus ne ſatis tibi videtur manifeſta maior argumenti illius?

ANONYM. Satis. HOSPES. Nunc ergo ſecundum caput aggrediamur oſtendentes.

Digitized by Google

Argumentum D. Thomæ non peccare in forma, ſed concludere quod cuſtodiendi munus non ad Deum, aut animam rationalem pertineat, ſed ad Angelos, ſiue intelligentias Deo ſubiectas.

EQuidem id quod tu dicebas in hoc propoſito, Argumentum D. Thomæ non cõcludere de Angelis in ſpeciali, ſed tñ de re aliqua inuariabili, verum eſt, ſi cũ rigore velimus vim præmiſſarũ perpendere. At Angelicus Doctor aſſumpſit tanquã notum id, quod probauerat antea, & rurſus in eadem quæſtione oſtenſurus erat in ſolutione argumentorũ, ad Deũ ſcilicet, aut ad animam rationalẽ non pertinere munus cuſtodiẽdi, & ideo audacter concluſit de Angelis, cũ nulla alia ſuperſit ſubſtantia intelligens, & inuariabilis. *Quæſt. 110 art. 1. & q. 111. art. 1.* ANON. Si hęc omnia D. Thomas oſtẽdit, ſcire vellẽ quid ipſe reſpondeat ad argumenta quædam, quæ contrarium videntur conficere. HOSPES. Quæ nã ſunt hæc argumenta? ANON. Primũ eſt, qm̃ fruſtra videntur angeli introduci ad cuſtodiã, cũ ſolus ipſe Deus ad hoc ſufficere videatur. Cum. n. Deus ipſe ſit omnipotens, cunctaq; creauerit ex nihilo, et ad omniũ rerũ operationes immediate concurrat, ipſe ſolus ſufficere poſſe vr. ad rerum operationes dirigendas, ne errent. Quod ſi quis modo uelit opus eſſe intelligentia pro rerum aliarum cuſtodia, ſaltem in homine, non uidetur neceſſarium. Continet enim homo in ſe animam rationalem, quæ eſt ipſa quoque ſubſtantia quędam intelligens, inuariabilis, & infra Deum non minus quam Angeli. His argumentis debuit D. Thomas ſatisfacere ſi modo volebat ratione naturali oſtendere, Angelos hominibus aſſiſtere ad cuſtodiendos ipſos. HOSPES. Sane quod de anima affers rationali, ipſe quoque attulit D. Thomas, atque ſoluit. De quo nos quoque cogimur loqui in ſequenti capite. Ideo in illum locum id differemus. At quod de Dio dicis, nõ videtur afferri a D. Thoma; attamẽ facile ſoluitur. Nã etſi Deus ipſe poſſit abſq; ulla alia re accedente, homines recte cuſtodire, cognoſcimus tamẽ lumine naturali, id non conuenire ſummæ illius maieſtati, qui eſt omnium finis vltimus, & cauſſa prima. ANON. Quomodo id oſtendes? HOSPES. Vide. Si ſubſtantia aliqua ſpiritualis in eo occupatur vt rerum operationes dirigat in proprium finem (ſicut oſtenſum eſt hactenus, & melius fortaſſe oſtendam in tertio capite) conſtat illam agere propter finem diuerſum à ſe; quærit enim ſalutem, & ſtatum perfectum rei illius, quam cuſtodit, & regit. At Deus cum ſit vltimus finis omnium, & nullum habeat finem extra ſe, non poteſt agere propter finem à ſe diuerſum. Non ergo conuenit illi cuſtodire creaturas. ANON. Non mihi ſatisfacit hæc ratio. Deus enim cum immediatè concurrat ad omnes creaturarũ actiones, vt alias oſtẽſum fuit, ipſe quoque uidetur agere propter bonum creaturæ, non autem propter ſe. *In prima Parte, colloq. 1.* Ergo & æque bene poterit eaſdẽ cuſtodire. HOSPES. Si Deus cõcurrit ad oẽs actiones creaturarũ, cõcurrit non ut illas regens, ſed vt cauſſa prima, & independens, ſine qua cæteræ cauſſæ inferiores nihil poſſent efficere. Vnde tam concurrit ad actiones rerum, quando errant, quam quando nõ errãt, eo modo quo eo loci dicebatur. Vnde cõſtat cauſſam hanc primã, independẽter

agentem

Digitized by Google

agentem dici non poſſe agere propter bonum creaturæ, tanquam propter finem à ſe diuerſum, ſed potius propter ſe ipſam. Iuxta enim varietatem efficientium, datur varietas finium, & vniuerſaliori cauſſæ vniuerſalior finis aſſignatur, & primæ primus, qui idem eſt cum cauſſa ipſa. At cauſſa cuſtodiens cõſtat non eſſe primam, cum potius videatur aliarum omnium famula, dirigens illas ne errent à ſcopo. Vnde euidenter apparet hanc pro fine nil aliud habere, niſi rectam operationem rei, cuius regimini, atque cuſtodiæ eſt aſſignata. Quare non videtur hoc munus rectè Deo conuenire. ANONYM. Nondum mihi plenè ſatisfactum eſt. Adhuc enim & illud quoque dubium videtur, quod ais, Angelum cuſtodientem habere pro fine directam operationem rei, cui præeſt. Quomodo enim id fieri poteſt, cum Angelus ipſe ſit nobilior qualibet re caduca, & mortali? At finis nobilior eſt iis omnibus, quæ ſunt ad finem. HOSPES. Non te turbet, hoc argumentum Anonyme. Verè enim Angelus cuſtos, habet pro fine operationem dictam, ſed nõ pro fine vltimo, ſed pro ſubalternato alteri fini. Ideo enim querit rectam hominis, aut alterius rei operationem efficere, vt ipſe perficiatur optimè exequens ea, quæ ſibi mandata ſunt à Deo. Vno verbo, id quod primo quærit, eſt reddere ſe promptum, atque vtilem in illis operibus, quibus præfectus eſt à ſummo Deo. Sic enim aut verè perfectionem acquirit nouam, aut ſibi videtur acquirere. ANONYM. Oporteret & hoc quoque naturali lumine conſtare, quod intelligentiæ deputentur à Deo ad cuſtodiam rerum, ſi hæc tua argumentatio dicenda eſt ad rem facere.

HOSPES. Hoc ipſo tuo argumento id conſtat. Cum enim neceſſe ſit vnicuique rei caducæ ſubſtantiam aliquam ſpiritalem aſſiſtere ad illius regimen, vnaquæque vero ſubſtantia immaterialis ſit nobilior qualibet re caduca & regiminis indiga, niſi volumus in illud abſurdum incidere finem rei eſſe ignobiliorem ipſa re, neceſſe erit vt dicamus hanc ipſam cuſtodientem ſubſtantiam regere inferiorem ſe, vt ſuperiori pareat, & ſatisfaciat. At hæc nulla alia eſſe poteſt niſi Deus. ANONYM. Hactenus conſtanti fide credidi hominibus, rebuſque omnibus aſſignatos eſſe cuſtodes Angelos, qui cuncta hæc inferiora dirigerent, in ſuis operationibus. Hodie illud vlterius didici, veritatem hanc non adeo reconditam eſſe, quin poſſit eluceſcere & ratione naturali. Tantum illud relinquitur, pro exacta huius rei notitia vt doceas.

Res omnes, & præcipue hominem indigere cuſtodia Angelorum.

HOSPES. Hoc oſtendendum ſumo in tertio hoc capite: & facile id me probaturum ſpero, eo ſuppoſito fundamento, quod ſupra deſumptum fuit ex Ariſtotele, & vera philoſophandi ratione, omnia ſcilicet agere propter finem, tam quæ agunt per cognitionem, quam quæ ſine cognitione. Hoc itaque poſito arguo ſic per rationem naturalem. Minus videtur conuenire, quod ſint aſſignatæ intelligentiæ ad regendas rerum inanimatarum actiones, quàm ad eas, quæ competunt ſenſu præditis. At illis

dari

Digitized by Google

dari conſtat regentes intelligentias, per rationem antea traditam. Dabitur ergo & ſenſu præditis. Maior propoſitio probatur hoc modo; quoniam conſtat primò res inanimatas imperfectiores eſſe animatis, minoremque pulchritudinem, & ornamentum illas afferre vniuerſo, quam hæ faciant. Si ergo illis datum eſt auxilium illud ne errent, multo magis decebat illud dari rebus nobilioribus, cuiuſmodi ſunt animalia. Præterea probatur eadem maior, quoniam res inanimatæ, habent intra ſe impetum quendam determinantem illas, & inclinantem ad vnam ſpecie actionem, non ad diuerſas. Graue enim tendit tantum deorſum; leue tantum ſurſum: vnde minus illis inerat errandi periculum. At in agentibus per cognitionem multæ, ac variæ ſunt actiones; quare & facilius animalia ipſa incidiſſent in errores. Ne ergo errarent, rationi conſentaneum erat, vt aſſignaretur ipſis intelligentia non errans.

ANONYM. Immo dicerem ego animalia minus errare debuiſſe, cum ipſis data ſit cognitio, & ſenſus, quædamque intelligentia, quam ipſa ſequantur tanquam ducem in agendo: Inanima vero cæco prorſus ducuntur impetu; quare & magis ſunt erroribus ſubiecta. HOSPES. Recte diceres Anonyme, niſi tam facile factu eſſet ſenſum decipere. Vnuſquiſque noſtrum experitur, quàm frequenter ratio noſtra ſenſum corrigat; & tamen videmus bruta, quę hac ratione carent, minus decipi in ſenſationibus ſuis, & iudicijs de rebus externis, quàm faciant homines. Indicium hoc eſt euidentiſſimum illa regi ab intelligentia non errante. Amplius videmus illa ita ſe gerere in ſuis operationibus, vt prudentiam quandam obtinere videantur, atque futura præuideant. Quam præuidentiam & ſi non habeant, nunquam tamen errant. Quod ipſum quoque arguit ſatis euidenter bruta regi ab intelligentia non errante. Alioquin minimè poſſent ita ordinate procedere in ſuis operationibus. Infinita ſunt exempla miram quandam brutorum prudentiam, atque prouidentiam indicantia, vt quæ obſeruantur in nidis conficiendis, alimentis parandis, locis mutandis, futuriſque tempeſtatibus aduerſis præcauendis, quæ breuitatis gratia prætereo. ANON. Vt vt hæc omnia tibi concedam de brutis, illud ſaltem mihi videtur nullo modo de homine poſſe demonſtrari, indiguiſſe illum intelligentia gubernante, atque cuſtodiente. HOSPES. Immo ſi quid opus habebat eiuſmodi Angelorum regimine, id homo fuit. Qui ita videtur à natura conſtitutus, vt niſi illi aſſignetur intelligentia cuſtos, fruſtra videatur in rerum natura conſiſtere. ANON. Quomodo id intelligis? HOSPES. Vide. fruſtra id factum dicitur, quod nullo modo finem illum attigit, ad quem erat ex ſui natura ordinatum. At niſi homini hæc aſſignetur cuſtodia ita videbitur factus à natura, vt ſolus inter tot rerum ſpecies, atque diſcrimina vel non poſſit vllo modo, vel ſaltem nonniſi cum magna difficultate finem illum conſequi, ad quem ordinatur: quod valde videtur in hominum genus contumelioſum. ANONYM. Magna ſanè eſt hæc aſſertio, nec video, quomodo ſis illam probaturus. HOSPES. Animaduerte. Nonne finis hominis eſt operatio honeſta ſecundum optimam virtutem rationalis partis? ANONYM. Eſt ſanè.

a Ethic. cap. 13.

HOSPES.

Digitized by Google

HOSPES. Et tamen natura ita conſtituit hominē, vt illi facultates quaſdam indiderit auertentes hominem ab honeſtis operationibus. En ſenſitiuum appetitum, qui cum ſui natura feratur in voluptatem, hanc eo magis expetit, quo fuerit ipſa vehementior. Et tamen nemo poteſt honeſtè operari, virtutem aſſequendo, niſi prius, voluptate ſuperata, ſenſitiui appetitus impetum non ſine dolore repreſſerit. Atque tanta cum efficacia videtur ipſa ratio hominis ab appetitu ſenſuum impediri, vt pauciſſimi ſint, quibus datum ſit virtutem aſſequi. Quid? quod prius homo viuit vitam ſenſuum, prius inimicas experitur voluptates, hæque prius altas radices agunt, quā ipſe rationis vſum conſequatur? Nonne ergo tibi videtur homo multa intus continere impedimenta, eaque validiſſima, quibus detinetur, quominus proprium finem conſequatur? At hoc in cæteris rebus minimè factum cernitur. Grauia enim nihil intra ſe continent, quod motui deorſum ſit impedimento; neque leuia quod motui ſurſum. Neque cani quicquam indidit natura, quod aut venationem ferarum, aut fidelitatem in dominum videatur impedire. Solus homo illa recepit impedimenta, ſolus videtur finem ſuum declinare. Tantam ne humanæ ſpeciei iniuriam inuremus, vt cum ſit omnium animalium perfectiſſimum, & omnium finis, ita tamen ſit male conſtitutus vt finem ſuum fugiat, & auerſetur? Non ſanè. Ergo ſi volumus tantam abſurditatem euitare, neceſſe erit, vt illi intelligētiam aliquam tribuamus, immutabilem, quæ illi aſſiſtens eundem regat, atque cuſtodiat, quominus erret in operando. At, inquis, hanc intra ſe continet, homo, nempe animam rationalē, quæ non minus eſt immortalis Angelo quolibet. Ego vero reſpondeo animam rationalem, quatenus eſt in corpore, & exercet officium formæ, eſſe valde mutabilem in ſuis operationibus, ob gradum ſenſus adiunctum, qui illam ſępenumero errare facit. Quare tunc temporis indiget cuſtodia aliqua, quæ nullo modo decipi poſſit ab vllo appetitu, aut contrario aliquo. Talis eſt Angelus. Poſtquam autem anima ſeiuncta eſt à corpore, nec poteſt amplius ab appetitu ſenſuum moleſtari, tunc quidem eſt inuariabilis, at non amplius habet cuſtodem Angelum. ANON. Pergratum mihi fuit hæc omnia ex te intellexiſſe. Videntur enim mihi quoque ea eſſe valde rationi conſona, præcipue vero illud, quod de hominibus docuiſti. At quod ais cætera cuncta ab intelligentijs regi, quamuis idipſum probabili ſatis ratione indicaueris, neſcio tamen an ſit omnino verum, & conſonum noſtræ fidei, & veritati. Audiui enim ego ex præceptoribus meis ſæpenumero, idque non infirmis illi probabant rationibus, Naturam ſcilicet eſſe Dei miniſtram, illamque à Deo immediate pendere, atque gubernari. Illa ergo videtur ſola ſufficere ſubſtantijs illis, quæ illius ducuntur impetu. HOSPES. Ad hoc ego pauca reſpondebo. Diuus Thomas enim aperte illud recipit omnia corpora regi per Angelos. Affert in huius rei confirmationem Auguſtinum dicentem in libro 83. quæſt. vnamquamque rem in hoc mundo habere annexam Angelicam poteſtatem ſibi præpoſitam. Nec contentus Auguſtini auctoritate, affert & Damaſceni dicentis, quod Diabolus erat ex ijs Angelicis virtutibus, quæ præerant terreſtri ordini. Et ait inſuper Doctor Angelicus diuinam ſapientiam diuerſis rebus,

Pp. q. 110. art. 1.

diuerſos

diuerſos rectores præpoſuiſſe. Immo eodem loco oſtendit tam ſecundum Ariſtotelem, quam ſecundum Platonem, & Auicennam dicendum eſſe corpora omnia regi ab aliqua ſubſtantia immateriali, infra Deum exiſtente. Vt hinc videas præceptores illos tuos vel non ita rectè ſenſiſſe, vel ſaltem ita eſſe explicandos res omnes naturales à Deo immediate pendere tanquam à cauſſa prima, & independente, vt alias dictum eſt; non vt ab eo, quod gubernet, atque dirigat earum actiones: quia in hoc ſenſu, aliud habent dirigens, & cuſtodiens immediatius, nempe intelligentiam. ANONYM. Adhuc vna ſupereſt diſcutienda difficultas, ad hoc vt aſſerere poſſimus Homerum ea omnia intellexiſſe de hac materia, quæ Plutarchus aſſerit. Inquit enim Plutarchus tribuiſſe Homerum hominibus ſingulis Deum aliquem aſſiſtentem, illiſque operam nauantem. Sicuti nos quoque confitemur ſingulis hominibus, ſingulos Angelos datos eſſe ad eorum cuſtodiam. At nondum hoc ipſum monſtratum eſt; ſed tantum ratione naturali cognoſci poſſe, quod homines ab Angelo aliquo regantur. At quod vnus non ſufficiat omnibus, ſed ſingulos ſingulis dari nondum eſt oſtenſum, neque allata ratio id probat.

HOSPES. Rectè ſentis. Nam adducta ratio, illud tantum oſtendit homines ab Angelis cuſtodiri; at quod ſinguli à ſingulis nequaquam.

ANONYMVS. Quomodo ergo hoc ipſum poterit indicari? Niſi enim ad hoc ipſum quoque humana ratio, & lumen naturale perueniat fruſtra hæc à nobis videbitur inſtituta diſputatio, & inſuper Homerus ignoraſſe dicetur id, quod maioris eſt momenti, & Plautarchus quoque leui ratione ductus id adſcripſiſſet Homero, quod nulla facultate poterat ab eo cognoſci. HOSPES. Conandum eſt ò Anonyme, & hoc ipſum oſtendere quoad eius fieri poteſt luculenter. Et vt ingenuè fatear illud quoque videtur mihi eſſe cognitu facile, & humana ratione inueſtigabile, ſingulas intelligentias ſingulis hominibus deſignatas eſſe ad cuſtodiam. Colligitur autem hoc ex illo fundamento quod ſingulæ rerum aliarum ſpecies, vel genera ſuam habent peculiarem intelligentiam gubernantem. Aſſentiris ne tu huic fundamento Anonyme? ANON. Aſſentior. Videtur enim apprimè rationi conſentaneum, vt rebus, quæ diuerſæ ſunt naturæ, diuerſoſque fines proximos habent, & ſibi proprios, diuerſæ etiam deputentur intelligentiæ, à quibus regantur actiones illæ, quibus in proprium vnaquæque finem tendit: Sic videmus alios rectores aſſignari à Patrefamilias vt liberorum curam habeant; alios à religioſis viris, vt eorum, qui nuper religionem ingreſſi ſunt actiones obſeruent, & regant, idque ob diuerſitatem finium proximorum.

Homi.34. in Euang. P.p q.113 art.2. HOSPES. Optimè ſentis, & conſona loqueris doctrinæ Patrum. Gregorius dicebat diuerſis rerum generibus, diuerſos deputari ordines, & Caietanus addit ſecundum Auguſtinum, Damaſcenum, & Origenem, ſingulis ſpeciebus ſingulos, diuerſoſque Angelos tribui, & hoc inquit eſſe rationi conſonum. Quæ ratio forte eſt illa, quam tu modo retuliſti. Hoc ergo poſito fundamento videtur mihi rectè & illud concludi ſingulos homines, à ſingulis Angelis cuſtodiri. Etenim quilibet homo per ſe ſum-

ptus

Digitized by Google

ptus perfectior eſt qualibet ſpecie aliarum rerum. Quare ſi cuilibet ſpeciei rerum aliarum datur ſuus Angelus cuſtos, dabitur & ſingulis hominibus proprius. Quod autem quilibet homo perfectior ſit quacunque rerum ſpecie per ſe ſumpta, ex eo patet, quoniam homo præditus eſt mente, quod nulli alteri rei datum eſt; quare & propius accedit ad Deum. Quod ſi rerum ſpecies ſunt immortales, homo eſt immortalis ſecundum indiuiduum, quod quidem melius eſt, quam eſſe immortale ſecundum ſpeciem tantum. Cum itaque habere intelligentiam cuſtodientem dicat perfectionem, quælibet autem ſpecies rerum ſuam habeat intelligentiam, ſequitur vt ſinguli homines, qui qualibet rerum ſpecie ſunt perfectiores ſuum ſortiti ſint cuſtodem Angelum. Quod erat intentum.

ANONYMVS. Iam manibus, & pedibus in tuam ſententiam venio ò Hoſpes, tibique immortales gratias ago, quod pulcherrimam hanc doctrinam tam diſtinctè mihi communicaueris. HOSPES. Quod tibi placeat hæc doctrina ſummopere gaudeo. Quod vero diſtinctè illam tradiderim ego, non mihi eſt adſcribendum, ſed tibi, qui diſtinctè interrogaſti.

ANONYMVS. Duo ergo ex hac Homeri ſententia cognoſcimus. Primum quidem amandos eſſe peregrinos, hoſpitioque excipiendos cum charitate, tanquam Dei imagines quaſdam, & ſub quorum forma non rarò ſibi Deus complacuit, & Angeli cum hominibus verſari. Alterum autem eſt veritatem de Angelo cuſtode hominibus aſſiſtente adeo eſſe certam, vt & lumine naturali cognoſci à nobis poſſit; & Homerus illam quodammodo viderit, dum ſtatuit multos ex minoribus Dijs hominibus quibuſdam toto vitæ tempore aſtitiſſe ipſiſque operam nauaſſe. HOSPES. Hæc tamen omnia, quæ de Angelorum cuſtodia dicta ſunt clariora vobis fient, ſi legere non grauabimini, quæ D. Tho. de hac ipſa re tractauit, in. p. p. quæſt. 110. 111. 112. & 113. nos ea tantum attulimus, quæ Homerum cognouiſſe reſtantur allata carmina. Hæc autem omnia Seneca quoque cognouit, dicens vnicuique noſtrum aſſiſtere Deum quendam proprium pedagogum. *Epiſt. 3.*

ODYS-

ODISSEÆ

Decimoſeptimo, verſu DXLI.

Sic dixit, Telemachus autem ſternutauit valdè, circum domũ autem
Horrendum reſonuit, riſit autem Penelope
Statim autem Eumæum allocuta eſt.
Vade mihi hoſpitem voca coram me
Non vides, quod mihi filius ſternutauit omnibus verbis
Ideo & non imperfecta mors erit procis,
Omnibus valde, nec quiſquam fatalem euitabit mortem.

Quibus rationibus adducti veteres ſternutamentum pro felici, fauſtoque ſigno habuerint, & pro numine adorauerint.

COLLOQVIVM LXVI.

INGENIOSVS.

VIDETE Domini queſo, quantam vim Homerus tribuat vni ſternutamento, qui Penelopen facit pro certo habentem procos omnes interfectum iri, propterea quod Telemachus valde ſternutauit. Ecquid obſecro futilius, quid à Philoſophia alienum magis excogitari poteſt, quam tantam vni ſternutationi vim ineſſe, vt præſagire poſſit tot procorum cædem? TVTVS. Conſiderandum eſt, Ingenioſe, Homerum poſuiſſe hanc ſententiam in ore mulieris, quaſi ineptam illam cenſeat. Solent enim mulieres multa huiuſmodi futilia credere, & proferre. INGEN. Equidem neſcio quid probabilitatis habet dictum hoc tuum, ſed parum vel nihil veritatis. Nam & Homerus videtur pro vero habuiſſe augurium ipſum deſumptum ex ſternutamento, cum parum poſtea ſcribat procos illos omnes interfectos fuiſſe. Præterea Plutarchus ſcribit Homerum habuiſſe ſternutamentum pro felici, fauſtoque ſigno. Quin & Ariſtoteles de hac ipſa re Problema conſtituit, querens quamobrem veteres ſternutamentum habuerint pro numine, qđ multo maius eſt. Vnde colligitur Homerum vere ita ſenſiſſe. Athæneus vero dictum Ariſtotelis confirmans ait veteres conſueuiſſe ſternutamenta, tanquam res ſacræ eſſent adorare, ex quo colligit olim caput ſacrum habitum fuiſſe. At ego illud quoque dici poſſe crediderim, ideo veteres ſternutamentum pro felici augurio habuiſſe, propterea quod res ſacra iudicaretur. Putabant ergo homini ſternutanti numen aliquod pręſto eſſe, quod ipſi operam nauaret, ac ferret opem: & ideo bonum aliquod credebant ſuperuenturum.

Li. de Ho.

Lib. 2. dypnos.

ANON.

Digitized by Google

ANONYMVS. Iam intelligo cur antiquis temporibus inter dira omina haberetur, quãdo quis ſternutando ferculum reuocaret, aut menſam ſubuerteret, vt Plinius ait. Videbantur enim illis ea etiam quæ natura ſua bona ſunt, in perniciem cadere, quando ſternutamentum, quod vnum credebatur eſſe Deorum, & bonum prænunciare ſemper ex ſe putabatur, erat tunc cauſſa mali. INGEN. Ego huic tuæ opinioni ſubſcribo. ANON. Quam ergo putabimus nos cauſſam eſſe, cur veteres ſtatuerint ſternutamentum numen eſſe, ſeu felix, fauſtumque ſignum? TVTVS. Tu illius cauſſam quęris, quod cauſſam non habet. An neſcis auguria nil aliud eſſe, quam ineptorum hominum deliramenta, dæmonumque deceptiones? meritoque interdici in ſacris Biblijs? ANON. Non plane videris meam interrogationem aſſecutus ò Tute. Eſto enim fuerint auguria veterum deliramenta; nonne licebit nobis illam rationem quærere, quæ eoſdem veteres adduxit, ad credendum, quod ſternutamẽtum felix ſit ſignum? Nullam id habet, inquies, cauſſam realem; At habebit falſam, & deceptoriam. Hanc ego quero. Non enim arbitror veteres ita ſtatuiſſe non ab aliqua apparentis cauſſę probabilitate deceptos. *Lib. 28. Cap. 2.*

PROVID. Quid? quod hoc quoque tempore videtur ſternutamentum ipſum quandam vim obtinuiſſe præſagiendi? Ecce ſi quis ſternutamẽtum edat, continuò accurrit alter, & bene præcatur ſternutanti dicens, Deus te adiuuet. Hoc ſane indicium eſt his quoque temporibus ſternutamentum haberi pro fauſto, aut infauſto ſigno. Poteſt enim qui primus hanc inuexit conſuetudinem bene præcandi illud feciſſe, vt indicaret ſe optare, vt id citò bonũ adueniret, quod à ſternutatione indicabatur, potuit & optaſſe, vt illud auerteretur malum, quod cenſebat præmonſtrari. TVTVS. Quantum ad hanc attinet conſuetudinem, ego tibi illius cauſſam referam, quam deſumpſi ex Manerbio, qui Sanctorum vitas conſcripſit. Inquit ſuperioribus ſeculis morbum quendam peſtilentiſſimum graſſatum eſſe in vniuerſam Europam, infinitosque propemodum homines ſuſtuliſſe; quippe qui adeo malignus erat, & ferox, vt quicunque ſternutaret, vna cum halitu animam eijceret. Ob quam ingentem calamitatem ait tunc homines incepiſſe bene præcari ſternutantibus, vt Deus illos ab imminenti morte liberaret. Additque hanc ob cauſſam ab Eccleſia Sancta Litanias inſtitutas fuiſſe.

ANON. Pergratum mihi fuit hoc intelligere. Hoc autem modo potius malum eſſet omen ſternutamentum, contra quam veteres crediderint. TVTVS. Ita prorſus. ANON. Et tamen negandum non eſt, illos ratione aliqua apparenti adductos fuiſſe ad ita credendum. INGEN. Rectè ſentis mea quoque ſententia. ANON. Quid ergo dicemus nos veteres mouiſſe, ad ita credendũ? HOSPES. Ego tibi cauſſam indicabo, ſi vis. Anonyme. ANON. Amabo id facias. HOSPES. Audi ergo. Sternutamentum nil aliud eſt, quam cerebri motus ſe ipſum concutientis, & colligentis, ſimulque conſtringentis thoracis muſculos, vt hac ratione ſpiritu expulſo, excutiat ea excrementa, quæ ipſi cerebro negotium faciunt. Solent enim per ſternutamenta non modo ea, quæ in narium meatibus continentur excrementa vacuari, verum etiam internæ cerebri concauitates expurgari. Huiuſmodi autem motus, *Gal. 2 de ſym. cauſ. cap. 4. Trinc. 2. d morb. 12. Vall. 5. cõ ſtit. 17.*

validiſſimus

validiſſimus eſt, magnoque fit cum impetu, eſtque opus animalis facultatis. Vnde ſequitur ſternutamentum abſolutè conſideratum ſemper bonum eſſe,& vt ſignum,& vt cauſſa. Vt ſignum quidem; quoniam robur indicat animalis facultatis. Qua facultate conſtante vix euenire poteſt, vt cæteræ langueant. Dico autem naturalem atque vitalem. Animalis enim virtus ſicuti nullubi reperitur niſi illis præexiſtentibus, ita neque valida erit, ſine illis validis: Et præterea illarum fontes, & origines, cor nempe & iecur, prius reficiuntur alimẽto, quam cerebrum, quod fundamentum eſt animalis facultatis. Quare ſi hæc robuſta exiſtit, illæ quoque erunt tales. Sternutamentum ego, quod animalis facultatis conſtantiam indicat, indicabit & aliarum robur; ergo bonum ſignum erit. PROVID. Nunc video nõ omnino irrationalem eſſe vulgi opinionem, credentis ægrotantes ſternutantes omnes ſanari. HOSPES. Immo ſunt & Medici alioqui peritiſſimi, qui idẽ videntur ſtatuere dummodo circa morbi finem fiat. Indicat enim tunc temporis ſternutamentum vires optimè conſtare. Quibus vigentibus vix euenire poteſt, vt æger ſuccumbat morbo. Hinc conſtat quocunque tandem tempore fiat ſternutatio, ſemper bonum ſignum eſſe ſaltem ratione virium quas robuſtas indicat. At ratione cauſſæ bonum eſt etiam, cum vias cerebri expurget, atque thoracis, ſicque & principem animæ partem recreet, in cerebro conſiſtentem,& ſpiritales partes liberet ab excrementis. INGEN. Mihi placet ſummopere hæc doctrina. At dicas mihi Hoſpes, verum ne eſt ſternutamento ſingultum tolli? HOSPES. Veriſſimum eſt. In illa enim concuſſione, quę fit ſternutando, euenit, vt quicquid ventriculi tunicis impactum, ſingultum ciet, id excernatur foras, atque ita ſingultus ceſſet. INGEN. Si hoc modo ſingultus ceſſat ſternutando, meritò deridetur Ariſtophanes ab Eriximacho in conuiuio Platonis, dum credit ſingultum ſanari a ſtrepitu,& titillatione, quæ ſternutamentum comitantur. HOSPES. Merito ſanè deridetur. At inter multa beneficia quæ ſternutamentum confert, illud videtur maximum,& veluti diuinum, quod aliquando videtur mortuos ad vitam reuocare. Mulieres enim vteri præfocationem patientes ſæpenumero mortuæ videntur, ita vt & medici ambigant aliquando viuant ne, an non, adeo actiones in illis omnes ferientur. Attamen ſi contingat illas ita affectas ſternutare, ſemper bonum eſt, frequenter vero liberantur, & reuiuiſcunt, vt omnino appareat ſternutamentum illud, quaſi numen quoddam illas ad vitam reuocaſſe. INGEN. Quomodo tam mirabiles effectus facit? HOSPES. Affectus ille oritur à materia aliqua in vtero contenta, ibique putreſcente, at in ſternutamento concutitur vterus,& concuſſione illa excutitur morbi illius cauſſa, ſiue ſit ſemen, ſiue ſanguis cohibitus, ſiue malignus flatus. In quo caſu eſt etiam bonum ſignum, quia oſtendit naturam, quæ prius obſtupuerat robuſtam adhuc eſſe, & excitari, atque reuiuiſcere, & ſuarum operationum reminiſci. Multa & alia denique affert ſternutamentum commoda, nam & difficilem partum iuuat, ſecundinas eijcit, nauſeam tollit,& vno verbo, ad omnia interna vitia proficit, teſte Galeno. Et Hippocr. in prognoſtico ait quit ſternutamenta in omnibus exitioſis morbis vtilia eſſe exceptis pulmonis affectibus, in quibus aſſerit ſemper eſſe mala,

Vallerióla 3. de loc. comm. 8. u

Hippoc. 5. apho. aph. 35.

De medic. facil. parab. c. 38.

la, ſiue præcedant, ſiue ſuccedant. Quanquam neque hæc exceptio perpetuo eſt vera. Nam & morbis nonnullis thoracis maximo ſunt iuuamento, vt cum abſceſſus aliquis in pulmone, aut omnino in thorace conſiſtit, quem rumpere opus eſſet; Hoc enim perbelle perficitur ſternutando. Noui & ego nonnullos pleuriticos, quos niſi adiuuiſſet ſternutatio tumorē rumpens, nunquam videbantur morbum euaſuri.

INGEN. Quorſum tot affers in laudem ſternutamenti? HOSPES. Vt oſtendam quamobrem veteres illud bonum omen eſſe cenſuerint. Videntes enim illud in ſternutante non modo ſignum eſſe præſentis boni, nempe robuſtarum virium, verum etiam ferè ſemper bonum aliud futurum prænunciare; arbitror eos ab ijs, quæ intus ſunt, ad externa vim ſternutationis transferentes, exiſtimaſſe illam, non ſanitatem modo futuram, vel preſentem indicare, ſed etiam extrinſecos caſus, & fortunæ varietates non minus prænunciare felices, & fauſtas. Ad quod credendum eo magis adducebantur, mea quidem ſentētia, quod videbant ſternutamentum & ſi motus quidam ſit vehemens repente factus, & ſtrepitu plenus, non tamen euidentem cauſſam habere, ſed ad occultas cauſſas videtur procedere, quam illi exiſtimabant eſſe Deum.

ANON. Quid eſt ergo, quod cum & alia multa hominibus adueniant, quæ non minus iuuant ſternutamentis, & eandem videntur naturæ conſtantiam indicare, & nihilo magis euidentem cauſſam habent, vt tuſſis, vomitus, coryza, & alia pleraque; tamen ſola ſternutatio habita eſt pro numine? HOSPES. Magna eſt differentia Anonyme inter ſternutamentum & alia, quę enumeraſti, multoq; maiora bona comitantur ſternutamētū, quā aliā q̄libet rem ex ijs, quæ ſignificaſti. In primis enim nullum ex illis adeo certum eſt ſignum robuſtæ naturæ, vt ſternutamentum; hoc enim omnium facultatum robur indicat, ob ante traditam rationem; & cætera non item. Præterea ferè ſemper bonum eſt & vt cauſſa, & vt ſignum: quod rarius cæteris contingit. Accedit & ratio Ariſtotelis, quia de capite membro omnium diuino ſuum principium ducit, illudque iuuans ſuccurrit pincipi animæ facultati, cætera vero ab ignobilioribus partibus prouenniunt, & ignobiliores iuuant. Amplius reliquæ auacuationes morbos præ exiſtentes ſupponunt, at ſternutamentum & ſanis alioqui hominibus accidit. Tandem vero, id ea de cauſſa factum eſt, quoniam ſternututio aut ſoli homini compeꝛit, alijs vero nequaquam; aut ſi modo ſternutant, id adeo rarò faciunt, vt nullo modo ſternutare cenſeantur. Quod quidem magnam indicare videtur præſtantiam in ſternutamento. Quodque hanc adauget præſtantiam illud eſt, quoniam ideo homo familiarem habet ſternutationem, quia cuiuſdam diuinitatis eſt particeps; cætera vero non ſternutant animalia, quia penitus bruta ſunt, atque terrena. Quare iure dicere poſſumus ſternutamenta ideo ab antiquis diuina fuiſſe iudicata, propterea quod diuinitatem quandam conſequantur, & comitentur. INGEN. Non ſatis hæc intelligo. HOSPES. Audias. Homo quia diuinitatis eſt particeps incedit erectus, cum cætera animalia ſint prona ob ipſorum omnino terrenam naturam. At homo non alia de cauſſa familiarem habet ſternutationem ſolus inter alia, niſi quia ere-

ctus eſt, non pronus, ſequitur ergo quod ideo ſternutet, quia diuinitatis eſt particeps. INGEN. Quod homo ſolus omnium animalium ſit erectus, quoniam eius natura, atque ſubſtãtia diuina eſt, & quoniam illius officium eſt intelligere, atque ſapere, quod etiam diuini eſt munus, iamdudum noui, idque ſcio explicatũ fuiſſe ab Ariſtotele, in quarto de Partibus Animalium. Nec ignoro pulcherrima illa Ouidij carmina.

Cap. 10.

Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ,
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet.
Natus homo eſt, ſiue hunc diuino ſemine fecit,
Ille opifex rerum mundi melioris origo,
Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram
Os homini ſublime dedit, cælumque tueri,
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Hæc omnia inquam noui. At quod ideo ſolus homo ſternutet, quia ſtaturam erectam habeat, nondum intelligo.

Probl. 53.

HOSPES. Illud euidentiſſime Ariſtoteles docuit, atque optime, in ſectione decima Problematum, quo loco hoc ipſum problema inſtituit, cur omnium animantium homo maxime ſoleat ſternutare. Inquit enim id fieri, quia erectus eſt, & propterea multa caloris & vaporum copia confluit ad caput, quod in eminentiſſimo loco poſitum eſt. ab illis ergo vaporibus ſæpe grauatum cerebrum, & titillatione affectum cogitur ſternutare, vt illos ejciat, at in alijs animalibus non tanta caloris, aut vaporis copia ad caput fertur, cum non in ſublimi ſit poſitum, neque recta ſit cæteris membris euaporantibus ſuper poſitum; immo in ipſis brutis vaporoſa exhalatio per refractionem diſiecta pauca quidem ceruicẽ, caputque petit, multa in ſpinam, lumboſque defertur; Hæc enim linea recta, iuxtaque baſim ſita omnia ſunt. Vnde fit vt humores, & vapores in vniuerſum corpus digerantur, atque partiantur, cum tamen in homine fere in vnum caput colligantur, ob ſtaturæ rectitudinẽ. Vide ergo, quomodo hominis diuinitas ſit in cauſſa, vt ipſe ſternutamentum habeat ſibi familiare. INGEN. Sanè adeo mihi arridet hæc doctrina, vt hanc vnicam eſſe cauſſam putem, cur veteres ſternutamentum in boni numinis, & ominis habuerint loco. HOSPES. Doctiſſimè tamen dicebas in initio colloquij falſum eſſe, quod ſternutamentum poſſit externa prænunciare. Quod ſi aliqui profiteantur ex ſternutamentis res venturas diuinare poſſe, id nunquam naturaliter facient, ſed tacita, aut expreſſa cacodæmonis inuocatione vt Diuus Thomas docuit. 2. 2. quæſt. 9. 5. Quare & Homerus noſter ſecutus errorem antiquorum ſtatuit ſternutamentum Telemachi cædem procorum prænunciaſſe, hac in re à Philoſophia deflectens. & ad ſui temporis ſuperſtitiones conuerſus, iuxta illud Poetæ.

Torq. Taſſus.

Ma quaſi onda di mar, cui nulla affrene
L'uſo del volgo traſſe anco me ſeco.

INGEN. Ego in tua hac doctrina omnino acquieſco, quod eo libentius facio quod cæteros quoque hoſce doctiſſimos viros video annuentes, & tuam ſententiam comprobantes.

ODYS-

ODISSEÆ
Decimooctauo, verſu CXXIX.

Nil homine in terris infirmius ætheris aura
Veſcitur, aut perreptat humum, nihil inde malorum
Poſſe ſibi ſperat contingere, dum viget, & dum
Permittunt rebus ſuperi gaudere ſecundis.
At poſtquam caſus immittunt numina diros
Inuito tolerat fatalia tum mala corde.

Hominem eſſe animalium imbecillimum multis rationibus indicatur; multis & contrarium adſtruitur. Quidque ſecundum rei veritatem de re hac ſit dicendum optime oſtenditur.

COLLOQVIVM LXVII.

INCLVSVS.

NESCIO an hæc ſententia rectè ab omnibus intelligatur, multi quidem illam in ſuis ſermonibus vſurpant, ſed ſæpe parum feliciter. Puto paucos cognoſcere in quo illius veritas conſiſtat.

PROVID. Mihi vero id videtur ò Incluſe facile cognitu, quod homo debiliſſimus ſit animalium. Cõſtat enim cætera animalia meliorem habere, quam nos ſui ortus conditionem, atque naturam. Alia enim cornibus, alia dentibus armantur, alia etiam ſtimulis, vt Echinus, qui, vt ait Empedocles. *Plutarch. de Fortun.*

Dorſum horret ſpinis, & ſpicula torquet acuta.

Tum vero amicta ſunt, & ſuffulta ſquamis, villis, chelis, vngulis duris, aliiſque munimentis, quibus vario modo ſe ab aduerſus tuentur. Ecce penna tegit volucrem, piſcem ſquama operit, lana ouem induit, pilus iumenta, & feras veſtit, concha teſtudinem excipit, ebur Elephantem iacula non timere facit, vno verbo ſingula animalium ſecum habent connata arma naturæ ſuæ conuenientia. Solus homo, vt inquit Plato, nudus, inermis, ſine calceis, & ſine tegmine eſt à natura relictus. Ob quam deinde hominis egeſtatem, & impotentiam maximam factum eſt ciuile animal, vt Philoſophi tradunt. Naturæ enim inſtinctus, & neceſſitas coegere homines vt congregarentur in vrbibus, propterea quod per multorum communem *Hug. in diaſc. lib. 1.* *Piccol. gr. 10. ca. 14.*

Digitized by Google

PROVID. Pulcherrima ſanè doctrina. At nollem Homerum toties à nobis reprehendi. Parum antea dicebatur à nobis illum ſecutum fuiſſe ſui temporis ſuperſtitiones, vt video hic quoque dicere oportebit illum hanc protuliſſe ſententiam falſam, & in hominum genus contumelioſam.

INCLVS. Nequaquam ita dicendum; immo veriſſima eſt, ſi rectè intelligatur. PROVID. Quomodo ergo illam interpretabimur?

ANON. Audite obſecro, quid mihi in mentem veniat modo, pro illius expoſitione. Arbitror Homerum ea de cauſſa vocaſſe hominem cæteris animalibus imbecilliorem, non quod minores illis obtineat uires, ſed quia exiſtimabat hominem quantumuis robuſtiſſimum inceſſanter à Dijs exagitari, atque varijs impulſionibus quaſi pilam ſurſum deorſum ferri, modo ad ſublimia, modo ad infima depulſus in honore, in infamia, in diuitijs, in paupertate, alijſque rebus, quas homo appetit, & magni æſtimat, aut fugit, & ſpernit. Cum itaque hæc omnia homo patiatur velit, nolit, neque enim poteſt Dijs vllo modo reſiſtere, aut eorum voluntatem declinare, ideo quamuis robuſtiſſimus ille exiſtat, imbecillimus tamen, & languidiſſimus omnino eſſe videtur. Hanc fuiſſe Homeri ſententiam euidenter omnino probat ratio ab eodem allata. Inquit enim hominem ideo eſſe impotentiſſimum omnium, quia cum reuera ſit potentiſſimus, & ideo ſperet ſe nunquam aliquid mali paſſurum, patitur tamen inuitus quæcunque mala mittuntur à Dijs. & addit.

Talis enim mens eſt mortalium hominum
Qualem in dies facit Pater hominumque, Deumque.

Sic indicans hominem neque arbitrij ſui Dominum eſſe, ſed in dies illud quoque mutari nutu Dei. Hoc ipſum proculdubio & Plato voluit, qui ſtatuit hominem eſſe ludum, iocumque Deorum, & ludo factum ab illis, fortaſſe conſiderans hominem nunquam à Dijs non exagitari, & varijs modis commoueri. Et quamuis Marſilius Ficinus aſſerat nondum conſtare an ex ſententia Platonis homo ſit ludo Deorum conſtitutus, immo potius ipſe credat illum ſtudio, non ioco factum eſſe ſecundum Platonem, non eſt tamen illius expoſitio approbanda. Euidenter enim Plato in 7. de Legibus aſſerit hominem ludum eſſe, iocumque Deorum. Quod non alia de cauſſa ab eo factum fuiſſe credo, niſi quia ut diximus, homo a Dijs indeſinenter exagitatur. *4. De legib.* *In Dialog. 1. de legib.*

INCLVS. Neque tua hæc expoſitio eſt approbanda ò Anonyme. Duo enim dicis, quæ ambo ſunt falſa. Falſum in primis eſt, hominem ideo imbecillimum ab Homero dici, quia continuam quandam pugnam habeat cum Dijs, quos tamen nullo modo poteſt euitare; Falſum inquam, quoniam hac eadem ratione bruta quoque Diis ſubiecta ſunt, nō minus quam homo; nec minus illa à Diis exagitantur; immo magis, propterea quod Dij illis ſacrificiis delectantur in quibus animalia occidebantur, & vtebantur. Immo hæc ipſa ſacrificia ſæpe legimus Deos ab hominibus requiſiuiſſe, vt illis Deorum ipſorum ira placaretur, & finis imponeretur ca-

lamitatibus, quæ ab ipſis Diis in hominum genus immittebantur. Si ergo animalium morte Dij hominibus infenſi placabantur, apparet non minus bruta, quam homines à Dijs exagitari; & mala perpeti; ideoque & inepte concludi hominem imbecilliorem eſſe cæteris animalibus, quia inuitus à Diis miſſa mala patiatur. Aut ſi modo dicendum eſt hominem ideo debiliſſimum eſſe, animalium, quia Diis non reſiſtat; dicere oportebit bruta magis quam homines reſiſtere Deorum voluntati, quod eſt ridiculum. Quod autem addis ex Homero, arbitrium, ſeu mentem hominum in dies mutari à Deo, id quomodo ſit intelligendum dictum fuit antea à nobis in hoc ipſo loco. Certè nil faciunt illa carmina in confirmationem tuæ ſententiæ. Sic enim ſunt intelligenda, vt eatenus mutentur intellectus noſtri operationes, & actus ſecundi, quatenus obiecta mutantur, quæ ſenſus noſtros feriant. Nihil hic de ſubſtantia intellectus, neque de libero arbitrio, aut corporis viribus. Quomodo vero ſit Homerica ratio intelligenda, cum ait ideo hominem eſſe imbecillimum, quia cum aliquando dicat in corde ſuo ſe nil paſſurum, inuito tamen multa patitur, ego parùm poſtea, cum meam ſententiam aperiam explicabo. Nunc ad illud venio, quod ais Platonem vocaſſe hominem ludum Deorum, quia quodammodo illo ludant Dij, quaſi pila; hoc eſt abſurdiſſimum: idque elicitur ex Platone, qui cum dixiſſet hominem Dei ludo fictum eſſe, addit deinde, idipſum eſſe homini optimum, quod ſit ludo factus. At ſi eo modo, vt tu dicis, eſſet homo ludus Deorum, non eſſet illud adſcribendum perfectioni hominis, ſed imperfectioni. ANON. Quomodo ergo Platonem interpretabimur expreſsè dicentem hominem ludo Deorum eſſe conſtitutum?

Colloq.

INCLVS. Optimè illum interpretabimur dicentes cum Piccolomineo, hominem eſſe ludum Deorum, quia Deos æmulatur, & imitatur eorum actiones cum deformitate quadam: in hoc autem poſitum eſt ipſius bonum, vt Deos æmuletur, & imitetur.

Piccol. gr. 9. cap. 7.

ANONYM. Hoc modo dicere poſſemus pigmæos eſſe ludum hominum. Nonne? INCLVS. Optimè. locus enim, ſiue ludus eſt quædam deformitas in imitatione poſita, cum nouitate, & obſcœnitate ſine dolore & interitu eius in quo eſt, iucunditatem pariens in audiente vel aſpiciente. Dicitur ergo homo iocus Deorum, quia Deos deformiter imitatur. Imitatur autem quinque modis. Primo mentis participatione. Secundo participatione ſummi boni, quod ei obſcure competit in hac vita. Tertio, per prouidentiam in regendis Rebuſpublicis; Quarto per Artem, qua imitatur Naturam, & ex conſequenti Deum Naturæ factorem. Quinto quia per ſcientiam, & intelligentiam ſit omnia per ſimilitudinem, ut Deus eſt omnia per eminentiam. Quia ergo hæc omnia cum degeneratione magna, & deformitate competunt homini, ideo ipſe dicitur eſſe iocus, luduſque Deorum. ANON. Acquieſco, at nondum video, quomodo intelligenda ſit hæc Homeri ſententia. TVTVS. Dicerem ego ita eſſe intelligendam, vt Homerus per imbecilliorem intellexerit imperfectiorem.

INCLVS. Tu ergo velles Homerum credidiſſe, quod homo ſit cunctis animantibus imperfectior?

TV-

TVTVS. Ita crediderim. Quid ni? Nonne euenit ſæpenumero, vt homo ſit omni fera deterior? Hoc ſane teſtatur, & probat Ariſtoteles, dicens quod homo prauus, & vitiis deditus plura infinitis partibus detrimenta, & mala inferre poteſt, quam fera. Et in primo Politicorum inquit, nullam ferarum eſſe fraudem tantam, nullamque malitiam, quæ poſſit cũ hominis malitia contendere. Nihil enim, inquit eſſe poteſt ſceleratius, nihil immanius, nihil denique abiectius homine virtutis experte. Ita vt recté cecinerit ille Poeta. *7. Ethic. cap. 6.* *Cap. 2.* *Iacob. Bil.*

Serpentum nobis dens eſt, mens laua columba,
Stultitia & pueros, & ſuperamus oues.
Et canis eſt morſus nobis, & equina libido,
Vt leo nos fur.mus ſemper, & inſtar apis.
Formica ventris non cura eſt maior alendi,
Fermenti & veteris nos comitatur acor.
Sic innata feris mala nobis cuncta ſuperſunt
Cum bona deficiant inſita cuncta feris.

INCLVS. Neque hæc tua expoſitio approbanda videtur ó Tute, idque duabus de cauſſis. Primum quidem quoniam violenta nimis uidetur interpretatio dictionis, *imbecilliorem*; Præterea vero, quoniam illa etiam admiſſa, non ſequitur hominem eſſe feris imperfectiorem, eo quod homo prauus ſit feris ipſis deterior. Non enim omnes homines praui ſunt, ſed nonnulli tantum. Homerica vero ſententia vniuerſalis eſt, & de omnibus venit intelligenda. INGEN. Vt video Incluſe, tu omnium ſententias reijcis, nec vlla hactenus tibi ſatisfacit. Quorſum ergo nos angis tamdiu? Tuam tandem proferas expoſitionem, vt videamus quomodo ſit hæc ſententia intelligenda. INCLVS. Ego libenter dicam quid ſentiam, idque veſtro ſubiiciam iudicio. Arbitror cum diſtinctione quadam procedendum eſſe. Veriſſimũ enim cenſeo hominem eſſe animalium omnium robuſtiſſimum; veriſſimũ & eſſe imbecillimum omnium, ſed ratione diuerſa. Abſolute quidem & ſimpliciter robuſtiſſimus eſt homo; ſecundum proportionem vero imbecillimus omnium. Simpliciter dico hoc modo; quod ſi velimus hominis potentiam in ſe conſiderare, illamque conferre cum cæterorum animalium robore, proculdubio dicemus illum eſſe robuſtiſſimum omnium, ob eas ipſas rationes, quas ego cum Prouido diſſerens recenſui. Homo enim etſi videtur ſolus inter animalia nudus, & inermis naſci, tamen omnibus aliorum armis pollet ſimul, cum cætera vno tantum auxilio ſint decorata. Eſt enim homini data prudentia, per quam alijs animalibus imperat, & eorum armis vtitur. Non ergo tantum formicis, aut muſcis, abiectioriue alio animali eſt homo fortior, ſed Leone etiam ipſo & Elephanto. Non enim haſce feras, & alias quoque vincere, aut occidere poteſt homo ipſe ſua ſagacitate, verum etiam cicures ipſas facit, & obedientes ſibi. Nonne enim domantur tauri, frenantur equi, mites redduntur leones, ſæpenumero, quod tamen

Digitized by Google

minimè fieret, niſi homo ex ſui natura eſſet feris omnibus potentior? Immo ad illud ipſum efficiendum puto maximopere conſpirare Naturæ inſtinctum quendam, per quem Feræ hominem magis quam cætera animalia timent, ſuſpiciunt, ac modo quodam venerantur, adeo ut paruulus Æthiops ingentem Camellum, & Elephantum funiculo alligatum ducat, quod fera aliqua non efficeret. Indicio hæc ſunt & feras ipſas quodammodo hanc hominis potentiam cognoſcere, quas ipſas ſuperat, & domat. At ſi ſecundum proportionem res conſideretur aliter dicendum veniet. Inueniemus enim hominem cunctis animantibus eſſe debiliorem.

INGEN. Non ſatis intelligo. INCLVS. Quod dico ſecundum proportionem hoc eſt, quod animal quodlibet promptius, atque liberius propriis viribus vtitur, etſi exiguis, quam homo ſuis utatur quantumuis magnis. Scilicet cætera animalia facilius operantur iuxta exiguas ſuas vires, quam homo iuxta ſuas magnas. Non enim bruta vllam reſiſtentiã inueniunt vt iuxta propriam naturam operentur, cum tamen hominem multa impediant. Vide. Alijs animantibus propria innaſcuntur arma, & tegumenta vel ſtatim in lucẽ editis, aut paulo poſt; vnde vel ſtatim incipiunt ſe tueri, & operari iuxta propriam naturam operantes, vel ſaltem breui id faciunt. At homo, cui ſola ratio data eſt pro auxilio, antequam illius gaudeat vſu, multũ temporis cogitur expectare, idque non ſine magnis doloribus, atque vagitibus. Bruta poſtquam ſemel ea arma receperunt, quæ ipſis a natura ſunt tradita, promptiſſimè illis utuntur quotieſcunque, & quandocunque voluerint; abſoluta ſunt enim eorum inſtrumenta. Talia enim innaſcuntur Tauro cornua, vt iis promptiſſimè ferire valeat. Echino illa innata ſunt ſpicula ut abſque ullo labore illis arceat quicquid eſt moleſtum. Sic & in aliis reperies factum, ut nihil laboris inſumant animalia ad propria inſtrumenta perficienda, ſed ea abſoluta receperunt à Natura. Non ſic in homine. Hic enim rationem quidem obtinuit, cuius vi potuit cuncta ſuperare, & vincere, propriis indigentiis ſuccurrere, & ſe tueri; at quanta difficultas reperitur in his exequendis? Primum quidem nullum aliud obtinuit inſtrumentum, quo tot munera exequeretur, præter manus. Hæc etſi ad multa inſtrumenta ſit apta, nullum tamen eſt eorum. Eſt enim manus, vt Ariſtoteles ait inſtrumentum, ante inſtrumentum; ideſt, indiget aliis inſtrumentis, vt ſit abſolutum inſtrumentum. Illa vero comparare ſibi homo non poteſt abſque labore, & ſudore multo. Domare quidem poteſt homo cætera animalia, eorumque arma in proprios vſus vertere; at quanta id cum difficultate facit? Inuenit enim illa partim hominem timentia, & fugientia partim ipſi reſiſtentia, & cum eo parata pugnare. Sic quidem apparet hominem abſolutè quidem potentiorem eſſe cunctis animalibus; at habita ratione ſuæ potentiæ conſtat nullum aliud animal tanta cum difficultate ſuam perficere, & exercere potentiam, quanta homo ſuam. Quid quod neque poteſt homo proprium finem conſequi abſque labore multo, cum tamen reliqua animalia naturaliter perficiantur, & nemine docente?

4. De part. anim. cap. 10.

Perpende & uidebis equum fieri abſque ulla reſiſtentia velociſſimum,

leonem

leonem ferociſſimum, ouem mitiſſimum, canem hero fideliſſimum & reliqua omnia ſuas recipere à natura perfectiones, vnum videbis hominem tanta cum difficultate propriam conſequi perfectionem, vt pauciſſimi ſint, qui verè ſint homines, plurimi deteriores feris euadant. Cum enim finis hominis ſit ipſa beatitudo, hæc autem per ſolas virtutes acquiratur, pauci quidem illas adipiſcuntur, ab ingenti illo labore deterriti, quem pati nos oportet in illis acquirendis, plures in vitia labuntur, quæ peiorem hominis conditionem faciunt quam ferarum. Id autem quod peius eſt, tantæ difficultatis cauſſa non eſt quid extrinſecum, ſed intimum eſt homini, & naturale, nempe appetitus ſenſuum, à quo & à virtutibus retrahimur, & ad vitia quodammodo propellimur. Vt hinc dicendum videatur hominem ſecum ſemper ferre hoſtem quendam ſui, impedientem quominus ad propriam perueniat perfectionem.

TVTVS. Nonne dictum fuit alias id fieri per accidens, quod appetitus ſenſuum hominem faciat ad vitia procliuem? Ea quæ ſunt per accidens nullum debent hominis dignitati negotium facere. INCLVS. Eſt quidem id per accidens ò Tute, attamen nihil tale reperitur in brutis, quod neque per ſe, neque per accidens illas retrahat à proprio fine. Sed cuncta in illis ſunt ad vnam perfectionem conſpirantia. Quod quidem magnam arguit in homine impotentiam ſecundum ſuæ potentiæ proportionem, reſpectu ferarum.

TVTVS. Optime. INCLVS. Ita quidem ſe habet homo ad ſuam beatitudinem quæ virtutibus moralibus acquiritur. Quid de intellectuali perfectione dicam, quæ ſcientijs comparatur, quas omnis homo naturaliter deſiderat? Hæc quidem perfectio expreſſe indicat quantum homo abſolute, & ſimpliciter præſtet cæteris animalibus, cum illius cognitio non ad vnum ſit coarctata, ſed ad omnia ſe extendat, poſſitque intellectus omnia fieri per cognitionem, cum tamen cætera animalia, ſuam cognitionem ad vnum magis habeant determinatam, & limitatam, vt alias etiam dicebatur. At ſecundum proportionem cognitionis, atque potentiæ cognoſcendi, homo ipſe imbecillior inuenietur in ſua cognitione, cuius eſt capax, conſequenda, quam quodlibet aliud animal in ſua. Vnumquodque enim animal ſola natura duce illam adipiſcitur cognitionem cuius eſt capax, canis enim cito diſcit herum cognoſcere, & venari, vulpes vero nullo labore addiſcit quibus artibus poſſit venatores latere, & decipere, ſicque aliorum vnumquodque facile illam cognitionem cuius eſt capax conſequitur, ſolus homo vix partem illius ſcientiæ adipiſcitur, quam naturaliter deſiderat, idque ſumma cum difficultate peragit. Homo naturaliter eſt aptus ad omnes ſcientias, eaſque appetit, at quis vnquam repertus eſt, qui omnes adeptus ſit? Et ſi aliquam acquirimus, quanta cum difficultate id facimus? Neque eſt, quod quiſpiam dicat difficultatem hanc conſiſtere in ipſa ſcientia, aut obiecto ſcibili; conſtat enim ex ijs, quæ alias hoc ipſo in loco dicebantur, totam difficultatem, quam in ſcientijs adipiſcendis experimur, in imbecillitate intellectus noſtri conſiſtere. Quare ſatis patet hominem abſolutè conſideratum maiorem ſim-

1. metap. tex. 1.

Colloq. 63.

ſimpliciter obtinuiſſe potentiam quolibet alio animali, ſiue de cognoſcendi facultate loquamur, ſiue de illa quæ in propriè dictis operationibus verſatur: attamen ipſum hominem difficilius ſuam exercere potentiam, quam quodlibet aliud animal ſuam, quod eſt dicere ſecundum proportionem eſſe imbecillius homine. Hanc ipſam cenſeo fuiſſe Homeri noſtri ſententiam. Quod enim ait hominem dum viget nihil timere malorum, quæ tamen poſtea inuitus patitur; nil aliud apud me ſonat, niſi adeo ingentem virium copiam homini datam eſſe à natura, vt ſi illam ſpectemus vix credibile ſit, quod homo poſſit quicquam violenter pati. Attamen quia non ita facile ſuas exercet vires, ideo vel inuitus cogitur multa pati; ideſt multa tolerat, quamuis impoſſibile id videatur ob magnas illius vires.

PROVID. Pulcherrima ſanè eſt hæc doctrina. Vnum tamen mihi negotium facit.

INCLVS. Quid? PROVID. Quod hæc humana, qualiſcunque ſit imbecillitas, valde videtur hominis dignitatem denigrare. Videtur enim mihi eſſe rationi conſentaneum, vt ſi homo cæteris animalibus imperat, & virtute præſtet, omnibus etiam modis præſtet, non abſolutè tantum, & ſimpliciter.

INCLVS. Rectè. Verè enim hæc imbecillitas hominis dignitatem dedecorat; at non id vitium eſt humanæ eſſentiæ, ſed peccati. Ex eo enim quod protoparentes noſtri peccarunt, in has calamitates incidimus; in quas haud incidiſſemus ſi Dei pręcepto obtemperaſſent. Quemadmodum ergo propter peccatum homini propria natura non eſt adempta, ſed tantum factus eſt morti ſubiectus, ita neque ſumma vis, qua cętera ſuperat animalia, neque imperium in res alias ſublatum eſt, ſed tantummodo laborioſum eſt redditum. Nam cum Deus homini imperium tradidit ſuper cæteris rebus, nondum homo peccauerat; poſt peccatum vero illud non abſtulit, ſed tantummodo labores, & dolores protoparentibus addidit pro pęna peccati, vt ex Geneſi licet intelligere.

Cap. 1. 2. & 3.

ODYS-

ODYSSEÆ

Decimonono, verſu XXI.

Hunc autem allocuta rurſus eſt chara nutrix Euriclea,
Vtinam enim iam tandem fili prudentiam ſuſcipias
Domum curare, & res omnes ſeruare.

Vnde fiat vt adoleſcentes, vt plurimum ſint prodigi, & rem familiarem minime curantes.

COLLOQVIVM LXVIII.

TVTVS.

IN Magnam contradictionem videtur mihi hoc loco Homerus incidiſſe, introducens Euricleam Deum deprecantem, vt Telemachus tandem incipiat res proprias curare, atque ſeruare. Immo precatur Euriclea, vt tandem Telemachus ipſe prudentiam ſuſcipiat, cum tamen antea illum Homerus prudentem ſexcenties vocauerit. Anne quis poteſt eſſe prudens, & res proprias minime curare, aut patrimonium effundere? Aut ſi Telemachus prudens erat antea, poterit nè denuo prudentiam ſuſcipere? Non videntur hæc poſſe ſimul conſiſtere. SITIC. Apparet quidem ò Tute hic quædam ſubeſſe contradictio, tamen ſi quis recte conſideret, videbit nullum fuiſſe ab Homero commiſſum errorem. Non enim puto illam hoc loco ita ſcribentem oblitum fuiſſe pudentiæ, quam toties in Telemacho commendauerat; ſed ita ſentiendum puto, Telemachum adoleſcentem ab Homero fuiſſe prudentem nuncupatum in præcedentibus, non quòd abſolutam illam, perfectamque prudentiā eſſet aſſecutus, quæ virtutes omnes ſupponit: ſed quia illius erat indolis, & propenſionis, vt facile illam poſſet adipiſci. Nunc vero Euriclea precatur vt Telemachus omnino prudens fiat, & præcipuè in re familiari conſeruanda, & gubernanda, quod non repugnat dictæ antea prudentiæ. Hoc tamen factum ab Homero fuiſſe credo, vt indicaret quibuſnam moribus ſint adoleſcentes ſubiecti. Vere enim hi nullam propemodum curam habent rei familiaris, neque magno deſiderio tenentur ſeruandarum rerum, ſed potius prodigi ſunt, & pecuniarum contemptores. Sic quidem Ariſtoteles in 2. Rhetoricorū ſentit, qui de moribus adoleſcentum agēns inquit, eos nullo pecuniæ deſiderio trahi. Et Cicero in Cap. 10. oratione pro M. Cæl. euidenter aſſerit adoleſcentes pronos eſſe ad prodigalitatem, & ad patrimonium effundendum.

INCLVS. Quis clarius id vnquam indicauit Horatio Flacco, qui in Arte Poetica ita diſtincte mores deſcripſit adoleſcentum, vt nihil deſiderati

Digitized by Google

rari poſſe videatur. Ipſe aperte fatetur prodigalitatem propriam adoleſcentum eſſe. Sunt hæc illius carmina.

Imberbis iuuenis tandem cuſtode remoto
Gaudet equis canibuſque, & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti monitoribus aſper,
VTILIVM TARDVS PROVISOR, PRODIGVS AERIS,
Sublimis, cupiduſque, & amata relinquere pernix.

SITIC. Euidentiſſimum eſt, & apud omnes receptiſſimum, adoleſcentes vt plurimum prodigos eſſe, remque familiarem minimè curātes. Quod vt indicaret Poeta noſter, arbitror ipſum introduxiſſe vetulam illam perſuadentem Telemacho, vt rerum ſuarum nollet obliuiſci, ſed ipſas curare, & ſeruare. TVTVS. Iam penitus acquieſco, nec amplius reor vllam hoc loco contradictionem ſubeſſe; attamen mihi ſitim quandam excitaſtis, quam etiam vellem aqua doctrinæ veſtræ extinguere. SITIC. Quæ iſthæc eſt ſitis? TVTVS. Cauſſam illam vellem intelligere, quæ iuuenes, ſeu adoleſcentes prodigos reddit vt dixiſtis, pecuniæque minimè cupidos. SITIC. Facile erit hāc ſitim pellere ex ijs, quæ Io. Baptiſta, Perſona tradidit de Liberalium Temperamento. Prodigalitas enim nil aliud eſſe videtur, quam excedens quædam Liberalitas. TVTVS. Ne queſo me remittas ad Perſonam. Si quid habes, quod ad rem hanc faciat tu dicito, vt ego quoque hanc cauſſam intelligam. SITIC. Afferam ergo illius doctrinam, & illam applicabo noſtro propoſito. Ille ergo huiuſmodi ponit fundamentū, duas ſcilicet cauſſas extrinſecas eſſe, quæ actum liberalitatis augent, & facilem reddunt. Quarum cauſſarum vna ſe tenet ex parte dantis, altera ex parte recipientis. Illam quidem ait eſſe bonorum externorum copiam, & affluentiam. Libentius enim largimur alijs, cum abundamus, quam cum indigemus. Hanc vero ait eſſe, quando is cui donatur amicus eſt donanti, aut ſaltem talis eſſe creditur. Et res ſanè ita ſe habet. Libentius enim atque promptius donamus amicis, quam iis, qui amici non ſunt. Hoc itaque fundamēto poſito, concludit eos naturaliter eſſe ad liberalitatem pronos, qui ita ſunt naturaliter affecti, vt putent ſe non indigere, cum tamen indigeant externis bonis, aut arbitrentur ſe magis abundare, quam reuera abundent; & inſuper qui ita erga alios ſunt naturaliter diſpoſiti, vt vnumquenque putēt ſibi amicum eſſe omneſque facile diligant. Hi, inquit, cæteris paribus erūt liberaliores; & eſt optima conſequentia, ſuppoſito fundamento. TVTVS. Mihi vero non conſequentia modo probatur, verum etiam fundamentum ipſum veriſſimum videtur. At qui nam illi ſunt, qui ita ſunt naturaliter affecti, vt duas illas obtineant conditiones. SITIC. Eos eſſe probat, qui bono affluunt ſanguine, & ſpiritibus bonis abundant. Quoniā enim hæ ſubſtantiæ ſunt naturę noſtræ theſſaurus, & internę diuitiæ, ideo qui his abundat, ſicuti intrinſecus ditiſſimus eſt, ita & extrinſecus opibus abūdare putat. Cum enim omne quod recipitur ad modum recipiētis recipiatur, ideo fit, vt quicunque internis abundat bonis, is etiam externa conſiderans arbitretur

Comm. q. animi mores cap. 7.

tretur

tretur ſe illis abundare. TVTVS. Nondum tam pulchram rationem audiui probantem ex boni ſanguinis copia prouenire, vt quis indigens externis bonis, propriam indigentiam non percipiat. SITIC. Eadem ratione oſtendit ille eos, qui ſanguine abundant, atque ſpiritibus bene affectos eſſe erga omnes, ita vt quoſcunque vident, putent ſibi amicos eſſe. Cum enim ſanguinis, ſpirituumque contactus ſit natura; facultatibuſque omnibus dulcis, atque ſuauis, hinc fit, vt cum illæ abundant ſubſtantia amica internis facultatibus omnibus, homo etiam externa omnia recipiat vt amica, & familiaria, ob ante traditam rationem. TVTVS. Optima ſanè eſt hæc doctrina, Siticulosè. SITIC. Hanc ergo accomodemus huic noſtro propoſito, hũc in modum. Quicunque bono abundant ſanguine, atque ſpiritibus, hi ſunt ad liberalitatem procliues; ergo quo magis abundant, eo etiam magis in prodigalitatem inclinabunt, At adoleſcentes valde abundant ſpiritibus & ſanguine aliarum ætatum reſpectu. Ergo hi naturaliter erunt in prodigalitatem proni. Quod autem in ea ætate abundet ſanguis, & ſpiritus, patet, tum ex actionibus omnibus adoleſcentum validis, tum ex calore naturali, qui tunc temporis maximè viget. Hoc enim valido exiſtente perfectæ etiam fiunt alimentorum concoctiones, & ita multus ſanguis gignitur.

TVTVS. Exiſtimaſſem validiorem calorem reperiri in pueris, quam in adoleſcentibus. Audiui enim aliquando medicos neſcio quem Hippocratis aphoriſmum recitantes, quo aſſerit eos, qui creſcunt plurimum habere calidi innati. SITIC. Equidem ita ſe res habet, vt dicis, & magna eſt inter medicos orta controuerſia circa aphoriſmum hunc; alijs dicentibus iuuenes plus habere caloris, alijs vero id de pueris aſſerentes. Qui tamen ita videntur conciliari, quod in pueris plus reperitur de ſubſtantia caloris, cum acrimonia minori, in iuuenibus vero maiorem eſſe acrimoniam cum pauciori ſubſtantia. Sed nihil ad nos attinet in hac lite verſari. Sufficit enim nobis illud, quod in iuuenibus magis redundat ſanguis, & ſpiritus, quam in pueris, cum quia non ita hæ ſubſtantiæ diſſoluuntur per inſenſibilem tranſpiratum, vt in pueris, tum quoniam iam incrementum ceſſauit vnde minus ſanguinis conſumitur in nutritione celebrãda, quia etiam minor fit conſumptio ſubſtantiæ in iuuenibus, quam in puerili ætate. Et tamen multum comedunt, comeſtumque exactè concoquunt, ob caloris robur.

aph. 20. Libro 7.

INCLVS. Videram ego quoque apud Ariſtotelem adoleſcentes ſtudioſos eſſe amicorum, atque ſodalium magis quàm in alijs ætatibus conſtitutos, eorumque conſuetudine delectari magis; attamen vnde id fieret nunquam tam recte oſtenſum mihi eſt, Siticulosè, vt modo à te factum. SITIC. Pergratum mihi eſt, hanc tibi placuiſſe doctrinam. Quoniam autem contrariorum eadem eſt doctrina, ex his, quæ modo dicta ſunt de cauſſa morum adoleſcentum facile erit perſpicere, vnde fiat vt ſenes contrarijs, quam adoleſcentes moribus ſint affecti. Quia enim intrinſecus indigent, ideo & extrinſecus indigere arbitrantur, carentes enim ſanguine & ſpiritibus, quæ internæ ſunt diuitiæ, ideo & externa bona conſiderantes, illa recipiunt, vt ſibi ipſis deficientia, decepti ab indigentia interna, qua eorum laborant facultates. Hinc fit vt ſenes omnes ſint auari, & nunquam non querentes; ea,

quibus

Digitized by Google

quibus ſe indigere putant, nempe diuitias. Hinc rurſus oritur eorundem triſtitia,& melancholia, vnde ipſi; difficiles ſe prebent, & querulos; vno verbo ex eodem principio poſito,cauſſa colligi poſſet omnium differentiarum morum ad ſenes pertinentium, quas Ariſtoteles enumerat in ſecundo Rhetoricorum. Egoque illud facile præſtarem, niſi viderer limites egredi inſtituti noſtri, quod tantum erat cauſſam inuenire cur prodigi ſint adoleſcentes. PROVID. Non ignoro Ariſtotelem in Rhetoricis quaſdam cauſſas afferre harum,aliarumque in moribus differentiarum,quæ cum in adoleſcentibus,tum in ſenibus conſpiciuntur. Sed hæ cauſſę non ex principijs intrinſecis ſunt deductæ,ſicut illę ſunt,quas retuliſti modo,quę etiam mihi ſummopere placent. Vnde libenter audiuiſſem te & de alijs ſenum,adoleſcentumque moribus differentem, eorumque cauſſas ex propoſito principio deducentem. At quando id tibi præter inſtitutum videtur fore,ſaltem hoc ne te pigeat præſtare,quod opto. Doceas quamobrem fiat,vt ſenes loquaces ſint,vt ait Ariſtoteles;neque enim ceſſant ea narrare,quę ſuperiori tempore geſta ſunt; Quod Horatius referens in Arte Poetica, inquit de ſene loquens.

--- Laudator temporis acti
Se puero ---

Ariſtoteles quidem inquit id ea de cauſſa accidere,quoniam ſenes ex recordatione præteritorum voluptatem capiunt. At non minus obſcurum videtur,quamobrem ſenes ex præteritorum recordatione voluptatem capiãt. Potius enim dolorem atque triſtitiam afferre illis deberet huiuſmodi recordatio;propterea quod ſenibus ea fere omnia diſplicent,quæ in iuuenili ætate placere ſolebant; argumento eſt,eos contrariis moribus,& perturbationibus eſſe præditos. non enim amplius delectantur illis, quibus antea gaudebant. non ergo laudatores anteacti temporis eſſe deberent,ſed potius vituperatores. INGEN. Non videris ò Prouide ſatis rectè percipere Ariſtotelis, ſicut neque Horatii ſententiam. Cum enim dicunt ſenem laudatorem eſſe præteritorum,non intelligunt præteritarum ſuarum actionum,aut morum,ſed præteritorum euentuum,omniumque aliorum, quæ ipſis ſenibus ſunt extrinſeca, cuiuſmodi ſunt actiones, & mores cæterorum hominum. Semper enim ſenes putant anteacta tempora, & opera hominum aliorum meliora fuiſſe præſentibus. PROVID. Eſto. Ita intellexerint. Quænam erit cauſſa cur ſenes ita ſentiant? INGEN. Ea eſt euidentiſſima. Mores enim hominum ſemper videntur in deterius labi, iuxta illud Sannazari in Arcadia.

O pura fede, ò dolce vſanza vetera
Hor conoſco ben io, che'l mondo inſtabile
Tanto peggiora più, quanto più inuetera.

SITIC. Hæc Sannazati Auctoritas nihil aliud poteſt indicare,niſi ita videri ſenibus, mundum ſcilicet, perpetuo reddi deteriorem: propterea quod ille,qui hanc ſententiam profert, Opicus eſt,plenus annorum,vt patet ex principio illius odes,quæ ita incipit.

Quan-

Quantunque Opico mio ſy vecchio, & carico
Di ſenno, & di penſier, che'n te ſi couano, &c.

At, quod reuera mundus in deterius labatur, haud colligitur ex Sannazaro. Et, vt ingenuè fatear, ridicula videtur mihi hæc ſententia, de mundi collapſu. Si enim per mundum intelligatur naturalis rerum circuitus, conſtat hunc ſemper eodem modo reuerti, immortalibus exiſtentibus illius cauſſis, vt patet. Si vero de moribus intelligatur hominum, vereor, ne ſi hiſtoriis velimus inſiſtere, cõtrarium penitus appareat. Multa enim ſcimus in Italia noſtra commiſſa fuiſſe ſcelera, ſuperioribus annis, quæ hodie non patrantur. Scimus integras ciuitates, & oppida leuiſſimis de cauſſis æquatas fuiſſe ſolo, cunctoſque incolas extinctos penitus, ita vt neque ętatis, neque ſexus vlla ratio ſit habita, ſed cuncta ſint perdita. Nos his temporibus dulci fruimur otio, & pace. Cumque non deſint ſenes, qui illarum calamitatum recordentur, nullus tamen eorum non anteacti temporis laudator extitit. INGEN. Afferas ergo tu rationem aliam noſtri problematis, quæ tibi magis ſatisfaciat. SITIC. Iam allata eſt antea ratio hæc, qua probatur eiſdē exiſtentibus temporibus ſenes tamen putare anteacta meliora fuiſſe; Eſt autem hęc. Homines dum in iuuenili ætate ſunt conſtituti, quia dulci, amicoque abundant ſanguine, & ſpiritu, eoque affluunt facultates omnes internæ, ideo hæc externa omnia recipiunt tanquam amica, atque iucunda, ob ante traditam rationem. Poſtquam vero ad ſenectutem peruenerunt, factiq; ſunt indigentes, & egeni ſpirituum, & ex conſequenti triſtes, & melancholici, cum propter dictam inopiam, tum ob abundantiam noxiorum excrementorum, tunc omnia recipiunt vt aduerſa, & inimica. Euenit ergo, vt multa ex illis, quæ in iuuenili ætate placebant, in ſenectute diſpliceant. Cumque tota huius varietatis cauſſa in mutatione interna conſiſtat, illi hanc ad externa transferentes, arbitrantur à rebus ipſis pendere. Quamobrē euenit, vt nulla in rebus ipſis differentia conſiſtente, homines ab interna mutatione decepti, exiſtiment præteritos rerum euentus meliores extitiſſē præſentibus. Hæc ipſa ratio eſt propter quam ſenes ſunt laudatores temporis acti. Non enim ſemper anteactum tempus eſt melius, ſed quia nos in iuuentute recipimus externas res vt iucundiores, quam in ſenectute cõtingat, ideo ſenibus meliora videntur tempora præterita. TVTVS. Aliàs audiui hunc Perſonam rectè de naturali morum cauſſa diſſeruiſſe; ſed audiueram etiam librum illum à nonnullis ex noſtratibus Medicis reprehēdi. SITIC. Scio quinam ille ſit, qui tam pulchram doctrinam damnet, nec latet Perſonam ipſum.

TVTVS. Vide ne decipiaris. SITIC. Aurem accomoda, & ſubmiſſa voce dicam. TVTVS. Rectè iudicaſti. SITIC. Quis non illum eſſe exiſtimaſſet? Vir indoctus, inuidus, malignus, quique eiſdem verbis, & factis delectatur, quæ nomini ſunt congrua. Hunc, & omnes eiuſdem farinæ homines Perſona Paruipendit.

ODYS-

ODYSSEÆ

Decimonono, verſu XIII.

Statim autem animæ procerũ mortuorũ peruenerunt in herboſum pratũ
Vbi habitant animæ ſimulachra defeſſorum.

Quamobrem Homerus animas mortuorum appellauerit ſimulachra defeſſorum. Et agitur accuratè de modo, quo Potentia eſſe dicuntur in Anima ſeiuncta.

COLLOQVIVM LXIX.

ANONYMVS.

SCIRE multoties optaui, Viri Doctiſſimi, quamobrem Homerus animas mortuorum uocet ſimulachra, ſeu imagines defeſſorum. εἴδωλα καμόντων, ſic enim loqui conſueuit. Ecquid enim (dicebam) habent animæ, ut defeſſos homines videantur imitari? Et tamen Homerus nunquam loquitur ſine ratione. Tandem vero viſus mihi ſum hanc adinueniſſe rationem.

TVTVS. Videris mihi, Anonyme, circa ea laborare, quæ omnibus ſunt obuia. Homerus enim nil aliud uoluit his verbis indicare, niſi animas eſſe ſimulachra mortuorum; quod veriſſimum eſt, & à nobis in ſuperioribus colloquiis receptum. Quod autem ſit hæc germana Homeri interpretatio confirmat Arnoldus Arlenius, qui dictionem καμόντες ait ſignificare mortuos apud Homerum. Quare εἴδωλα καμόντων vertit mortuorum ſpectra. Quam expoſitionem & Henr. Steph. comprobat in Theſſauro. ANONYM. Ego vero non ignorabam, Tute Doctiſſime, Homerum per εἴδωλα καμόντων intellexiſſe ſimulachra mortuorum hominum, id enim eſt vnicuique euidentiſſimum; ſed profundius rem conſiderans inueſtigabam, quamobrem non ſatis fuerit Homero vocare animas ſimulachra mortuorum ſimpliciter, εἴδωλα θανόντων εἴδωλα νεκρῶν, ſed addidit καμόντων, ideſt defeſſorum. Conſtat enim dictionem τὸ καμὸν idẽ apud Græcos ſignificare, quod apud nos defatigatum, defeſſum. Eſt enim participium Aoriſti ſecundi à themate κάμνω, quod eſt laboro, defatigor. Quare Homerus per εἴδωλα καμόντων intellexit abſque dubio ſimulachra defeſſorum hominum. Atque hoc ipſum confirmat & auctoritas interpretis noſtri, qui ſemper vertit εἴδωλα καμόντων ſimulachra defeſſorum. Ego itaque dicebam me excogitaſſe rationem huius loquendi modi, & aio vere dici ſeiunctas animas eſſe ſimulachra defeſſorum hominum ſi phyſicè loquamur.

TV-

TVTVS. Sanè non debebam tuum retardare ſermonem Anonyme, at obſcro ne meam imprudentiam ſpectes, immo rogo te, vt quam primum hanc tuam rationem afferas, vt id ego quoque intelligam. ANON. Nemo vnquã iure te accuſabit imprudentię. At ego tibi morem geram libentiſſimè, afferens quid mihi in mentem venerit pro huius loci expoſitione. Arbitror verum eſſe, quod animæ ſeiunctæ non ſolum ſint imagines illorum hominum, quorum formæ fuerunt, eorundemque character quoddam ſecum ferre, vt alias dicebatur, verum etiam rectè illud dici arbitror animam Petri ſeparatam à corpore imaginem quandam eſſe Petri defeſſi, & defatigati. Colloq. 46

TVTVS. Hoc vehementer cupio intelligere, doctrina enim hæc noua penitus eſſe videtur. A N O N. Non poteſt eſſe noua, cum ſit antiquiſſimi Homeri. Dum tamen illam explicabo ſpero me nonnulla allaturum, quæ parum videntur eſſe cognita. In primis itaque illud apud omnes conſtat rem illam defeſſam vocari, quæ cum prædita ſit facultate aliqua operatrice, non poteſt tamẽ ſecundum eandem operari, aut difficulter id facit, propterea quod nimium operata eſt antea. Sic dicimus animalia defeſſa eſſe quando cum difficultate mouentur, eo quod nimium ſunt mota. Vnde patet plantas, & inanima omnia nunquam in ſuis operationibus defatigari, propterea quod quo diutius operantur naturaliter, eo validiores actiones edunt, ſemperque agunt ad vltimum potentiæ. TVTVS. Non ſatis intelligo quomodo inanimatorum corporum actiones, atque plantarum inualidiores euadant, quo ſunt diuturniores. ANON. Id eſt vnicuique euidentiſſimum. Grauia enim, & leuia velocius mouentur in fine, quam in medio, aut principio, operationes etiam animæ vegetatiuæ, quo magis prouehuntur circa idem obiectum, eo facilius fiunt. Si enim de concoctione loquamur, ſeu nutritione, hæc cum per alimenti tranſmutationem celebretur, quod prius contrarium erat, deſinat autem quando ſimile factum eſt nutrito, manifeſtiſſimum eſt illam in fine eſſe tanto faciliorem, quam in principio ſit, aut medio; quanto facilius eſt agere in ſymbolum, quam in diſſymbolum. Idem quoque & de attractione retentione, & expulſione dicendum eſſe reperiet, qui diligẽter rem conſiderauerit. Quare ſtatuendum videtur, ſolam animalem facultatem eſſe defatigationi ſubiectam, precipuè verò motricem. TVTVS. Cur hanc motricem præcipuè nominas? nõne & ſenſitiuæ facultates omnes cum internæ, tum externę defatigantur aliquando. A N O N. Dixi motricem potentiam præcipuè delaſſari, non quod putem ſenſus ipſos nõ delaſſari, ſed quia de hoc magna exiſtit apud Philoſophos controuerſia: alijs id affirmantibus, negantibus alijs. Quia tamen omnes conſentiunt motricem defatigari, ideo ſatis mihi fuit illam nominaſſe. T V. Ne queſo te pigeat dicere, quid de hac controuerſia dicendum ſit ANON. Obſecro ne me ad id faciendum cogas. Pendet enim hec cognitio ex illius queſtionis reſolutione, an ſenſus in ſentiendo aliquid agant, an autem tantum patiantur. Qui enim eos agere dicunt, ſtatuunt & eoſdem defatigari; qui vero eos dicunt tantum pati, illud negãt. At nimis longum eſſet hoc colloquium, citiuſque ſuperuenirẽt tenebræ, quam illa quæſtio eſſet à nobis diſſoluta TVT. Saltem afferas, quid tu de hac difficultate ſentias.

ANON. Ego quia ſenſus omnes in ſentiendo aliquid agere cenſeo, puto etiam eoſdem ex longis ſenſationibus defeſſos reddi. Videturque mihi hoc ipſum frequenter experientia comprobari. Multi enim ex longiori ſuauium alioqui concentuum auſcultatione auditum defeſſum habent; alij ex diuturno rerum iucundarum aſpectu dicunt ſe viſum defeſſum habere. Vide & Petrarcha.

Cap. 2. Triumphi Am.

Stanco gia di mirar, non ſatio ancora
Hor quinci, hor quindi mi volgea guardando
Coſe, che à ricordarle è breue l'hora

Idem quoque puto, & alijs ſenſibus euenire. At illud ſupponamus motricem facultatē abſque dubio delaſſari, videamuſque melius in quo conſiſtat ipſa defatigatio. Hoc enim videre oportet, vt cognoſcamus, quomodo animæ mortuorum ſint ſimulachra defeſſorum. Dicebamus ergo in defatigatione reperiri in primis imbecillitatem quandam, per quam facultas nō poteſt libere, neque facile operari. Addo nunc facultatum imbecillitatem duplicem eſſe, vnam in eſſentia, alterā in inſtrumentis. Et hęc eſt defatigatio. TVTVS. Non intelligo ANON. Audias ergo. Subſtantia, & eſſentia facultatum omnium animæ (excepto intellectu, & voluntate) conſiſtit in ſubſtantiali temperamēto partium nonnullarum corporis; ſuſcipitque ipſa facultatis eſſentia magis, & minus, iuxta illius temperamenti varietatem; eſt enim qualitas quædam ipſa facultas. Hęc omnia videbis optime explicata à Ioanne Baptiſta Perſona in commentario ſuo in librum. Quod animi mores corporis temperiem ſequantur. Quanquam autem facultates omnes ita ſint in temperamento demerſæ, nonnullæ tamen nihil operari poſſunt ſine auxilio inſtrumentorum quorundam ſeparatorum: quæ inſtrumenta ſpiritus ſunt, animalis. ſ. vitalis, & ſecundum nonnullos naturalis. Qui ſpiritus ita ſunt ad actiones facultatum neceſſarij, vt ipſis deficientibus illæ nihil agant, quantumuis robuſtæ exiſtant in ſubſtantia. Illam ergo ego appello debilem facultatem in eſſentia, cuius ſubſtantiale temperamentum, in quo reſidet, non eſt ad facultatis ipſius naturam rectè accomodatum. Debilem vero in inſtrumentis voco, quæ non fruitur ſpirituum copia, eſſentiali robori ipſius congruente. Sic imperfectus pictor eſt, in eſſentia, qui parum callet pictoriam artem. Hic. n. malè pinget, etiam ſuppetētibus illi bene temperatis coloribus, & penicillis. Debilis vero pictor in inſtrumētis erit, qui cum optime pingendi artem noſcat caret tamen inſtrumentis ad id accomodatis. Malè ergo & hic pinget, vt & ſuperior, cum hac tamē differentia, quod ille ſibi ſatisfecit, atque complacuit, in illa ſua qualicunque pictura, ob defectum artis. Hic vero dolet, atque triſtatur, ſciens ſe potuiſſe melius operari, ſi modo non defuiſſent ei accomodata inſtrumēta. TVT. Pulcherrimum exemplum. Sed quid hoc ad rem noſtram? ANON. Vt oſtenderem, quæ nā facultatis imbecillitas ſit propriè defatigatio. Eſt. n. illa tantum, quæ oritur ab inſtrumentorū, ſeu ſpirituum defectu. Dicitur enim ille defatigatus, qui cum aptus ſit ex ſui natura ad validius operandū non poteſt tamen id pręſtare. Hic autem eſt, qui cum facultatem operatricem validam obtineat in eſſentia laborat tamen ſpirituum inopia. At debilitas eſſentiæ propriè non

Pag. 18. 91 110

eſt de-

eſt defatigatio, ſed ſimpliciter debilitas. TVTVS. Mihi vtraque imbecillitas videtur apellanda defatigatio. ANON. Erras ô Tute. Ecce exemplo id doceo. Sint duo viri, vnus natura robuſtus, ita vt ferre poſſit onus vt 4, alter vero ferre nõ poſſit pluſquam 2. Hic non ideo defatigatus dicetur quia ferre non valeat 4, eſt.n. pondus hoc ſuæ facultati improportionatum. Si tamẽ ferat duo, id ſatis erit ſuæ naturæ, & ſecundum proportionem illius validus nuncupabitur. Sic & rudis pictor recte rẽ pinxiſſe putabit, & rectè etiã dicetur, ſi iuxta peritiam ſuam pinxerit; quamuis pictura ſit imperfectior, quam alterius excellentioris artificis. At, ſi robuſtus ille prior, ob laborem ſpiritum diſſoluente ita factus ſit debilis, vt non amplius ferre poſſit quatuor, ſed tantum tria, hic verè defeſſus erit, & iure queretur de impotentia; non ſecus ac peritus pictor male pingens ob inopia inſtrumentorum. Nonne tu quoque ita cenſes Tute? TVTVS. Ita prorſus. ANON. Et tamen facultas eſt in hoc robuſtior in eſſentia, ſiue in fundamento, quàm ſit in altero. Non.n. temperamentũ ſubſtantiale tam cito mutatur, vt per vnius horæ laborẽ poſſit alterari. At dicitur hic homo defeſſus, quia conſumptis ſpiritibus non amplius operari poteſt iuxta vigorem, & tonum conuenientem fundamento, ſiue eſſentiæ ſuæ facultatis. At ille alter, & ſi debiliorem obtineat ſuæ facultatis ſubſtãtiam, quia tamẽ iuxta illius robur agit, (eo quod ſpiritus non deficiunt) ideo defeſſus non dicitur. Conſtat ergo defatigationem nil aliud eſſe, quam imbecillitatem facultatis ex ſolo defectu ſpiritũ orientem, per quem ipſa facultas non poteſt operari iuxta tonum ſibi congruum. INCLVS. Mihi arridet ſummopere hęc doctrina. Iam ſatis conſtat, quæ facultates defatigari poſſint, & quæ non. Solę enim illæ potentiæ, quæ ſpiritibus vtuntur laſſitudini ſunt ſubiectæ, reliquæ non. Ideo intellectus, & voluntas cum ſint facultates à materia ſeiunctæ, non poterunt defatigari. Nonne? ANON. Prorſus.

TVTVS. Et tamen nos ſæpè delaſſamur diſcurrendo, philoſophando, diſputando. Apparet ergo & intellectum defatigari. ANON. Illa defatigatio non eſt intellectus, ſed phantaſiæ, aliorumque ſenſuum communium, qui operante intellectu, ipſi quoq; neceſſario operantur defatigantur autem hi ſenſus quia ſpiritibus vtuntur animalibus, vt conſtat apud Galenum. *7. de Plac. cap. 4.* TVTVS. Acquieſco.

ANON. Inanima etiam omnia, vt grauia, & leuia non defatigantur, quia ſpiritu non vtuntur ad agendum. Sic neque plantæ, neque vegetatrix facultas, quam medici naturalem vocant, vlli eſt defatigationi ſubiecta, quia ſpiritu non vtitur, quicquid illi dicant, qui ſpiritum naturalem introducunt. *Fernel. De ſpiritu & innato calido.* Immo etiam ſi ſpiritu illo indigeat, ad agendum, non tamen defatigaretur ex operationibus. Hæc enim facultas, quo diutius operaretur ſiue concoquendo, ſiue noxia expellendo, ſiue amica trahendo, ſiue retinendo eo magis ſpiritus ille naturalis augeretur, & melior fieret, vt conſiderantibus patet.

INCLVS. Optimè ſanè. Tu mihi admodum places Anonyme. ANON. Superſunt. ergo duæ facultates, quæ cum ſpiritu euidenter vtantur, ideo & omnium conſenſu defatigantur cum quidem ex diutur-

nioribus actionibus, tum etiam & ob alias cauſſas ſpiritum diſſipantes. Sunt autem hæ animalis, atque vitalis pulſifica. Quamuis hæc fortaſſe non ſit illi delaſſationi ſubiecta, quæ propriè defatigatio dicitur, prouenitque à diuturnitate operationum. Videmus enim per totam vitam pulſum agi, & nunquam intermittere. Quia tamen per alias cauſſas poſſunt vitales ſpiritus conſumi, manente integra facultatis eſſentia, ideo negandum non videtur & hanc facultatem defatigari poſſe. At animalis potentia vtroque modo fit defeſſa; cum quidem ex longa operatione, vt conſtat, tum etiam ob alias cauſſas ſpiritum diſſipantes, vt patet cum quis ieiunauit, aut ſanguinis fluxum e naribus paſſus eſt, aut aliquid aliud tale. Solent enim homines per haſce cauſſas non minus reddi ad labores, & motum inepti, quàm propter nimium motum. Quid ergo ſit propriè defatigatio, ad quas pertineat facultates, & quamnam cauſſam conſequatur hactenus dictum eſt, & explicatum. Nunc videamus quam rectè dicatur ab Homero animas mortuorum eſſe ſimulachra defeſſorum; Id ergo mea quidem ſententia rectè dicitur. Quod enim ſimulachrum eſt alicuius, non quidem illud eſt propriè, ſed tale videtur tantummodo. Vt ſimulachrum Socratis non quidem eſt ipſe Socrates, ſed Socrati tantum aſſimilatur. Sic ego quoque dico animas mortuorum non quidem propriè defeſſas eſſe, ſed tantum imitari defeſſa animalia, illiſque eſſe in aliquibus ſimiles. Quod enim propriè defatigatæ non ſint patet, quia ſunt omnino à corpore ſeiunctæ, nulliſque vtuntur ſpiritibus ad operandum, ex quorum defectu originem habet defatigatio. Et præterea idem probatur quia operationes, quæ competũt animæ ſæparatæ, ſunt tantum intelligere, & velle vt ſupra patuit. Hæ vero ſicuti non defatigabantur in compoſito, multo minus id eueniet in anima ſeiuncta. Tertiò probari poteſt argumento deducto ab eiuſdem animæ immobili ſtatu. Cum enim ipſa ſit incorruptibilis penitus, nullius etiam erit capax alterationis corruptiuæ, cuiuſmodi eſt defatigatio. Eſt enim hæc via ad corruptionem.

TVTVS. Iam ego quoque probaſſem Anonyme, animam ſeiunctam nõ propriè defatigari. Eſt enim id euidentiſſimum. Attamen non adeo facilem probationem habet membrum alterum, nempe animam ſeiunctam ſimilem eſſe defeſſo animali cuipiam. Quomodo enim id contingat, ſi nulla alia in anima operatio remanet, præter dictas duas?

ANON. Ideo anima ſeparata ſimulachrum dicitur defeſſorum hominum, quia exercere non poteſt animales operationes, motum inquam, & ſenſum.

TVTVS. Non videtur id dici poſſe. Animal enim, quod propriè defeſſum dicitur ſecundum animalem facultatem, actum primum eiuſdem facultatis poſſidet, difficulter verò exit in actum ſecundum operando, vt antea dicebatur. Quare nihil dicetur imitari res defeſſas, niſi quodammodo ſentiẽdi facultatem obtineat, illius verò operationẽ edere haud valeat. At anima ſeiuncta omnino expers eſt animalis facultatis. Non ergo rectè dicetur homines defeſſos imitari, quia ſenſu careat, & motu.

ANON.

ANON. Erras Tute. Nam rationalis anima etiam ſi ſit à corpore ſeiuncta,
atque libera,prædita tamen quodammodo eſt facultatibus omnibus, quas
& in corpore poſſidebat. TVTVS. At quomodo illud aſſeuerabimus,ſi
nullas alias habet anima operationes præter eas, quæ ſunt intellectus, &
voluntatis? Si facultates omnes poſſidet ſeparata,quas & habebat in cor-
pore,quomodo earum actionibus priuabitur. Nonne fruſtra eſt illa poten-
tia,quę non reducitur ad actum? ANON.Scias Tute,cum dicitur anima ſe-
parata hanc vel illam in ſe continere facultatem dupliciter id poſſe intel-
ligi,vel enim illam in ſe habet anima vt ſubiectum, vel vt principium tan
tum. Si primo modo anima ſeparatam continet facultatem aliquam,etiam
ſecundum illam operabitur:at ſi ſecundo modo tantum,nequaquam. Quā- D.Th.p.p.
do ergo dixi animam ſeparatam in ſe omnes illas habere facultates,quas q.77.art.
& habebat in compoſito, id ego ita intelligendum volui, vt illas contine- 8.
ret vt principium,à quo pullulant,non vt ſubiectum. Et propterea addidi
dictionem (quodammodo.) Neque fruſtra ſunt illæ potentiæ in anima ſe-
parata,vt in ſuo principio;quia etſi in actum modo non exeunt,exibunt ta-
men aliquando, & hoc eſt ſatis. INCLVS. Immo hoc ipſum quoque vi-
detur non infirmum argumentum ad reſurrectionem corporum compro-
bandam. ANON. Mihi quoque ita videtur. TVTVS. Non ſatis mihi vi-
deor illam diſtinctionem intelligere ſubiecti,atque principij. ANON. Fa-
ciam libenter. Illud ergo dicitur facultatem continere vt ſubiectum, quod
illam habet perfectè in actu primo, & completo,eſtque ſecundum illam,
quantum ex ſe eſt in potentia accidentali ad agendum. Sic ignis eſt ſubie-
ctum caloris, aqua frigoris, animal ſenſus,& motus,anima denique ipſa
rationalis intellectus,& uoluntatis.Hæc enim omnia ſunt in potentia acci-
dentali ad operandum ſecundum dictas ſuas facultates. Ignis enim eſt qui D. Tho.p.
calefacit,non calor ipſe,animal, & homo ſentit, & mouetur ſecundum lo- p. q. 77.
cum,anima etiam ipſa intelligit,ac vult.At vero illud dicitur vt principiū ar.5.Ari-
habere in ſe facultatem,quod eſt prima radix,& origo, primumque funda ſtot. de ſo.
mentum à quo ipſa facultas manat,& profluit. Hoc modo quælibet forma & vig.
materialis eſt principium potentiarum omnium,quibus præditum eſt com
poſitum,& anima ipſa rationalis ſic eſt principium omnium,quæ in homi
ne erant potentiarum: ex ipſa enim illæ fluunt tanquam ex radice, homo-
que ipſe,ſeu compoſitum,quod eſt earum ſubiectum illas animæ acceptas
refert, tanquam primæ earum origini. Intelligis ne?

TVTVS. Satis quidem mihi videor intelligere ea quæ dicis, at in
illis non ſatis acquieſco. Non enim video qua ratione compoſitum ſit ſu-
biectum facultatum, illiſque vtatur ad operandum, forma vero quæ ſola
non agit,ſit tamen earundem potentiarum principium. Si enim anima ſe-
parata nullas habet operationes ſenſitiuæ,aut motricis facultatis, quid,bo
ne Deus,te mouet, vt ſtatuas eaſdem potentias, & vires eſſe vllo modo in
anima? ANON. Ea ratio me mouet, quoniam potētiæ compoſitorum cum
ſint eorum proprietates, & accidentia, ab ipſis prout ſunt actu promanan-
tia,ideo requirunt, vt ipſa compoſita habeant eſſe completum, atque per-
fectum. Accidentia enim,& proprietates rerum, ſupponunt ſubiectum in

actu. Si ergo actualitas compoſiti cauſſat actualitatem accidentium illorum,ſ. potentiarum,ergo dicendum erit; eadem accidentia primò, cauſſari ab eo,quod eſt cauſſa actualitatis ipſius compoſiti. Quod enim eſt cauſſa cauſſæ,erit etiam cauſſa cauſſati. Tale autem eſt forma ipſius compoſiti. Cum enim compoſitum conſtet ex materia, & forma tantum, materia vero ſit ens in potentia, nec poſſit dare eſſe actu ipſi compoſito, relinquitur, vt id habeat compoſitum à forma. Forma itaque illa eſt, quæ facit compoſitum eſſe actu. Quare actualitas formæ eſt cauſſa actualitatis compoſiti; & actualitas compoſiti, eſt cauſſa actualitatis accidentium, & potentiarum omnium. Quare à primo ad vltimum ſequitur formam ſubſtantialem primum eſſe principium, à quo potentiæ ipſæ omnes tam in animalibus, quam in plantis,& inanimis pullulant,& oriuntur.

D.Tho p. p. q. 77. art. 6.

TVTVS. Iam cuncta intelligo. ANON. Cum itaque anima rationalis ſit forma hominis, non ſolum dicetur eſſe ſubiectum intellectus, & voluntatis, verum etiam erit principium aliarum omnium potentiarum, vt ſentiendi,atque mouendi. Quare & cum ſeparata fuerit eaſdem in ſe continebit,non quidem vt ſubiectum,ſed vt principium,& radix.

TVTVS. Optimè. ANON. Vt ergo ad rem noſtram redeamus,dico, quod cum ſenſus,& motus potentia non ſit in anima ſeparata vt in ſubiecto, ſed tantum vt in principio, ideo dici non poteſt,quod ſit propriè defeſſa, etiam ſi tales operationes exercere haud poſſit; non enim eſt in actu primo completo earum facultatum,ſed tantum in incompleto. At quod propriè eſt defeſſum habet actum primum completum facultatis. Quia tamen quodammodo illas facultates continet, nempe vt principium, nullo modo operatur, ideo quodammodo videtur eſſe defeſſa;& ideo rectè dicitur ab Homero eſſe ſimulachrum defeſſorum. TVTVS. Quis credidiſſet ſub hac Homerica phraſi tot arcana, totque myſteria contineri? Ego ſanè nunquam alias (ingenuè fateor) audiui ſeparatam animam vllo modo habere in ſe corporeas potentias, Ecce id modo didici habere animam illas vt principium,quod tamen neceſſe fuit & Homerum cognouiſſe, tuncque poetice explicaſſe, cum mortuorum animas dicebat defeſſorum eſſe ſimulachra.

ODYS-

ODYSSEÆ
Decimonono, verſu XXIX.

Parca pernicioſa, quam nullus fugit, quicunque natus eſt.

Accuratè traditur cauſſa illa naturalis, ob quam neceſſarius eſt mortis aduentus.

COLLOQVIVM LXX.

PRINCEPS.

OPTASSEM ò Amici vt Homerus aſſerens Parcam nemini parcere, mortemque nullo modo poſſe à nobis euitari, cauſſam quoque monſtraſſet cur ita contingat. Adhuc enim ſub iudice lis eſt de huiuſmodi cauſſa, ita vt non omnino ſtultus videatur, qui nō deſperet artem aliquam adinueniri poſſe, quæ vitam homini reddat ſempiternam. PROVID. Stultiſſimus ille mihi ſit, ò Princeps, qui rem omnino ineuitabilem ulla ſperet arte uitare. PRINC. Tu ne ille es, ò Prouide, qui ratione euidenti poſſit monſtrare mortem omnibus nobis ex neceſſitate aduenire?

PROVID. Pro mille rationibus, apud me ſunt ſacræ auctoritates, omni ratione potiores, quibus apertum fit neceſſarium eſſe omnibus nobis mortis aduentum. Ioſue moriturus ait. En ego ingredior vitam vniuerſæ terræ. Et alibi. Breues dies hominis ſunt, conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Et in Pſalmis. Quis eſt homo qui uiuet, & non videbit mortem? Non habet homo poteſtatem in die mortis, inquit Eccleſiaſtes. Immo viuentes ſciunt ſe morituros, eiuſdem Eccleſiaſtis auctoritate. Quid ego Sacras omnes auctoritates commemorem, aut prophanas, cum id ſit euidentiſſimum ſemel calcandam eſſe viam lethi? PRINC. Hæc, mi prouide, tantum probant certitudinem mortis, illiuſque neceſſarium aduē-tum. At nos quærimus rationem oſtendentem à priori cur nemo mortem fugiat, Parcaque nemini parcat. ANON. Ecce ego illam tibi do ò Princeps, ex Ariſtotele deſumptam. Quicquid ortum habet, id & interibit aliquando. Hæc propoſitio eſt Ariſtotelis. At omne animal oritur, ergo & interibit. Quid ad hanc rationem dices? PRINC. Dicam Galenum, qui optimus Peripateticus fuit, hanc rationem accurate ponderaſſe, illumque poſt longam conſiderationem enunciaſſe rationem hanc non eſſe neceſſariā, ſed probabilem tantum. Vis ne afferam eius verba? ANON. Amabo.

Ioſ. 31. *Iob 14.* *Pſal. 89.* *Cap 8.* *Cap. 9.* *1. Cœli.*

PRINC. Ille ergo in libro de Marcore hæc habet. Illud enim, corrūpetur omnino, quodcūque genitum eſt, nec eam, quæ ſcientiam efficit, con ſecutionem habet, nec neceſſariam, ſed quæ vſque ad id, quod probabile *Cap. 2.*

Digitized by Google

eſt procedit, quemadmodum in commentarijs de Demonſtratione nobis demonſtratum eſt. ANON. Attulit ne Galenus rationem vllam, quæ tibi ſatisfaciat? PRINC. Nullam. Immo liberè fatetur mortis neceſſitatem ratione aliqua cognoſci à nobis non poſſe, ſed experientia tantum, ſic.n.parũ infra ait. Hactenus igitur ex experientia ſola ſenium neceſſarium eſt, ac ſecundum naturam, quemadmodum ſanè & ipſa mors: quæ nec ipſa demonſtrata eſt ab ijs, qui promptè enunciant, ac dicunt quicquid genitum eſt, id omnino etiam neceſſario interiturum. SITIC. Audias obſecro rationem aliam, ex eodem Ariſtotele depromptam, quæ fortaſſe tibi magis ſatisfaciet. Ea vero hæc eſt. Nulla potentia finita poteſt infinito tempore operari. Omnis humana vis eſt finita. Ergo. Neſcio quid ad hoc argumentum reſponderi poſſit. PRINC. Duo ego reſpondeo. Primùm quidem maiorem illam ita eſſe intelligendam, vt ab aliquo infinito vis illa finita non conſeruetur: alioquin falſa eſſet propoſitio, vt patet. At diceret quis uim humanã alicuius indiuidui, puta Petri poſſe ab arte aliqua, infinite durante ſaltẽ in pluribus indiuiduis ſucceſſiuè, in eodem ſtatu conſeruari per infinitũ tempus. Non enim repugnat, quod ſi per hodiernam nutritionem ſit in Petro illud omnino reſarcitum, quod externa die conſumptum fuit, idem etiam contingat & in craſtinum, & ſic deinceps in infinitum, ita vt nunquam Petrus corrumpatur. Dico ſecundo per hanc rationem oſtendi tantum ipſum quia, nempe omnem hominem aliquando interiturum, non tamen oſtendi propter quid, nempe quæ nam ſit cauſſa particularis huius neceſſarij interitus; quam tamen quærimus. INGEN. Hanc ego affero. Cum enim vita noſtra in calido, & humido conſiſtat, vt conſentiunt omnes, ea erit vnica omnigenito animanti corruptelæ, atque interitus connata neceſſitas, quod in dies ſicceſcat magis, reddaturque ætatis decurſu ſiccius, rugoſius, macilentius, tandemque inualidum atque deficiens, & hac ipſa via ad interitũ deducatur. Sicceſcente enim in dies animali, euenit ut calor illius innatus, qui in humido ſuo ſubſtantifico cõſeruatur in dies quoque langueſcat magis, donec conſumpto humore vniuerſo ipſe quoque calor ad extremã extinctionẽ deueniat, quæ ipſa mors eſt. Quare & illud recte Galenus addit, ſenium cum frigidum ſit & ſiccum viam eſſe ad interitum. Et Auerroes ait, hominem ſeneſcere via eſt ad corruptionem. PRINC. Ego quoque ita cenſeo Ingenioſe, continuam exiccationem animali mortem afferre ex neceſſitate. At hoc non ſufficit mihi ad quæſtionis reſolutionem, ſed vellem vltra monſtrari, quænam ſit illa cauſſa, à qua corpus in dies ſiccius, aridiuſque redditur, ad ſeniumque ipſum inceſſanter ducatur. INGEN. Calor noſter innatus ea eſt cauſſa, ò Princeps; Ille enim ſemper humidum, in quo fundatur depaſcens veluti flamma oleum, illud in dies minuit donec totum conſumat, ſicque ſe ipſum conficiat.

Gal. 2. de temp. 2.

PRINC. Equidem ſciebam hanc eſſe Hippocratis, Ariſtotelis, necnon & Auicennæ ſententiam de cauſſa noſtri neceſſarij interitus; at valde à Galeno improbatur huiuſmodi doctrina, validiſſimaque ratione ſubuertitur. INGEN. Afferas obſecro hanc rationem Galenicam.

PRINC. Afferam eius verba, vt tibi ſatisfaciam plenius. Ille ergo libro

bro de maraſmo ita ſcribit. Hęc ratio ab omnibus fermè recentioribus tum *Cap. 3.*
medicis, tum philoſophis probatur, quę tamen meo iudicio vera non eſt, vt quæ ignis flammam animalium calori comparet; haud ſane intelligens flammas ex corruptione eiuſdem materiæ, ex qua ſuccenduntur, ortum habere, animalia vero non ſic innatum ab eo, qui ea effinxit ſortita eſſe calorē, ſed vt ab illo augenda ac gubernanda: nec vllum dari tempus, quo innatus noſter calor per vniuerſam materiam ipſam non ſit extenſus; non eas ſolum facultates quibus fingit obtinens, ſed & pleraſque etiam alias: nam & nutrimentum ad ſe ipſum trahit, materiamque gubernat, apponit, agglutinat, aſſimilat, & omnia ſecus ac flamma in innatam ſibi materiam efficit. Nam, quæ vnquam flamma materiam, cui indita eſt, auget? quæ materiæ potius alimentum aſſimilat, quam ſibi ipſi materiam: quæ denique tot machinationes, vt materiam tueatur inuenit? Et parum infra. Haud igitur rectè cum igni aſſimilant, comparantque, ac corpora ab ipſo corrumpi putant. Hęc Galenus. Ex quibus videri poteſt, quam accomodata ratione monſtret calorem innatum non eſſe conſumptionis cauſſam, neque mortis.

INGEN. Pulcherrima ſane ratio. Sed quid reſpondet ad Hippocratem, qui ſtatuit calorem illum nos interficere, qui corpora produxit?

PRINC. Reſpondet bifariam. Primo negat librum illum eſſe Hippocratis. Deinde ſententiam explicat, dicens verum quidem eſſe ob calorem innatum corpora tum ſeneſcere, tum tandem corrumpi, falſum tamen eſſe modum, quem illi tradunt, neque enim ſicuti à flamma abſumuntur ligna, ita quoque à calore innato animantium corpora.

INGEN. Quinam ergo ille modus eſt, qui placet Galeno?

PRINC. Hoc illud eſt, quod ego ignoro. Et ideo hanc vobis materiam diſcutiendam propoſui.

HOSPES. Hunc ergo modum, quo ſecundum Galenum innatus calor corpora conſumit, ego aperiam tibi ò Princeps. Eſt autem ille, quem Valleſius affert, inquiens calorem innatum corpora conſumere, non quidem per ſe, ſed tantum per accidens. Scilicet calor innatus ſemper exiccat corpus, non per ſe abſumendo humidum, vt flamma oleum, ſed quod ſubſtantiam ſemper minus humidam reſtituat loco diſſolutæ. Quare cum perpetuo quod reparatur pro deperdita ſubſtantia ſit minus, atque deterius, neceſſe eſt tandem mori animal ob nimiam ſiccitatem. *6. Contr. cap. 1.*

PRINC. Sanè hæc Galeni doctrina videtur ſatis probabilis, & meo quidem iudicio admodum accedit ad veritatem. Attamen duo eſſent oſtendenda, quæ illa ſupponit. Vnum quidem quænam ſit illa cauſſa, quæ neceſſario corpus exiccat, abſque intermiſſione, quando hæc non eſt innatus calor, ſecundum Galenum; Alterum autem, an neceſſariò ita fiat, vt innatus calor, ſemper reſtituat minus humidam ſubſtantiam, quam fuerit diſſoluta. Hæc duo niſi monſtrentur, non video, quomodo ipſa quoque tua reſponſio difficultatem tollat. Ideo obſecro te, ut quid ipſe de hac re ſentias, in medium afferas. Spero enim te omnino mihi ſatisfacturum.

HOSPES. An ego ſatisfacturus tibi ſim, nec ne ignoro. Quod illa duo oſtendi neceſſe ſit ad huius difficultatis ſolutionem, rectiſſimè ſentis.

tis. Quæ quantam in ſe difficultatem contineant, arguit varietas opinionum, quæ in illis explicandis conſpicitur. Vt enim à priori exordiar, cum alij ſtatuant, calorem innatum illum eſſe, qui humidum ſubſtantificum, veluti flamma oleum depaſcitur, his aduerſatur Galenus, vt noſti. Sunt qui dicant id prouenire ab excrementis ſiccioribus, quæ neceſſario generantur in concoctionibus; At hæc ſententia conſiſtere non poteſt; nam non ſolum ſicca excrementa gignuntur in conctionibus, ſed etiam humida. Quare tantum hæc humectabunt, quantum illa valeant exiccare. Valleſius in libro de Sacra Philoſophia, adeo difficilem cenſuit huius cauſſæ indagationem, vt viſus fuerit hunc laborem ſubterfugere. Inquit enim. Humiditas naturalis continenter diſſipatur, alioqui non indigerent corpora alimento. Indigent autem alimento, & ſiccantur ſiue à ſuo ipſorum calore, ſiue ab externis cauſſis, maximeque ab aere, qui aut abſumit humorem calore ſuo, vt in æſtate, aut frigore exprimit humidum, cũ quo abit & humor, vt areſcunt arbores præ frigore in hyeme, & res omnes flante Borea ſiccantur. Vtcunque de hac quæſtione cenſeas, concedes ſiccari ſemper viuentium corpora, alimento uero fieri ne areſcant cito. Hæc Valleſius. Ex quibus patet illum vitato labore quærendi cauſſam exiccantem, in illud tantum incubuiſſe, ut oſtenderet quamobrem fiat, vt nullo modo humectari tantum corpus non poſſit, quantum antea fuerat exiccatum. Videtur tamẽ ibi totam exiccationis cauſſam in res externas referre, & potiſſimum in aerem. Qui ſiue calidior exiſtat, ſiue frigidior quam par ſit, videtur æquè corpus exiccare. At neque hæc videntur eſſe ſatis. Etenim nemo negauerit, aerem calidiorem poſſe arte aliqua refrigerari, & frigidiorem calidius reddi. Quare non videtur impoſſibile illum ita temperatum reddere, vt neque abſumat calefaciendo, neque humidum exprimat refrigerando. Eodem modo & in alijs cauſſis externis non apparet contradictio, cur ita temperatæ reddi non poſſint, vt corpus non abſumant. Et eo magis videtur ita dicendum, quando hæc ipſa quoque eſt Valleſij ſententia. Qui alibi de hac ipſa re verba faciens, ita ſcriptum reliquit. differens aduerſus Auicennam. Nam ea, quæ ex ambiente accidunt, & ex victu, & ut ſemel dicã ex omnibus rebus non naturalibus, videntur poſſe deuitari, & nulla neceſſitate contingere. Res enim non naturales non magis ſunt corrumpentes, quam conſeruantes, ſed modo conſeruant, modo corrumpunt pro ratione occaſionis. Poteſt enim (nam non videtur hoc repugnare) cõſtitui victus conſeruans, & poſſunt ex hypotheſi præſcindi omnes fortuitæ occaſiones illius permutandi. Hæc Valleſius. Quamobrem, vt vno verbo dicam, difficillima videtur illius cauſſæ inueſtigatio, quæ neceſſario, & perenniter corpus noſtrum exiccat, & humidum ipſum depopulatur.

PRINC. Eia quæſo quamprimum afferas quid ipſe pro veritate dicendum cenſeas. HOSPES. Cauſſa continuo corpus exiccans neceſſario eſt adeo euidens, vt mirari non deſinam neminem ex recentioribus illam ſatis obſeruaſſe, quamuis Hippocrates, & Ariſtoteles ſufficienter ipſam indicauerint. PRINC. Quænam hæc eſt?

HOSPES. Calor innatus.

PRINC.

PRINC. Quomodo calor innatus? iam exploſa eſt à Galeno hæc ſententia.

HOSPES. Non illum dico calorem, qui proprie calor innatus dicitur, qui ex implantato, & influente componitur, quique per vniuerſam materiam corporis extenſus eſt, eſtque primum, proximumque animæ inſtrumentum, quo vtitur ad operandum; ſed ſpiritum vitalem dico, genitum in corde (hunc enim & Galenus paſſim, & medici omnes quotidie calidum innatum vocant, licet non ita proprie) & in omnes corporis partes diffuſum; ſine quo pars ulla neque viuere, neque animales facultates ſuſcipere valet; quique materia eſt, & alimentum proximum proprie innati caloris, & ſpiritus; & quo euacuato ſtatim animal concidit, & ſenſu, vitaque priuatur. PRINC. Ne labores in oſtendendo quàm ſit uitalis hic ſpiritus neceſſarius animanti, eſt enim id vel euidentiſſimum vnicuique qui uel tantillum animalium naturam fuerit contemplatus. HOSPES. Hic ergo ſpiritus vitalis, adeo naturæ neceſſarius, vt calidum innatum meruerit nuncupari, ille eſt, qui humidum ſubſtantificum depaſcitur perpetuò, corpuſque noſtrum in dies aridius reddit. Eſt enim omnium noſtri corporis partium calidiſſimum, & ſine illo pars nulla ne tantillum quidem temporis valet perdurare. Cum itaque ſit calidiſſimum omnium, neceſſarióque cuilibet parti immiſceatur, efficitur ut illarum humiditatem ſuo calore contactuque continuò depaſcatur atque conſumat, in vapores illam reſoluens, qui tamen ipſi quoque ſpiritus fiunt ad vitam neceſſarijſſimi. Ad hæc accedit & impetus ille, quo idem ſpiritus à corde ad alias partes tranſmittitur, valde adiuuans humidi conſumptionem. Motus enim ille celer ſolet maiorem calorem in partibus excitare, & potiſſimũ vbi fuerit diuturnior. Videas ergo quam manifeſta ſit cauſſa huius noſtræ neceſſariæ exiccationis. PRINC. Obſtupeo, nec poſſum ſatis admirari hanc cauſſam adeo euidentem eſſe, neminem vero recentiorem illam obſeruaſſe. At mihi quæſo dubitatiunculam quandam auferas. Spiritus iſte vitalis, nonne calidior eſt corde ipſo? HOSPES. Etiam. PRINC. Quomodo ergo à corde gignitur frigidiori? HOSPES. Calorem adeo intenſum recipit à ſpiritu alio præexiſtente in corde. PRINC. At primus ſpiritus, qui in corde gignitur à principio generationis, à quonam ſuam caliditatem accipiet?

Gal. 5 de ſimpl. medic. fac. 9.

Auic. prima primi cap. de tēper.

HOSP. Hoc eſt euidentiſſimum. Spiritus, & calor matris id facit.

PRINCEPS. Iam omnis ſublata eſt controuerſia, quatenus ad primum membrum attinet. Si ita dilucide & alterum diſcuties, eris mihi magnus Apollo.

HOSP. Erat ſecundũ membrũ, an neceſſariò verum ſit calorem innatum ſemper reſtituere ſubſtantiam minus humidam, quam fuerit diſſoluta. Ad hoc etiam reſpondeo affirmatiuè. Vt autem tibi plenius ſatisfaciam volo nonnulla mutuari à Valleſio, tibique illius ſententiam enarrare. Ille ergo ſupponens hoc veriſſimum, perpetuo exiccari corpus, inquit, & recte, nutritionem fuiſſe ea de cauſſa à natura excogitatam, vt ex alimento repararetur id quod conſumptũ fuit, & intus perijt, alimentũ.n. à partibus corporis cõmutatur, & penitiſſime in partes alẽdas aſſumitur, diſtributũ, et affigitur.

De Sacra Phil. c. 6.

Itaque

Itaque alimento reficitur quoad eius fieri poteſt, id quod antea perijt intus per exiccationem. Hæc omnia ſunt veriſſima. Facit deinde hanc argumentationem. Si humectatio ab alimento accedens æqualis eſſe poteſt ſiccationi, quæ ab alijs cauſſis, obſtare vtique poterit, quominus ſicceur; ſi maior, facere etiam vt euadat humidius. ſi vero neceſſario eſt maior motus, quem ſubit corpus ab exiccante cauſſa, eo, quem ab humectante cibo, neceſſario ſiccabitur corpus ſemper, ac poſtremo morietur; alimentum vero tantummodo obſtabit ne tam citò. PRINC. Quid tibi videtur de hac argumentatione? non ne bona eſt? HOSP. Optima. Reſpondet poſtea neceſſarium eſſe tertium membrum, ſcilicet maiorē neceſſario motum eſſe exiccantis cauſſę, quam alimenti, & probat triplici ratione. Prima deſumitur ex natura eorū motuum. Exiccatio enim ex ſui natura validius imprimitur in animal, quam humectatio. Quare cæteris paribus ſemper maior erit conſumptio animalis, quam refectio. Conſequentia patet. Antecedens probatur experiētia. multo enim citius ſiccatur deciſum lignum, & homo cibo priuatus, quàm reficitur rigatum, & cibatus. Probat deinde & altera ratione intentū. Quia enim ſupponebat totam exiccationem procedere ab externis cauſſis, ſicut & humectationem ab alimento, oſtendebat ex diuerſitate hac cauſſarum exiccationem ſemper eſſe maiorem humectatione hunc in modū, ſuppoſita tamen æqualitate cauſſarum in vi, & robore agendi. Cauſſa agens in animal ſimpliciter alterando magis & citius alterat, quam agens gignēdo ſubſtantiam alteram. At cauſſa exiccans corpus noſtrum agit ſimpliciter alterando, humectans vero gignendo aliam ſubſtantiam. Ergo cæteris paribus maior, & velocior erit ſemper motus exiccationis animalis, quam humectationis. Minor eſt euidēs ex ſuppoſitione ſua, quod tota exiccatio procedet à cauſſis externis. Hæ enim ſimpliciter alterant. Sicut & illud patet alimentum humectare gignendo ſubſtātiam alteram. Maior vero probatur experientia. Facilius enim ſicces corpus admouens rapſiam, aut euphorbiū, quam iubens vti cibis aſſis; & milio, aut cruo: & humectes citius balneo aquæ, quam eſu lactis aut ptiſanæ. Tertia Valleſij ratio in hunc modum conſtruitur, ex eodem ſuppoſito. Motus, qui incipit ab eodem ipſo, quod mouetur non poteſt non eſſe tardior, quam qui ab ipſa mouente cauſſa incipit. Cauſſæ exiccantes corpus vi propria, & quà actu tales ſunt, ſiccant Humectans vero conficitur prius ab ipſo corpore viuentis, quod humectatur. Ergo ſemper maior erit exiccatio animalis, quàm humectatio eiuſdem, in paritate cauſſarum. Minor patet ex ſuppoſito, quod ſiccatio procedet ab externis. Externæ enim cauſſæ ferè omnes vi propria, & quia actu tales ſunt, ſiccant, vt aer. Et manifeſtum eſt alimentum non humectare corpus humiditate nàturali, niſi prius concoquatur. At maior probatur & ratione, & experientia. Cum enim id quod mouet principium mouendi expectat, & accipit ab eo ipſo, quod mouendum eſt, patet quod difficilior fit motus, & operoſior, quam ſi cauſſa mouens ex ſe ipſa ſtatim moueat. Patet experientia. Facilius enim corpora calefacies igne, quam tapſia. Quia tapſia nō poteſt vrere, niſi prius à re vrenda calefiat, ignis vero nihil aliude recipiēs ſtatim vrit. Hæ ſunt Valleſij rationes, quibus probat in paritate cauſſarum,

maiorem eſſe ſemper exiccationem animalis, quam ſit illius humectatio per nutritionem. PRINC. Quid tibi videtur de huiuſmodi rationibus? HOSP. Rectiſſimè omnes concludunt. Sed quia procedunt ex falſo fundamento, exiccationem ſcilicet procedere à ſolis externis cauſſis, (quod falſum eſſe ſupra monſtratum eſt) ideo nihil Valleſio inſeruiunt ad ſuum intentum comprobandum. At vero ſi ſupponamus humectationem à ſolo alimento fieri, vt recipiunt omnes, neceſſariam vero exiccationem partium à ſpiritu vitali ad illas à corde tranſmiſſo, vt dicimus nos, ſupraque monſtrauimus; iam his ipſis rationibus optimè oſtendemus maiorem ſemper eſſe exiccationis motum quem vitalis ſpiritus efficit in animal, quam ſit humectatio procedens à nutrimẽto. Concurrunt enim in illo ſpiritu omnia fundamenta illarum rationum, omneſque proprietates, ob quas Valleſius tribuebat cauſſis externis maiorem vim exiccandi, quam humectandi in nutrimento, omnes inquam concurrunt in ſpiritu vitali. Spiritus enim vitalis calidiſſimus cum ſit, & ſiccus admodum reſpectu humidi ſubſtãtifici, partes corporis exiccat, nutrimentum autem humectat. Ergo per primam rationem maior erit motus ipſius ſpiritus, quam nutrimenti. Deinde ſpiritus vitalis calidiſſimus exiſtẽs, & a corde veniens ad partes viuentes, illas alterat ſuo calore, & ſiccitate actuali, alterat inquam ſimplici alteratione, & primò; nutrimentum autem humectat gignendo ſubſtantiam alteram. Ergo per ſecundam rationem ſpiritus vitalis citius, facilius, magiſq; exiccabit partes corporis, quam nutrimentum humectet. Tertio ſpiritus iſte vitalis dum à corde ad cæteras partes demandatur, & per illas diſpergitur agit in illas quatenus eſt actu calidus & ſiccus, nec quicquam ab illis accipit vt in illas agat, ſed ſtatim calefacit, & ſiccat; alimentum vero nunquã humiditatem conſumptam reficiet, niſi prius à partibus ipſis reficiendis concoquatur, & principium accipiat mouendi. Ergo per tertiam rationem nunquam tantum poterit alimentum humectare, quantum ſpiritus vitalis conſumpſit exiccando. PRINC. Video probabilitatem argumentationis huius, & mihi ſane ſummopere probatur hæc ſententia. Sed vt liberè dicã nondum videtur diſſolutus difficultatis nodus. Quæ enim hactenus à te dicta ſunt, veriſſima ſunt ſi conferantur æquales mouendi cauſſę: ſi vero conferantur inæquales aliter poteſt euenire. Nam magis caleſcet corpus affricata tapſia, quàm ſi moretur in tepente Sole: & humectabitur magis multo eſu recentium vuarum, lactis, piſcium, & lactucæ, quàm modica lotione. Nimirũ ſi conferũtur magnæ cauſſæ cum exiguis, in quo caſu propoſitum non probant allata argumenta; ſed tantum ſi conferantur æquales. Oſtendendum igitur erat non poſſe cibum vllum tanto potentem eſſe in humectando, quàm ſpiritus vitalis in exiccando, ita vt motus alimenti nullo modo poſſit motui ſpiritus adęquari. At hoc oſtenſum non eſt: ſed tantummodo illud, quod cæteris paribus plus ſpiritus exiccat, quam alimentum humectet. At dicam ego poſſe nos alimentis adeo humidis vti, quæ omnino humectent tantum, quantum vitalis ſpiritus exiccauit. HOSP. Sane tua hęc oppoſitio realis eſt, & optimis nititur fundamentis: illamque Valleſius vidit atque ſoluit, & mea quidem ſententia rectè: Cuius reſponſionem ego

meo

Digitized by Google

meo propoſito accommodans hic afferam. Dico itaque nullum alimentum poſſe tantum humectare, quantum ſpiritus exiccauit. Nam cauſſa exiccans, dum agit in corpus exiccando abſumit partem ſubſtantiæ humidæ. neceſſe ergo eſt, vt dum hanc abſumit, reliquam alteret ſecundum qualitatem, reddatque ſicciorem, atque duriorem. Cibus ergo aut reponet ſolum ſubſtantiam humidam; aut & hanc reponens reliquas alterabit ſecundum qualitatem. Si primum dicas, adhuc ſequitur, quod partes in dies ſicciores reddentur, atque ita quoque ibunt in interitum. nam pars, quæ ſecundum qualitatem ſiccior remanet, & id etiam quod adgeneratum fuit ſiccius exiſtens, quàm fuerit conſumptum ab eadem exiccãte cauſſa indies magis, atque magis ſiccabuntur, vt conſtat, alimento nunquam æqualiter humectante. Si vero dicas cibum adeo humidum eſſe vt non tantum conſumptas partes reficiat, verum etiam qualitati obſiſtat, iam neceſſe eſt vt ſit medicamentum. atque ita ſano corpori morbum faciat, mortemque afferat citiorem. PRINC. Acuta ſanè reſponſio; ſed quæ duas non ſpernendas difficultates patitur. Prima quidem hæc eſt, quod huiuſmodi reſponſio ſupponit prius conſumi corpus, & exiccari, quam nutritione reficiatur; at hoc falſum videtur. Semper enim corpus nutritur, ſemperque facultas naturalis eſt in actu ſecundo. Quare non videtur dicendum nutritionem habere moras, neque ſecundum vnum ſpatium temporis conſumi corpus, ſecundum aliud vero nutriri, vt ſupponit reſponſio tua. Altera difficultas hæc eſt; quod videtur experientia conſtare aliquando per nutritionẽ aggenerari partes humidiores corporis, quàm fuerint conſumptæ. Patet in ijs, qui à febre liberantur & præcipuè ſi fuerit aliqua ex hecticis. Hi enim cum prius corporis habitum ſiccum habeant, atq; gracilem, poſt rectam nutritionem illum humidum, atque mollem conſequuntur. HOSP. Facile ſoluuntur hæ difficultates. Et quatenus ad primam attinet falſum eſt, quod ais conſumptionem, atque nutritionem corporis fieri ſimul. Nam vt concedam id verum eſſe in diuerſis partibus, ſane falſum eſt in eadem. Eſt enim neceſſarium vt prius fiat conſumptio, quàm reſtituatur id quod perijt. Immo non alia de cauſſa natura nutritionem excogitauit, niſi vt regeneraretur id, quod ex neceſſitate debebat abſumi. Quod ſi de vniuerſo corpore abſolutè loquamur, id etiam eſt verum. Nã prius recipiunt partes fętus ſpiritum vitalem, quam vllas actiones edant, ſine illo enim non agunt. cum itaque nutritio ſupponat conſumptionem, hanc autem faciat ſpiritus vitalis calidiſſimus, igneus, tenuiſſimus, per penitiſſimas quaſque partes diſtributus, neceſſe eſt, per traditas antea rationes, vt non minima conſumptio præceſſerit primam nutritionẽ. PRINC. Optimè. HOSP. Ad ſecundam autem difficultatem accedens dico veriſſimum eſt carnem ipſam reddi poſſe humidiorem quàm antea, & copioſiorem. At hoc nil noſtra refert. Humidum enim illud, quod reddi melius nõ poteſt, & cuius conſumptio mortem affert, non eſt caro ipſa, ſed eſt illud humidum primigenium, ſubſtantificum ex ſemine ipſo ortum habens, ſubiectum, & ſuſtentaculum caloris innati, ex quo tanquam ex parte quadam eſſentiali, ſolidæ partes conſtant. De quo fusè, & doctè admodum Fernelius diſſeruit in libro peculiari. Hoc illud humidum eſt quo conſiſtente

ſtente

ſtente vita conſiſtit, & calor innatus; & quod conſumptum non reficitur amplius. Vide queſo Fernelium in libro de ſpiritu, & innato calido. Et ſi ergo carnoſcæ partes humidiores, melioreſque reddantur prioribus, id tamen ſolidis euenire haud poteſt. At hoc ſufficit ad mortem afferendam. ſolidæ enim partes cum in ſe hoc humidum contineant, quod ſedes eſt prima ſpiritus innati, ſunt etiam cauſſa vitę carnoſis ipſis partibus; dum ſcilicet innatus ipſe ſpiritus ex ſolidis ipſis partibus tanquam ex ſeminario prodiens, in carnoſam quoque ſubſtantiam propagatur ſicque calorem & naturam ſecum profert, vt Fernelius ait. PRINC. Adhuc non oſtendiſti quamobrem caro humidior fiat, ſolidæ vero partes nequaquam: ſed hoc aſſumpſiſti tantum. HOSPES. Dicam modo, ſi tamen prius præmonuero partes omnes ſolidas vna cum humido primigenio innatoque ſpiritu à ſemine; carnoſam autem ſubſtantiam à materno ſanguine deriuari. Etenim in prima fœtus conformatione, dum ſimilarium partium procreatio inſtitueretur, corpus ipſum ſeminis primum in quędam rudimenta ſe extendit, ita vt in quaſdam quaſi fibras, & ſtamina filis quibuſdam tenuiſſimis contexta degenerare videatur. Atque hęc eſt conſtans, & verè ſolida partium ſubſtantia ex puro ſemine concreta: ad quam deinde ſenſim influens, & illabens ſanguis maternus, villos, & ſtamina vndique circunſedens illic concreſcebat, fiebatque ſubſtantia carnoſa ex ſanguine: quæ affuſa, inſperſaque locis inanibus moles eſt ſimilarium partium. Quoniam itaque partes omnes animalis ex ſanguine nutriuntur, caro vero eſt proximè ex ſanguine genita, exiguam mutationem ſubeunte, efficitur vt illa citius cæteris partibus nutriatur agens in ſimillimum ſibi alimentum. Quod ſi aliquando caro ſiccior, quàm par ſit, dum nutritur ex humidiori ſanguine aliam carnem generat humidiorem ſe, hæc tamen genita caro bona caro erit, propterea quod humiditas ſanguinea eſt eiuſdem ferè rationis cum humiditate carnoſa, exiguaque mutatione eſt opus, vt ſanguis caro fiat. At in ſolidis partibus aliter euenit. Non enim hæ nutriuntur ex ſemine, quamuis ſeminales ſint, ſed neceſſe eſt ipſas quoque nutriri ſanguine, cuius temperamentum valde diſtat ab ipſarum temperamento, & qui multis indiget mutationibus vt in earum ſubſtantiam vertatur. Cum itaque membra dum nutriuntur pugnēt cum alimento, vt in illud ſuæ ſubſtantiæ modum immittant, eueniet, vt ſi os, aut neruus, ex humidiore ſanguine, dum nutritur, partes adgeneret humidiores ſe, hæ adhuc plus minuſue ſeruent ſanguinis naturam, & temperamentum ſubſtantiale. Qui ſanguis cum valde diſtet à natura ſolidarū partium, ideo particularum illarum humiditas non poterit non eſſe morboſa, ipſæque particulæ peiores erunt pręcedentibus, redolentes naturam, atque proprietatem rei cuiuſdam admodum diſtantis à natura rei alitæ. Quare etſi nonnulli videantur à febribus hæcticis ſanari, & carnoſiores reddi, non tamen eſt exiſtimandum ſolidas partes humidiores reddi, quàm eſſent antea, ſed id accidit carnoſæ tantum ſubſtantiæ. Placet ne tibi hæc doct ina ſapiētiſſime Princeps? PRINC. Summopere placet, mihique iam omnino videtur hęc res omni carere ſcrupulo, & difficultate. HOSPES. Non ſolum videtur hæc mea ſententia approbanda, quòd omnem ambiguitatem ſubmoueat,

Lib. de ſpiritu, & innato cal. c. 5.

Eodem li. cap. 6.

moueat,remque ad viuum reſecet, verum etiam ea de cauſſa videtur cæteris anteponenda, quod ipſa per bellè conciliat Galenum cum Hippocrate, Ariſtotele, & Auicenna. Hi enim dicebãt calorem innatum nos interficere, qui corpora produxit; eo modo,quo flamma conſumit oleum. Contra Galenus dicebat innatum calorem corpora ſeruare,& augere. Vtraque vero ſententia ſeruatur ſecundum à nobis traditam doctrinam. PRINC. Oſtendas queſo mihi hanc conciliationem. HOSPES. Conciliatio hæc conſiſtit in diſtinctione quadam caloris innati.Bifariam enim accipitur.Aliquando quidem pro calore illo,qui conſurgit ex calori ſeu ſpiritu innato partibus ipſis,& ex vitali ſpiritu iam commutato à parte ipſa:(eſt enim ſpiritus vitalis materia,& alimentum ſpiritus innati, ſeu implantati vt Galenus docet)Atque hic propriè dicitur innatus calor,ſeu(vt rectius loquar)innatum calidum.Atque hoc ſemper partes ſeruat,nunquam conſumit,aut diſſipat. Eſt enim hoc,vt Galenus dicebat,primum animæ inſtrumentum.Atque de hoc innato calido intelligenda eſt Galeni ſententia quando dicebat innatũ calidum ſeruare ſuam materiam, & augere, non autem corrumpere veluti flamma oleum. Aliquando vero ſumitur innatum calidum pro ſpiritu vitali,vt paſſim videre eſt apud Galenum,omneſque medicos.Et in hoc ſenſu veriſſimum eſt innatum calidum conſumere humidum radicale,veluti flamma oleum. Spiritus enim vitales calidiſſimi cum ſint, & ignei ex ſui
Vide Gal. in.5.ſimp. medi.c.9. natura,dum ad partes accedunt animales,antequam vllam notabilem mutationem ſubeant (diuerſimode enim mutantur pro diuerſitate partium cum quibus permiſcentur) calefacientes, & exiccantes humidum illarum primigenium,illud in vapores quoſdam reſoluunt;qui ſpiritus fiunt innati;quibus vna cum vitali ſpiritu commixtis, & temperatis completur propriè dicti innati caloris ſubſtantia. Ex his ergo conſtat ſpiritum vitalem agere in humidum radicale partium ſolidarum, illudque conſumere,non ſecus atque flamma oleum. Et de hoc innato calido intelligenda eſt Hippocratis ſententia, nec non & Ariſtotelis dicentium calorem innatum nos interficere propriam ſubſtantiam exiccando.PRINC.Ne vltra progrediaris ò Hoſpes;ſunt omnia euidentiſſima,nec res hæc poterat dilucidius pertractari.

Omnes nos vna manet mors,
Moritur & hæc noſtra Academia.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google